

186

DOMINICI CAVALLARII

IN

REGIA NEAPOLITANA ACADEMIA

ORDINARII PROFESSORIS

INSTITVTIONES

IVRIS CANONICI

QVIBVS VETVS ET NOVA ECCLESIAE DISCIPLINA ENARRATVR

IN VSVM PRIVATI AVDITORII CONSCRIPTAE;

Editio tertia auctior & emendatior.



N E A P O L I MDCCLXXVII.

A P V D S I M O N E S.

Publica auctoritate.

Prima ſalus eſt rectae fidei regulam cuſtodire, & a conſtitutis Patrum nullatenus deuiare.

Hormiſda papa epiſcopis Hiſpaniae ap. Gratianum can. IX. C. 25. q. 1.

ANTONIO GVRTLER
EPISCOPO THENARVM
E T
MARIAE CAROLINAE AVSTRIACAE
APVLIAE ET SICILIAE REGINAE
A CONFESSIONIBVS.

DOMINICVS CAVALLARIVS
F.



X quo primum tempore, Praesul amplissime, Te propius cognoui, vera esse animaduerti, quae de te constans virorum bonorum relatio praedicabat: nempe, Te esse optimis sanctissimisque moribus praeditum, omni doctrinarum genere excultum, in primis vero ita comparatum, vt intelligeres & reapse praestares, hominis esse homini benefacere. Tu enim ope consilio omnibus praesto esse soles, praesertim vero litteratos viros sinu excipis

tuo, & eorumdem commoda promoues, probe intelligens, litteras tutela quadam & honore indigere, quo magis magiſque promoueantur. Atque hinc merito ſelectus es, vt tamquam proprius presbyter Mariae Carolinae Auſtriacae Reginae noſtrae confeſſionibus praeeſſes. Quod quum talis & tantus ſis erga omnes, me tamen peculiari honore adficere conſueuiſti, & amicitia tua dignum putaſti. Hinc ne ego ſemper vacuus ad te venirem, ecce meas *iuris canonici inſtitutiones* nomine tuo exornatas ad te defero; quo munere meae aduerſus te obſeruantiae publicum volui ſupereſſe teſtimonium. Eas vero, quaecumque ſint, benigne excipias oro, ſummaeque laudi mihi ceſſurum puto, ſi intellexero, eas tibi viro ſummo & in eccleſiaſticis rebus apprime exculto aliquatenus placere. Vale vir optime, teque diu incolumem ſerua.

Ad

Ad cupidam sacrorum canonum iuuentutem

A V C T O R.

Institutiones canonicae, quas stilo fusiore & multis quaestionibus insertis in publicum emisi, longiores visae sunt, quam vt secundum praesentes mores in vsum scholarum possent adhiberi. Quapropter consilium iniui contracta methodo elementa ecclesiasticarum regularum tradere, quibus adolescentes iuris candidati, qui auditorium meum frequentant, vterentur. Nec enim videtur probandus mos ille, qui iamdiu obtinet, artium & scientiarum elementa, scripto excipienda, tironibus tradere. Quae scripto exhibentur, solent esse contractiora, nec multum expolita; coguntur enim professores ad temporis rationem se accommodare: vt mittam, non omnes adolescentes recte scribere, quae ab ore dictantis excipiunt.

Has autem institutiones ita adornare visum est, vt veterem & nouam ecclesiae disciplinam breui verborum compendio exhiberent. Piaculum duxi, neglectis originibus & veteribus canonibus, nouae tantum disciplinae regulas sistere; ex qua forma Lancellotus suas ferme institutiones coagmentauit. Sanctitas certe & maiestas iuris canonici in antiquitate splendescit. Vetus enim disciplina puritate & candore suo animos percellit, demonstratque, quae fuerint ecclesiae tempora feliciora. Falsum quoque est, quod multi dictitant, antiquos canones cum honore esse sepultos. Vt enim desueuerint canones de rebus indifferentibus;

tamen canones de moribus stabunt aeternum. Quid quod multos ex recentioribus canonibus potius tolerat, quam inculcat ecclesia, feliciora tempora exspectans, quibus saniores regulas reducat? Et ita auctore Fleuryo (praef. ad instit. iuris ecclesiast.) *longe magis consentaneum est pro regula sectari, quod ecclesiae placuit & per duodecim saecula obseruatum est, quam quod quinque posterioribus saeculis ecclesia tolerauit, atque emendare satagit.*

Porro id etiam curaui (quatenus pro ingenii tenuitate licuit) canonum & mutatae disciplinae rationes & caussas exhibere. Et profecto canonum sententia summopere splendescit, & animos sanctitate sua occupat & perstringit, si eorumdem rationes innotuerint. Qua eadem ratione ciuilis sapientia tum perfecta videtur, si legum rationes & caussae ex ciuitatum formis & populorum moribus depromtae animo obuersentur. Quin canonum & legum ratio eo etiam nomine vtilis est, quod ad rectam interpretationem conducit, & vlterius excurrens, veluti nouas rei canonicae & ciuilis regulas inuehit: ex ratione enim canonis & legis, quatenus verba ampliore vel strictiore sensu accipi debeant, intelligitur: & inde veluti nouae regulae promanant.

Quod vero ecclesia in republica nata est, non contra, ciuitatis iura proposui, quae de rebus spiritualibus statuunt; principum enim est, ecclesiam & religionem tueri, & qui canones legibus ciuilibus confirmantur, in vim nomo-canonis adsurgunt. Quin etiam id operae pretium esse duxi, ex theologiae & iuris publici scitis sacerdotii & imperii fines distinguere, & quî factum sit,

vt

vt multa, quae ciuilis potestatis erant, tandem inter ecclesiae iura translata sint, seu potius translata credantur.

Iam institutiones istas in tres partes partitus sum pro triplici iuris obiecto, personis nempe, rebus, & iudiciis: qua partitione nihil aptius ad ius, siue ciuile, siue canonicum in artem redigendum. Exhibet prima pars personas ecclesiasticas, earumque officia, mores & instituta, vt & sollemnem earum inaugurandarum rationem: item ascetas & monachos, quorum tractatio bonam iuris canonici occupat partem. Altera pars agit de rebus ecclesiasticis, atque ita complectitur sacramenta, dies festos, ieiunia, ecclesias, sepulturas, hospitalia, bona ecclesiastica, & ex bonis exorta beneficia, & ecclesiarum & clericorum a tributis exemtiones. Et tertia demum pars exhibet iudicia & poenas ecclesiasticas.

Prodeunt nunc hae institutiones tertiis curis recensitae, atque ideo ampliores & emendatiores. Sane plura capita veluti ex integro addita, multi errores, qui in antecedentes editiones irrepserant, emendati: nouae obseruationes non vno loco additae: & multa, quae tirones poterant retardare, in subiectas adnotationes reiecta. Et quod magis est, praeter generalem capitum recensionem etiam rerum praecipuarum index accessit: qua additione libellus vtilior euasit. Rem ipsam praecedit recensio capitum totius operis, ex qua veluti ex tabella tirones vniuersae materiae conspectum habere possunt.

RECENSIO

CAPITVM TOTIVS OPERIS.

PROLEGOMENA.

PARS I.

De personis ecclesiasticis.

CAP.

PARS II.

De rebus ecclesiasticis.

CAP.

PARS III.

De iudiciis ecclesiasticis.

CAP.

ERRORES	EMENDATIONES.
Pag. 105 v. 5 legitima	legitime
112 (b) v.13. *ap.*	apud
268 v.17 nondum omnino	nondum primis saeculis omnium
279 v.23 Druuen	Drouuen
294 (a) v.3 a monachis inuentum est	monachi inuenerunt
305 (c) v.12. eclesia	ecclesia
323 v.16 andexa	adnexa
333 v.14 iureiurandi	iurisiurandi
361 (d) v.2 *opifficia*	*officia*
400 v.40 fpiritualia	spiritualia
511 v. 9 *L.* 11.	*L.* 1.
511 (b) *L. V.*	*cit. L.* 1.
512 v. 4 Antiossiod.	Antissiod.
553 v.29 *fornanei*	*foranei*
595 v.31 matuo	mutuo
600 v.23 inscriptio	subscriptio
634 enim quotidianis	nec enim quotidianis

A D D E N D A.

Par. I. cap. 21. §. 9. *in fine haec addenda.* Apud nos clerici in caussis criminalibus non coguntur apud laicos iudices vera & proprie sic dicta testimonia dicere, sed tantum actuarii actum facere debent de omnibus, quae a cle-

a clericis narrantur : qui vsus Regis nostri litteris pridie Kal. Iulias anno CIↃIↃCCLXX. ad Delegatum iurisdictionis datis confirmatus est.

Pag. 209. (e) *post verba* aperte calumniatur *haec addenda sunt*. Gyrouagi sedem stabilem non habebant, sed per totam vitam vagabantur, propriis voluptatibus & gulae illecebris seruientes, *reg. Bened. cap. I.*

Par. II. cap. 41. *post* §. *XIII. addi debet* §. *XIV., & qui eo loci exstat, in sequentem locum transferri debet.*

§. XIV. Reseruationes beneficiorum regulis Romanae cancellariae comprehensae morte summi pontificis exspirant, & inde donec a nouo pontifice instaurentur, ius ordinariorum antistitum in integrum restituitur. Sed in regno nostro, vbi regulae illae anno CIↃIↃCCLXIX. morte Clementis XIII. extinctae sunt, amplius vires non habuerunt, etsi per Clementem XIV & Pium VI. hodiernum pontificem de more excitatae sint. Etenim litteris Regis nostri nonis Martii eiusdem anni ad Cameram Regalem datis vetitum est, regulas Romanae Cancellariae sine ipsius Regis expressa venia in vsum deduci: eidemque Camerae etiam datum, vt si futurus pontifex (vacabat tum sedes Romana) eas restitueret, de iisdem audito Coronae aduocato relationem faceret. Inde earum regularum apud nos nulla vis fuit. At tandem XV. Kalendas Iunii huius currentis anni CIↃIↃCCLXXVII. suis litteris Rex iussit, exsecutioni mandari collationes beneficiorum interim a sede apostolica factas, quae suspensae & effectu vacuae diu steterant: deinceps vero pontificias collationes effectum sortiri, si constaret, illis data fuisse beneficia, quos Rex litteris suis apud sedem apostolicam commendauerat. Quod recentioribus litteris tum obtinere Rex declarauit, si non obstarent regalia rescripta vario tempore edita, quibus multae collationes pontificiae sine effectu esse iubentur.

*Pag.*612. (a) *in fine haec addenda*. Lapsu temporis Leo IV. requisitos per Siluestri Romanam synodum testes bona fide probauit, & ita inualuit disciplina, ad damnandos clericos duorum aut trium testimonia non sufficere.

AD

AD INSTITVTIONES
IVRIS CANONICI
PROLEGOMENA.

CAPVT I.

De natura & origine iuris canonici.

§.I. Ccleſia a Ieſu Chriſto ad hominum ſpiritualem ſalutem collecta, certum regimen ad ſui conſeruationem requirit: eſt enim ſocietas, quae aeternum ſtare debet: & ſocietates ſine regimine quî conſiſtent? Hinc Chriſtus diſceſſurus ex hoc mundo ad patrem, in eccleſia regimen inſtituit: dedit nempe apoſtolis eorumque ſucceſſoribus eius adminiſtrandae & regendae plenam poteſtatem, Ioan. *XX. v.* 21., *Actor. XX. v.* 28.

§. II. Haec autem eccleſiae regendae poteſtas apoſtolis eorumque ſucceſſoribus demandata, circa tria verſatur, *doctrinam*, *mores*, *diſciplinam*. Doctrina continet dogmata fidei: mores ſunt actiones chriſtianorum, quae ad ſanctiſſimam doctrinam componi debent: & diſciplina complectitur ritus liturgicos & exteriorem eccleſiae adminiſtrandae formam. In haec tria non eodem modo ſe exſerit eccleſiae poteſtas: doctrinam enim & morum regulas cuſtodit, & in dubiis explicat: diſciplinam vero pro locorum & temporum adiunctis diſponit. Sub nomine *πολιτειας politiae* Chryſoſtomus *de ſacerd. lib. IV. cap.* 5. intelligit mores & diſciplinam: quod nos breuitatis cauſſa ſubinde faciemus.

§. III. Statuta omnia, ad fidem & politiam ſpectan-

tia, olim modesto *canonis* nomine ecclesia nuncupauit. Est *canon* Graeca vox, artificum instrumentum ad lineas dirigendas significans: at vsu scriptorum ad omnia, quae tamquam regulae haberi possunt, translata est, quod Douiatius *lib I. praenot. cap.* 1. pluribus illustrat. Etiam ecclesia inde vsque a primis saeculis ad fidei & politiae regulas denotandas vocem *canonis* adoptauit: & inde libri veteris & noui testamenti, quod eiusmodi regulas continerent, *canonici* dicti sunt.

§. IV. Quamuis autem vno *canonis* nomine venirent & fidei & politiae regulae; tamen ea duo patres in synodis seorsum tractare consueuerunt. Franc. Florens *dissert. de orig. iur. canonici par.I.* Et hinc quae fidei erant, *διατυπωσεσι descriptionibus* & symbolis complecti consueuerunt; canonibus vero, quae pertinebant ad politiam. Haec autem distinctio ordinis gratia facta est; nam proprie loquendo, a dogmatis canones ea tantum ratione differunt, qua conclusiones a principiis distant suis. Sane morum praecepta a doctrina deriuantur: & disciplina eo spectat omnis, vt doctrina in vsum deducatur. Atque ex ea distinctione tandem theologiae christianae studium in duas abiit facultates, vnam *theologiam* stricte sic dictam, quae doctrinam christianam complectitur, & *ius canonicum*, cui cessit politia.

§. V. Est ergo ius canonicum, quod etiam *ecclesiasticum* & *pontificium* appellatur, facultas, quae regulas tradit, quibus christianorum mores componi debent, & ecclesiastica disciplina disponitur & ordinatur (*a*).

§. VI. Primis tribus saeculis, quatenus a persecutionibus licuit, plures synodi celebratae sunt, quibus canones conditi ad fidem adserendam & disciplinam disponen-

nen-

(a) Definitio ista integram iuris canonici naturam exprimit, sed quatenus antiquis & ex parte etiam recentioribus canonum codicibus continetur. Scilicet exorto tandem in ecclesia regno iudiciali regulae permultae prodierunt, quae tantum sollemnem iudiciorum ordinem praescribunt, nec dignae sunt, vt augusto canonis nomine donentur, quamuis bonam magnamque partem decretalium conficiant.

nendam. Et interim multae etiam regulae factis ipsis & adsiduis moribus receptae, vt omnia ordine & decenter in ecclesia fierent. Canones vero in conciliis conditi non multi fuerunt, nec in omnibus ecclesiis seruati; vt non immerito dici possit, ecclesiam primis tribus saeculis ferme verbo Dei & moribus stetisse. Magno numero scribi coeperunt canones post pacem ecclesiae datam, quando publice conuenire episcopis licuit, & pacatus rerum status postulauit fidem confirmare, & inualescentes abusiones euellere, & augustiorem constituere politiam.

§. VII. Iam vero ab his conciliorum canonibus & antiquis ecclesiarum moribus praecipue desumti videntur *canones apostolici* sic vulgo dicti, qui etsi suppostitii sint, nec apostolos, nec S. Clementem Romanum pontificem auctores habeant (*b*); tamen continent mores & disciplinam, quae primis saeculis praesertim in ecclesia Orientali vigebant. Sunt numero octoginta quinque, in quem numerum multorum priuata opera paullatim excreuerunt, quod Dupinus *prolegom. in Bibliam tom.II.* obseruat (*c*). Ex-

(b) Multis sane argumentis constat, sic dictos apostolicos canones esse supposititios. Principio eos canones apostolis aut S. Clementi non tribuerunt Eusebius & Hieronymus, qui apostolorum opera recensent, nec quisquam alius, qui canonem librorum sacrorum consignauit. Deinde multa in iis continentur, quae longe post apostolos instituta sunt, qualia concilia metropolitanorum annua, distinctio bonorum ecclesiae ab iis, quae episcoporum erant, ordines minores: quae omnia apostolis ignota fuerunt. Porro in controuersiis de tempore celebrationis paschae & de baptismo haereticorum, quae secundo & tertio saeculo ecclesiam agitarunt, canones apostolici in medium producti non sunt: & tamen canon VII. aperte habet, pascha non esse cum Iudaeis ante vernum aequinoctium celebrandum: & canones XLVI. & XLVII. baptismum ab haereticis datum tamquam nullum traducunt. Plura in hanc sententiam Beueregius in *iudic. de canonib. apostol.*, Nat. Alexander *diss.XVIII. in 1. saec.* aliique congesserunt.

(c) Contendunt Albaspinaeus, Petrus de Marca & Beueregius, canones apostolicos ante synodum Nicaenam collectos fuisse, laudantque in eam sententiam Nicaenam aliasque quarti

Exeunte ſaeculo quinto quinquaginta tantum priores apud Orientales cogniti videntur, quos inde latinitate donatos codici ſuo Dionyſius Exiguus inſeruit. Sed medio ſaeculo ſexto iam omnes octoginta quinque collecti erant, eoſque Ioannes Scholaſticus in collectionem coniecit ſuam: & ab hoc tempore Graeci octoginta quinque canones tamquam ab apoſtolis conditos tenent. In Occidentis vero eccleſiis tantum quinquaginta priores, quos Dionyſius Latinos fecerat, quatenus admitti poterant, recepti ſunt.

§. VIII. Similiter ſic dictae *conſtitutiones apoſtolicae*, octo libris comprehenſae, longe poſt apoſtolos magna ex parte collectae videntur ex variis *διδασκαλιαις*, *διδαχαις* & *διαταξεσι doctrinis* & *conſtitutionibus*, quae ſub apoſtolorum & apoſtolicorum virorum nomine olim incerta fide circumferebantur, itemque ex aliis eccleſiaſticis regulis, quae ante ſynodum Nicaenam ſiue in conciliis conditae, ſiue moribus eccleſiarum receptae erant (*d*): diſciplina

ſaeculi ſynodos, & veteres eiuſdem & anterioris aetatis ſcriptores, qui canones apoſtolicos ſub generali *canonum* nomine, & quandoque etiam ſub ipſo *canonum apoſtolicorum* titulo confirmant & laudant. Sed canones in antiquis ſynodis confirmati, aut alias a ſcriptoribus memorati, non euincunt, ſyllogen canonum apoſtolicorum exeunte tertio ſaeculo aut quarto ineunte exſtitiſſe; ſed ſolum probant, tum fuiſſe veteres quaſdam regulas, ſiue vſu & traditione, ſiue ſcripto conſtarent. Et ſane non ſemper ac in antiquis monumentis confirmantur & memorantur antiquae regulae, ex aduerſo reſpondent canones apoſtolici eamdem doctrinam continentes. Sit exempli loco canon Nicaenus XIII., quo ex veteri regula ſtatuitur, vltimo & neceſſario viatico non eſſe priuandos, qui corpore egrediuntur; & tamen nullus inter apoſtolicos in eamdem ſententiam canon reperitur. V. Nat. Alexandr. *diſſ. XVIII. in* I. *ſaec.*

(d) Quo primum tempore collectae fuerint conſtitutiones apoſtolicae, non conuenit inter eruditos. Sed praeferenda videtur Ioannis Pearſonii ſententia, qui in *vindic. Ignat. par. I. cap.* 4. tenet, octo libros apoſtolicarum conſtitutionum coagmentatos fuiſſe medio tempore inter Epiphanium & auctorem operis imperfecti in Matthaeum, qui poſt Theodoſium imperatorem ſcripſit. Sane auctor iſte primus eſt, qui eas conſtitutiones veluti plu-

na enim his libris comprehensa exhibet vetustiores ecclesiarum ritus: itemque sunt in iis quaedam capita, quae merae sunt methodi gratia factae connexiones, quibus vna alteri didascalia & constitutio subnecteretur. Dum vero auctor, quicumque fuerit, eiusmodi libros consarcinabat, multa addidit, detraxit, corrupit, vt ad suae aetatis rationes & doctrinam, quam profitebatur, conuenirent. Ita libri apostolicarum constitutionum in multis articulis exhibent veterem ecclesiae Orientalis disciplinam, & quod spectat ad fidem, saepe orthodoxiam non sapiunt, & a recta morum regula aliquando aberrant.

CAPVT II.

De variis canonum speciebus.

§. I. IVs, quo regitur ecclesia, aut *diuinum*, aut *humanum* est. Et diuinum quidem a Deo profectum est vel rectae rationis lumine, vel speciali voluntate, quam signo externo manifestauit. Hinc in *naturale*, & *positiuum*, vt appellant, dispesci solet. Vtrumque libris veteris & noui testamenti continetur, quamuis naturale etiam per rectam rationem innotuerit. Sed non omnia, quae veteri testamento comprehensa sunt, christianos adstringunt. Nam moralia tantum praecepta, quae sunt ipsum ius naturale, etiam christianos obligant; non vero caerimonialia & iudicialia, quorum illa Christum venturum plerumque designabant; haec vero res ciuiles Iudaeo-

pluribus libris comprehensas proponit. Et licet Epiphanius indicare videatur, suo tempore iam collectas apostolicas constitutiones; tamen si diligenter illius loca expendantur, ad rem non facere apparebit: laudat nimirum singulari numero *apostolicam constitutionem*: & si aliquando *apostolicas constitutiones* dicat, librorum numerum non addit: quae probant, Epiphanium ad peculiares constitutiones spectasse.

daeorum dirigebant. Hinc cessare oportebat vmbras, illius, quem figurabant, aduentu; etsi initio christianae religionis indulgentia quadam ad lucrandos fratres ex Iudaeis multos Mosaicos ritus ecclesia retinuerit: & diuersa reipublicae forma apud christianos recepta, quî stare poterant Iudaeorum leges ciuiles? Quod si aliqua iudicialia Iudaeorum praecepta ecclesia adoptarit, ea ecclesiae auctoritate, non vi sua regulam inter christianos facere potuerunt. Verum in nouo testamento leges ciuiles nullae sunt, sed tantum praecepta moralia & ritualia; non enim ad instituendam rempublicam Christus missus est.

§. II. Ius humanum ecclesiasticum est, quod apostolis vita defunctis pro recta morum & disciplinae institutione vel expresse constituit, vel vsu sensim ecclesia recepit (*a*). Nempe christiani a regula morum aberrare coeperunt, & noui ritus subinde instituendi erant: atque hinc necessarii noui canones, qui morum regulam restituerent, & nouos ritus inueherent. Fons autem praecipuus, vnde hoc ius humanum ecclesiasticum emanauit, est Dei verbum, maxime noui testamenti. Atque ex his regulis labentibus annis ab ecclesia conditis praecipue ius canonicum constat.

§. III. Est vero ius canonicum, non secus ac ciuile Romanum, aut *scriptum*, aut *non scriptum*. Scriptum, quod etiam *constitutionis* nomine venit, expressa ecclesiae iussione constituitur, quamuis non scribatur. Non scriptum, quod alias *consuetudo* dicitur, moribus christianorum inducitur, quamuis inde scriptis demandetur. Itaque scripti & non scripti iuris appellationes non ab intrinseca vtriusque iuris differentia, sed ab eo, quod frequentius accidit, desumtae sunt.

§. IV. Ius canonicum scriptum est tripertitum, hoc est collectum ex canonibus conciliorum, decretalibus ponti-

tifi-

(a) Ita referimus ad ius humanum ecclesiasticum solas regulas, quae post obitum apostolorum in ecclesia vel expressa auctoritate conditae sunt, vel vsu inualuerunt: quamuis non desint, qui ab apostolis constituta potius humani, quam diuini iuris esse dicant.

tificum, & dictis sanctorum patrum, *can.* 1. *D.* 20. Omnia generalis *canonis* nomine veniunt; sed distinctionis caussa generale canonis nomen restrictum est ad regulas conciliorum, & propria nomina duabus reliquis speciebus data sunt.

§. V. Vt vero ordine de singulis iuris canonici scripti partibus agamus; nomine conciliorum intelligimus conuentus catholicorum antistitum, qui ad tractandas res ecclesiasticas rite euocati sunt. Quos conuentus, quod ex diuersis locis in eamdem viam locumque antistites conveniunt, Graeci *συνόδους* dixerunt. Vsus synodorum in ecclesia ab apostolis inualuit, idque ex natura regiminis ecclesiastici, eoque etiam a patribus tradocta Christi promissio, qua se adfuturum professus est, vbi duo vel tres de eius nomine cogerentur.

§. VI. Sunt vero concilia vel generalia, vel particularia. Generalia sunt, ad quae omnes totius christiani orbis antistites conuocantur, quibusque pontifex Romanus aut per se, aut suorum legatorum ministerio praeest. Et quamuis reapse non omnes episcopi conueniant, non tamen minus generalia reputantur, quod generalis indictio sufficit. Particularia vero vel sunt dioecesana, vel prouincialia, vel episcopalia. Dioecesana celebrantur ab episcopis vnius dioecesis, seu plurium prouinciarum: dioecesis enim in antiquis monumentis saepe plurium provinciarum ambitum comprehendit: ad quam conciliorum speciem reuocari possunt concilia *nationalia*, quae deleto Occidentis imperio ab vnius aut plurium regnorum aut nationis episcopis habita sunt. Prouincialia concilia episcopi prouinciae sub metropolitano, & episcopalia vnius ecclesiae clerici sub episcopo componunt.

§. VII. Cuiusuis vero generis concilia sint, pro iure suo canones condunt; & si mediis saeculis receptum sit, synodos prouinciales, nisi de adsensu pontificis canones non posse condere; ius hoc ad restringendam episcoporum potestatem ex falsis decretalibus natum est. Sed canones pro synodorum amplitudine variam vim habent: nam per vniuersam ecclesiam obligant synodorum generalium canones, particularium vero fines ecclesiarum non excedunt, nisi ab aliis ecclesiis recipiantur: qua ratione multi lo-

cales canones per omnem ecclesiam coeperunt obligare.

§. VIII. Praeterea inter ecclesiasticos canones censentur summorum pontificum decretales, quibus siue sponte sua, siue ab aliis consulti Romani pontifices de rebus fidei & disciplinae decernunt. Ius a Christo datum Petro & in pontifices Romanos transfusum pascendi oues & agnos, & fratres confirmandi, etiam canonum condendorum videtur continere potestatem. Id tamen verum est, istiusmodi decretales non ab vnius pontificis arbitrio, sed in synodo Romana olim conditas fuisse. Et si solius pontificis praeferant nomen, id factum est propter sedis apostolicae amplitudinem, penes quam summa erat rerum agendarum, vt aperte docet Iulius papa *ep. ad Oriental. ap. Athanas. apol. II.* Successu temporis auctoritate creuerunt cardinales, & in eos ius Romanae synodi transfusum creditur; quamuis hodie pontifices, posthabito cardinalium adsensu, tantum eorum consilium requirant. Christ. Lupus *in can. VII. dictatus Gregorii VII.*

§. IX. Sunt autem pontificum constitutiones seu decretales aut generales, aut particulares. Generales sunt, quas sponte sua vel ab aliis consulti ad rectum ecclesiae regimen in consilio episcoporum, aut in consistorio cardinalium emiserunt, aut nunc Romani pontifices emittunt. Constitutiones sponte sua a principibus emissae iure Romano appellantur *edicta*; sed huius generis pontificiae constitutiones *decreta* & *decretales epistolae* appellantur, quod iis decernatur quidquid ecclesias in fide & disciplina tenere oportebat. Particulares sunt, quae ad species singulares decidendas a pontificibus emittuntur: & hinc saepe dictae *epistolae decretales:* & quoniam ad aliorum consultationes vt plurimum emissae sunt, *rescripta* etiam audierunt. Quoniam vero pontifices rescribentes id intellexerunt, vt in similibus speciebus eaedem decisiones obtinerent, *cap. 19. ex. de sent. & re iudicata*, hinc rescripta, etsi particularia, vim canonis generalis habent: qua in re contrarium iure ciuili statutum erat. V. Iac. Gothofr. *in L. 9. C. Th. de diuers. rescript.*

§. X. Postrema canonum species sunt *dicta sanctorum patrum*, hoc est eorum scriptorum ecclesiasticorum, qui scientia & vitae integritate olim claruerunt. Huiusmodi

Pa-

patrum dicta vim canonis non habent: quin omni auctoritate non adiectis rationibus destituuntur, quod totidem verbis Augustinus docet, *can.* 5. *D.* 9. Ad canonis constitutionem non tam scientia & sanctitas, quam auctoritas est necessaria. Itaque vt dicta patrum vim canonis habeant, necesse est, vt ea ecclesia probet & recipiat: in qua specie valet illud, ea nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur, *L.* 1. §. *6. C. de vet. iur. enucleando*. In dictis patrum probandis Occidentali Orientalis ecclesia praeiuit, vt videre est in concilio Trullano, quo multa patrum Graecorum opuscula inter canones censentur & confirmantur.

§. XI. Et haec de iure canonico scripto: non scriptum tacito christiani populi consensu inducitur in iis rebus, quae rectae fidei & bonis moribus non aduersantur. Sunt autem ecclesiasticae consuetudines aut generales, aut particulares, quarum illae omnium, hae vsu particularium ecclesiarum inualescunt. Sic generalis erat consuetudo, vt christiani die dominico stantes orarent, & ieiuniis abstinerent, Tertullian. *de corona cap.III.*, August. *ep. LXXXVI. ad Casulan.*, idque ob Christi resurrectionis memoriam, quae christianos laetos esse iubebat. Contra speciali consuetudine Sabbati ieiunium in ecclesia Romana seruabatur, multaeque aliae in veteri & noua disciplina peculiares consuetudines occurrunt. Ceterum si quae generales consuetudines ab initio seruatae sint, nec in conciliis tale quid institutum inueniatur, eas ab apostolis originem habere Augustinus *lib.IV. de bapt. cap.*24. docet.

§. XII. Iam consuetudinis ecclesiasticae tanta vis est, vt regulam constituat, *can.* 5. *D.* 11., *can.*7. *D.*12. Quid enim interest, vtrum ecclesia expressa iussione sibi canones condat, an rebus ipsis & factis? Hinc per vniuersam ecclesiam obligant generales consuetudines, in peculiaribus vero locis particulares. Et in particularibus ecclesiarum moribus nihil melius, quam viuere ex regulis ibi receptis, si contingat, christianos in illis locis versari, quod Augustino interroganti Ambrosius respondit apud Gratianum *can.* 11. *D.* 12. Atque ex hac consuetudinis vi factum, vt in antiquis monumentis nomine *canonis* etiam veniant receptae consuetudines, quod Stephanus Balutius,

Nat.

Nat. Alexander, Boehmerus aliique obseruant.

§. XIII. Porro ea est consuetudinis vis, vt etiam ipsos canones tollat. Vulgatum est, contrariis consuetudinibus leges exolescere. Sed distinguendi sunt canones de ritibus ab iis, qui mores componunt. Etenim ritus & cetera omnia, quae sunt iuris positiui, facile contrariis moribus desuescunt: ritus enim externi liberas habent obseruationes, ac propterea pro locorum & temporum adiunctis mutabiles sunt. Sic hodie non amplius in pascha & pentecoste sollemnis baptismus datur, nec obtinent sollemnes poenitentiarum stationes, aliaque antiquitatis instituta, quae contrariis moribus exoleuerunt. Verum in canonibus, qui mores componunt, nulla praescriptio est, nulla vis consuetudinis efficere potest, vt exolescant. Aeterna lex non subiacet mutationi. Et quidquid contra bonos mores inualuit, non tam consuetudo, quam erroris vetustas est, *can.* 8. *D.* 8.

C A P V T III.

De sacrorum canonum publicatione & receptione.

§.I. LEgibus humanis nullam vim inesse, antequam ad notitiam eorum, quibus feruntur, perueniant, seu publicentur, in compertis est. Scilicet lex, quae ignoratur, quî in vsum a subditis deducitur? Sola lex naturalis, quae a natura ipsa animis inserta est, externa publicatione non indiget. Publicatio autem legum humanarum ita facienda est, vt illae in notitiam populi, cui feruntur, facile possint peruenire. Et hinc praecipua cura haec fuit apud Graecos & Romanos, vt conditae leges tabulis, aut columnis inscriptae publice proponerentur, vt ita in omnium notitiam peruenirent.

§. II. Quod vero spectat ad ecclesiae canones, ii etiam canonica auctoritate in omnibus ecclesiis, pro quibus conditi sunt, debent publicari, vt ita facile ad omnium noti-

notitiam perueniant: quae publicandi ratio vſu antiquitatis probatur. Sane ſtatuta concilii Arelatenſis I., Nicaeni, Sardicenſis, Epheſini aliorumque in ſingulis eccleſiis & prouinciis publicata ſunt: quod veterum productis teſtimoniis Petrus de Marca *de C. S. & I. lib. II. cap.* 15. probatum dedit. Ipſae quoque pontificiae decretales in eccleſiis, pro quibus conditae erant, publicari ſolebant. Siric. papa *epiſt. ad Himerium Tarrac. cap. XV.* V. Petr. Couſtant *praef. ad epiſt. Roman. pontific. n. XLVII.* Publicatio autem decretalium duplici ratione fiebat, nam vel communicabantur cum epiſcopis in ſynodum coactis, vel ſingulis earum exempla mittebantur. Innocent. I. *epiſt. ad Alexandr. Antioch.*

§. III. Verum poſt multa ſaecula inualuit noua publicandarum decretalium ratio, qua tantum Romae publice proponuntur, eaque facta publicatione omnes etiam longe diſſitas eccleſias obligari, plerique doctores, praeſertim Itali, contendunt. Haec nouitas videtur excogitata ad eludendas ciuiles leges, quibus in pleriſque prouinciis cautum eſt, nouas decretales aliaque pontificia reſcripta non manifeſtari & in vſum deduci, niſi ex ciuilis poteſtatis adſenſu & auctoritate. At quum leges ita manifeſtari debeant, vt illi, quibus imponuntur, notitiam habere queant, qui canones & decretales vno loco publicatae etiam abſentes obligare poſſunt, praeſertim quod ad obligationem non ſufficiant incerti de earum publicatione rumores?

§. IV. Vt vero conditi canones & decretales rite & ordine in eccleſiis publicentur, & in vſum deducantur, praecedere debet ciuilis poteſtatis adſenſus; qui tum demum concedi ſolet, ſi inſtituto ex publica auctoritate examine conſtet, nihil inde inuehi, quod receptam diſciplinam inuertere & ciuitatem turbare queat (a). Obtinet regii

(a) Zegerus Bernardus van-Eſpenius *de publicat. legum eccleſiaſt. par. V. cap.* 1. poſt alios doctores regii adſenſus neceſſitatem extendit etiam ad bullas dogmaticas, illas nempe, quae de chriſtiana fide decernunt: non quod chriſtiana fides indigeat regia

regii huius adſenſus auctoritas in pleriſque catholicis provinciis, quamuis non vbique eodem nomine dicatur (*b*). In regno Neapolitano *regii exequatur* nomine venire ſolet, ſollemnique edita lege cauetur, non licere in regno reſcripta, bullas aliaue pontificia ſcripta publicari, niſi in ſcriptis regia auctoritate publicatio permittatur, *pragm. V. de citationib.* (*c*). Et quamuis Romani pontifices regium adſenſum publicationi & exſecutioni bullarum & reſcriptorum Romanorum praemittendum veluti ſacrilegum & libertati eccleſiaſticae aduerſum damnarint; tamen principes immoti nihil de iuribus ſuis imminui paſſi ſunt, conſtatque, pontificias bullas, quibus vſus regii adſenſus damnabatur, id effeciſſe, vt ille fortius conſtabiliretur. Atque ita iure publico cauetur, pontificias bullas

---

regia auctoritate, vt chriſtianos ad adſenſum adſtringat; ſed potius quod ex modo publicationis & formulis, quae bullis adiici ſolent, in rempublicam & eccleſiam incommodum aliquod poſſit imminere, veluti ſi contra minus credentes audientia inquiſitionis iudex ſtatuatur. Et hinc publici magiſtratus, dum eiuſmodi bullas expendunt, non chriſtianae doctrinae iudices & arbitri conſtituuntur; ſed potius iudicant de facto, expenduntque, num publicandi modus & adiunctae formulae praeſenti reipublicae ſtatui conueniant.

(b) Hiſpani verbo *iuris retentionis* vel *ſupplicationis*, Mediolanenſes verbo *pareatis* vtuntur. Et Belgae *placitum regium* dicunt.

(c) In Siciliae regno neceſſitas regii adſenſus in publicandis & in vſum deducendis bullis & reſcriptis pontificiis ab eo ferme tempore inualuit, quo regiones noſtrae in regni formam abierunt. Et licet in Siculo veſpere regnum in duo abierit; tamen neceſſitas regii adſenſus in regno Neapolitano etiam ſub Andegauenſibus ſtetit, & deinceps ſemper perdurauit: quin etiam latis legibus conſtabilita eſt, etſi Romani pontifices in hoc regno regium adſenſum maiori vi, quam in aliis prouinciis oppugnarint: qua de re auctor *hiſtoriae ciuilis regni Neapolitani lib. XXXIII. cap. 5.* multa habet. Similiter in regno Siciliae neceſſitas regii adſenſus integra ſtetit, receptaſque in eo regno regii illius adſenſus concedendi formulas Marius Curellus refert.

las aliosque canones non obligare, nisi ex regia auctoritate publicati fuerint.

§. V. Iam vero canones & decretales ad meram disciplinam pertinentes, tum videntur christianos obligare, si post publicationem rite factam ab ecclesiis recipiantur: quod Petrus de Marca *de C. S. & I. lib. II. cap.* 16., Franciscus Florens *diss. de orig. iuris canonici par. I.* aliique docent. Scilicet gladius spiritualis, quo potestas ecclesiastica armatur, non semper exserit vires suas, & in multis articulis potius in mera admonitione, quam in coactione consistit. Gregor. Nazianz. *in apologet.*, Chrysostom. *hom. III. in act. apostolor.* Quo fit, vt disciplina, quae liberas habet obseruationes, christianis inuitis obtrudi non debeat. Accedit auctoritas antiquitatis, vnde constat, multos etiam generalium conciliorum de disciplina canones ab ecclesiis non fuisse receptos, aut vim suam non habuisse, antequam recepti fuerint. V. Florent. *cit. dissert.* (*d*). Verum contra est de canonibus, qui fidem & morum doctrinam continent; hi enim consensu christianorum opus non habent, sed vi sua statim a publicatione omnes adstringunt, saltem pro ea parte, quae ad doctrinam & morum regulas spectat. Sunt nimirum ipsa euangelica doctrina clarius explicata, & aliquando poenis instructa.

§. VI. Ius autem expendendi, an canones de disciplina, siue a conciliis, siue a pontificibus conditi, vtiles vel parum conuenientes ecclesiis sint, ad eos pertinet, quorum interest, canonem ferri, aut non ferri, ideoque ad ecclesias siue synodos prouinciarum, siue episcopos & ceteros de clero, qui conuentibus ecclesiasticis solent interesse: quod multis antiquitatis exemplis constat. V. Petr. de Marca *loc. cit. cap.* 17. Eorum nempe est expendere, an canones sint ecclesiis vtiles, qui eas pro iure suo regunt & administrant.

§. VII.

(d) Ita distant sacri canones a legibus ciuilibus, quae vbi perlatae sunt, ciues etiam inuitos obligant. Subditis nimirum obsequendi gloria relicta est, vbi se & sua in vnius aut plurium imperium commiserunt.

§. VII. Non solum autem ecclesiis licet expendere nouos canones & decretales, antequam in vsum deducantur; sed regibus quoque ea sollicitudo maxime incumbit; idque quod canonum & ecclesiasticae disciplinae sunt defensores, & publicae tranquillitatis custodes & supremi moderatores. Et constat quidem, principes decreta synodalia expendere consueuisse, licet inquisitio diuerso modo procederet, prout vel de fide & iudiciis canonicis, vel de disciplina ageretur. Decreta fidei & canonica iudicia expendebantur extraordinaria inquisitione, tantum vt innotesceret, an synodi in hoc rerum genere rite & iure cognouissent; de fide enim & canonicis iudiciis disquirere tantum episcoporum est. Contra, canones exterioris disciplinae, quibus ritus sacramentales non continentur, maturo examine principes discutiebant: tales enim canones res ciuiles saepe contingunt, & aliquando negotiis eam formam tribuunt, quae publicae tranquillitati & receptis moribus aduersatur (*e*). V. Petr. de Marca *de C. S. & I. lib. II. cap.* 10. *n.* 9.

C A P V T IV.

De legibus principum circa res ecclesiasticas.

§.I. DE rebus sacris etiam saeculi principes leges condunt, quas cum canonibus collectores suis codicibus inseruerunt. Quapropter merito videndum, quam vim habeant de rebus sacris principum constitutiones. Quamuis apud gentes sollemne fuerit religionis & reipublicae curam vni eidemque personae demandari; tamen apud

(e) Ipsae synodi dum editos de disciplina canones principibus confirmandos offerebant, eos aliquando rogabant, vt quae minus recta viderentur, emendarent: quod ex litteris concilii Moguntini ad Carolum M. & litteris concilii Cabilonensis II. ad eumdem Carolum datis constat.

apud christianos ea duo inter se distincta sunt, & totidem constituunt regimina, a se inuicem non pendentia, *sacerdotium* nempe, & *imperium*, quorum hoc temporalibus & ciuitati, illud religioni & ecclesiae praeest. Quae distinctio ex Christi seruatoris instituto nata, auctoritate & exemplis apostolorum consecrata est, inde a patribus semper inculcata, & ab ipsis principibus christianis adgnita & probata est. V. Petr. de Marca *lib. II. de C. S. & I. cap.* 1. (*a*).

§. II. Quamuis autem ecclesiae & religionis administratio cohaereat sacerdotio; tamen christiani principes etiam in res ecclesiasticas habent potestatem, non quidem iure sacerdotii, sed iure ciuitatis, quatenus ad eos pertinet ecclesiam & religionem, quae externa vi destituitur, tueri. Vix est, vt respublica sine religione stet, & conseruetur; si enim demas numinis omnia moderantis metum & in altera vita etiam punientis, ciuiles leges homines in officio difficile continebunt. Quapropter antiqui populorum ductores congressus cum diis fingebant, vt eorum nomine latae leges acceptiores & firmiores essent. Et

(a) Verum huic ecclesiae doctrinae non per omnia conueniunt recentiores haeretici; sacerdotio enim tantum tribuunt verbi praedicationem & sacramentorum administrationem; ecclesiae vero externum regimen ad saeculi principes spectare contendunt, idque ne respublica in republica nascatur, dum duo ponuntur capita a se inuicem non pendentia: quemadmodum post alios sectarios Io. Franc. Buddeus *lib. V. theol. dogm. cap.* 4. §. 26. ratiocinatur. Nam eorum non moror sententiam, qui principibus episcopatum tribuunt, adeo nempe doctrina ista indoli christianae religionis aduersatur. Sed non ex eo, quod sacerdotium & imperium a se inuicem non dependent, in monstrum biceps euadit respublica: etenim quamuis ecclesia & respublica ex iisdem hominibus coalescant; tamen veluti corpora distincta habenda sunt propter varios, ad quos diriguntur, fines: & hinc fit, ne duo capita sint in republica; nam qui ecclesiae praesunt, tamquam ciues spectati, pars ciuitatis sunt, & ciuili potestati subiacent: contra ipsae summae potestates tanquam christiani & in iis, quae ad religionem spectant, pars ecclesiae sunt, & sacerdotio subiecti.

Et deinde non pro se quisque tantum, sed & pro mandata sibi potestate Deo seruire debet, vt perspecte Grotius *de iure belli ac pacis lib. II. cap.* 15. obseruat. Hinc ad principum officium certe spectat ecclesiam & religionem tueri, vt etiam respublica firmior euadat, & turbae, quae ex caussa religionis oriri possunt, cohibeantur. Ad rem Augustinus *lib. III. contra Cresconium cap.* 51., *in hoc reges, sicut eis diuinitus praecipitur, Deo seruiunt, in quantum reges sunt, si in suo regno bona iubeant, mala prohibeant, non solum quae pertinent ad humanam societatem, verum etiam quae ad diuinam religionem*. Ex qua doctrina manauit illud Isidori, debere principes rationem Deo reddere etiam propter ecclesiam, quam a Christo tuendam susceperunt, *can.* 20. C. 23. *q.* 5.

§. III. Hoc autem iure tuitionis christiani principes semper vsi sunt, & ecclesiae matri semper fuerunt adiutorio, siue eius iudicia vi exsequentes, siue synodos indicentes, & locum synodis habendis dantes, siue haereticorum turbas cohibentes. Praesertim vero eluxit principum christianorum in ecclesiam obsequium in legibus promulgandis, quibus fidem & disciplinam ab ecclesia explicatam, aut statutam confirmarunt, poenis ciuilibus subinde adiunctis: cuius generis leges apud omnes christiani nominis gentes occurrunt. Quin saepe principes vltra processerunt, & mentem canonum aliquibus additionibus suppleuerunt, quo nomine Ioannes Scholasticus Iustinianum commendat apud Petrum de Marca *de C. S. & I. lib. II. cap.* 11. Legibus vero ciuilibus canones ciuile robur consequuntur, & *νομοκανονες* fiunt, seu sacrae regulae simul & leges, quibus ecclesiastica disciplina nititur & regitur. Et hinc qui in canones per leges confirmatos peccant, duplici se crimine adstringunt, quatenus ecclesiasticam & ciuilem laedunt potestatem.

§. IV. Sed praeter leges in fidei & disciplinae confirmationem conditas, principes pro iure suo leges iubent, quae eo ipso, quod ad rectum ciuitatis regimen spectant, politiam ecclesiasticam constituunt. Exemplo esse potest Constantini M. lex de non ordinandis curialibus, *L.* 3. *C. Th. de episc.* Erant *curiales*, qui curiae seu collegio curialium adscripti, ad onera patriae suae vna cum bonis suis

erant

erant adſtricti: & quoniam per clericatum onera iſta declinabantur, ne curiales clerici fierent, ſancitum eſt. Sane eccleſia nata eſt in republica, non contra: & ita poſſunt principes de externa diſciplina, quae ad ritus ſacros non ſpectat, diſponere, ne reſpublica damnum ſentiat (*b*). Et in hac cauſſa canones in legum conſequentiam feruntur, vt e contrario in rebus fidei & ritibus ſacramentalibus leges in canonum conſequentiam promulgantur.

CAPVT V.

De iure canonico veteri & codicibus, quibus continetur.

§. I. TRes veluti aetates iuris canonici Occidentalis ſtatui poſſunt, quarum prima *ius canonicum vetus*, altera *nouum*, tertia *nouiſſimum* continet. Ius vetus canones per octo plus minus ſaecula ab eccleſia conditos ſiſtit, complectiturque puriorem eccleſiae diſcipli-

(b) Hiſce limitibus incluſa regum de rebus ſacris poteſtas ſummo cohaeret imperio. Sed negari non poteſt, quandoque eos ius tuitionis egreſſos, iura ſacerdotum vſurpaſſe & de ipſa fide contra eccleſiae doctrinam ſtatuiſſe. Eo nomine notatur Heraclius imperator, qui *ἔκθεσιν* ſeu formulam promulgauit, quae habebat, ne quis vnam, aut duas in Chriſto operationes confiteretur, & quae vnam in Chriſto voluntatem ex placitis Monotheletarum adſerebat.

Iam principum edicta contra fidem & diſciplinam interiorem, qua ritus ſacramentales conſtituuntur, omnino nulla ſunt, & ab eccleſia ſemper reiecta. At quid ſi leges principum canonibus de exteriori diſciplina aduerſentur, aut aliquid libertati chriſtianae aduerſum continere videantur? Vetus eccleſia in his cauſſis conſueuit principes exorare, vt ipſi leges ſuas reſcinderent. Conc. Chalced. *act.IV.*, Gregor. M. *lib. II. ep.62. vet. edit.* Quod indicat, legibus iſtis vim conſtitiſſe ſuam.

nam : nouum exhibet disciplinae mutationem, & originem ducit a falsis decretalibus, quas Isidorus Mercator siue Peccator in ecclesiam inuexit; continetur vero collectione falsi istius Isidori, aliisque nouis collectionibus, praesertim Concordia Gratiani & sequentibus decretalium compilationibus. Et demum nouissimum exhibet quidquid in conciliis & a Romanis pontificibus post editos decretalium codices in re ecclesiastica constitutum est.

§.II. Vsus redigendorum canonum in codices ab auctis numero canonibus originem habet: nec enim facile erat synodorum acta versare ad eos ediscendos. Sunt eiusmodi codices duplicis generis, nam vel temporum ordinem sequuntur, vel materiarum. Qui temporum ordinem sectantur, exhibent canones per continuam seriem numerorum eo ordine, quo a patribus conditi sunt; sed qui sequuntur ordinem materiarum, in certa capita tribuunt vniuersam materiam, & sub singulis capitibus de vna re tractantes canones collocant. Materiarum vero ordo non semper est idem; nam aliae collectiones canones integros, aliae tantum summas & breuiationes continent: nec desunt codices, qui cum canonibus leges ciuiles, quae de rebus sacris statuunt, habent admistas, dicti proinde *nomo-canones*.

§. III. Iam vero celebriores ecclesiae olim proprium canonum codicem habuerunt, in quem praeter canones generalium synodorum coniecti erant peculiares locorum canones, & quotquot ab aliis ecclesiis recipiebant. Ante saeculi quinti medietatem habebat Orientalis ecclesia vno codice canones, quibus vtebatur, comprehensos; synodus enim Chalcedonensis potius ex codicis consequentia, quam ex ipsis conciliis canones recitauit. Continebat vero codex iste canones duarum synodorum generalium, Nicaenae nempe & Constantinopolitanae, & quinque particularium, Ancyranae scilicet, Neocaesariensis, Gangrensis, Antiochenae & Laodicenae, perpetua numerorum serie & seruato ordine temporum digestos, exceptis canonibus Nicaenis, qui in tantae synodi reuerentiam omnibus praepositi sunt, quamuis Ancyranis & Neocaesariensibus posteriores.

§. IV. Publico ecclesiae Orientalis vsu, nullis factis accessio-

acceſſionibus, ita inſtructus codex diu ſtetit. Sed ineunte fortaſſe ſaeculo ſexto alii canones per temporum conſequentiam acceſſerunt, veluti octoginta quinque canones apoſtolis tributi, item canones Sardicenſes, tres poſteriores concilii Conſtantinopolitani, (in veteri codice tres tantum deſcripti erant) item canones Epheſini, & viginti ſeptem concilii Chalcedonenſis. V. Beuereg. *prolegom. in pandect. canon. n. IX.* Acceſſerunt etiam ſaeculo ſeptimo canones Carthaginienſes & concilii Conſtantinopolitani ſub Nectario habiti, multorum quoque Graecorum patrum epiſtolae canonicae, & vnus canon ex concilio ſub Cypriano in cauſſa baptiſmi ab haereticis collati editus: quae omnia ſynodus Trullana *can. II.* recenſet. Et porro deinceps acceſſerunt canones ſynodorum Trullanae & Nicaenae II., itemque canones conditi in duobus conciliabulis, quae Photius Conſtantinopolitanus patriarcha celebrauit. Ita auctus codex etiam temporis ſeruabat conſequentiam, ſed deinceps inter Photii & Zonarae aetatem temporum conſequentia mutata eſt: nam concilia omnia generalia ſecundum ordinem temporum ſimul collocata ſunt, inde eorum ordine ſequuntur particularia, quae ordine ſuo patrum opuſcula excipiunt (*a*). Exhibet codex iſte vniuerſam ferme Graecorum rem canonicam, nullisque ſpuriis laborat monumentis (*b*).

B 2 §. V.

(a) Sequitur codex iſte canonum Graecorum temporis conſequentiam; at collectio Ioannis Scholaſtici, qui imperante Iuſtiniano floruit, ſecundum materias adornata eſt. Videns nimirum Ioannes, plures exſtare ad eamdem rem pertinentes canones diuerſis locis collocatos, e re eccleſiaſtica eſſe iudicauit, ſimiles ſimilibus adiungere & ſub propriis titulis collocare. Atque haec Scholaſtici collectio ſub nomine *concordiae canonum* a Nicolao pontifice indicatur, *can. vlt. D. 16.* Et ipſe Scholaſticus ex hac ipſa collectione inde *νομοκανονα* ſuum concinnauit.

(b) Codex iſte canonum Graecorum ſub titulo Συνοδικον ſiue *Pandectae canonum* Graece & Latine editus eſt Oxonii anno CIↃIↃCLXXII. curante Guilielmo Beueregio, qui, vt opus daret abſolutiſſimum, Balſamonis, Zonarae & Ariſteni commentaria inſeruit, & de ſuo prolegomena & eruditas obſeruationes adiecit.

§. V. Habent praeterea Graeci duos νομοκανονας, seu collectiones, quae leges canonibus collatas complectuntur. Eorum vnum Ioannes Scholasticus aetate Iustiniani, alterum Photius concinnauit. Et Scholasticus quidem canonum in vnoquoque titulo sententiam expressit, inde integra legum capita ex codice & praesertim Iustiniani nouellis petita, quibus canones confirmantur, subiecit. Photius vero sub singulis capitibus indicat canones expressa sententia, & porro expressa sententia leges laudat. Sed Photii νομοκανον est veluti compendium totius iuris canonici Orientalis, tantique fit a Graecis, vt omnibus collectionibus etiam ipsi codici canonum illum praemittere soleant.

§. VI. Suis quoque canonum codicibus celebriores Latinae ecclesiae olim vtebantur. Et Romana quidem suum canonum codicem habuit, in quo primum tantum Nicaeni canones latinitate donati & Sardicenses perpetua serie digesti & praefixo concilii Nicaeni nomine collocati videntur (*c*). Inde canones in concilio Chalcedonensi conditi & confirmati itidem in Latinum versi accesserunt, exceptis canonibus concilii Constantinopolitani, vnoque Chalcedonensi, quibus ecclesiae Constantinopolitanae praerogatiua in tres dioeceses statuebatur (*d*). Quicumque vero fuerit

(c) Sane Innocentius I. *epist. ad Theophilum Alexandr.* professus est, ecclesiam Romanam non alios a Nicaenis canones adgnoscere: & interim saepe ad canones Sardicenses prouocauit: quae non alia ratione componi possunt, quam si dicatur, canones Sardicenses Romae perpetua cum Nicaenis serie & praefixo concilii Nicaeni nomine fuisse digestos. Et reapse plures exstant veteres canonum collectiones, in quibus canones Sardicenses Nicaenis perpetua serie & praefixo concilii Nicaeni nomine subduntur. Hinc intelligitur, cur Romani pontifices obiectis canonibus Sardicensibus sub nomine Nicaenorum appellationes ab Africanis ecclesiis ad ecclesiam Romanam inuehere adlaborarunt. Et profecto iniuria ab haereticis recentioribus exprobratur, Zosimum pontificem Nicaenos canones scientem prudentem corrupisse, vt appellationes a synodis Africanis ad sedem Romanam propugnaret & induceret.

(d) Ita concinnatus vetus ecclesiae Romanae codex num hodie

fuerit codex iste Romanus, potius priuato studio, quam pontificum auctoritate videtur concinnatus, & interpretationem canonum Graecorum obscuram & summa confusione inuolutam exhibebat, vt Dionysius Exiguus *praef. in cod. canon.* testatur.

§. VII. Confusione priscae translationis optimi quique offensi nouam & sinceriorem exoptabant Graecorum canonum interpretationem. Hinc nouum canonum codicem ineunte ferme sexto saeculo Dionysius Exiguus (e), natione Schytes, sed moribus & lingua Romanus, perfecit, in quo Graecos canones sinceriore versione editos dedit. Coniecit in suum codicem Dionysius seruato temporum ordine quinquaginta priores canones apostolicos, canones, qui tum in Graeco codice exstabant, item Chalcedonenses, Sardicenses & Africanos (f). Quibus omnibus pontificum Romanorum a Siricio vsque ad Anastasium II. statuta decretalium addidit: idque merito, nam decretalibus pontificiis etiam res ecclesiastica regebatur. Hinc duas partes codex Dionysianus continet, quarum prima canones, altera decretales exhibet. Elaboratus quidem fuit codex iste priuato studio, at vsu ecclesiae Romanae statim receptus est,

die exstet & qualis sit, inter viros doctos non conuenit. V. *comment. nostra de iure canon. in proleg. cap. V.*

(e) Plerique docent, Dionysium *Exigui* cognomine dictum fuisse ob corporis paruitatem. Sed magis est, de more monachorum & ob summam, qua pollebat, humilitatem cognomen illud sibi adoptasse: quae est elegans Caroli Blasci coniectura.

(f) Canones Africani apud Exiguum referuntur sub hac inscriptione, *synodus apud Carthaginem Africanorum*, constatque haec collectio canonibus conciliorum Africanorum, qui perpetua numerorum serie decurrunt. Quis vero huius collectionis auctor fuerit, inter doctos disputatur. Sed in compertis esse videtur, collectionem istam canonum Africanorum esse purum putum Dionysii Exigui opus, qui illud decerpsit ex actis sextae synodi Carthaginiensis, & ea ratione concinnauit, vt suo codici apte conueniret: quod Petrus de Marca *de veterib. collectionib. canonum cap. IV.* contendit, & Petrus Coustantius *praef. ad epist. Romanor. pontif. n. CX. & seqq.* fusius & solidius propugnauit.

teste Cassiodoro *diuin. lection. cap.XXIII.*, magnique etiam fuit in aliis Occidentis ecclesiis, & tempore Caroli M. non sine additamentis & mutationibus in Galliis etiam probatus & admissus est.

§. VIII. Suos proprios canonum codices etiam habuerunt reliquae Occidentis ecclesiae, veluti Africana, Hispaniensis, Gallicana: quod multis probat Espenius *comm. in canones iur. vet. post. edit.* Et codex quidem canonum Africanus anno CCCCXIX. in plenaria synodo Carthaginiensi conditus videtur ex canonibus Nicaenis & synodis Africanis, quae post Nicaenam synodum vsque ad eum annum celebratae erant, itemque ex ipsius plenariae Carthaginiensis synodi canonibus (g): quae collectio deinceps canonibus posteriorum synodorum sub Aurelio habitarum locupletata est. Codex ecclesiae Hispaniensis an.IↃLXIII., quo synodus Bracarensis I. celebrata est, iam erat elaboratus, creuitque deinceps multis accessionibus. Amplissima certe collectio in duas partes tributa, quarum prima canones conciliorum, quae olim in ecclesia celebrata fuerant, altera summorum pontificum decretales complectebatur. V. Constant. *praefat. ad epist. Roman. pontif. n. CXLI.* Et demum in ecclesiis Gallicanis erant varii codices canonum, quorum vnum aut alterum aliae atque aliae ecclesiae adhibebant: quod Iac. Sirmondus *praef. ad conc. antiq. Galliae* obseruauit. Stetit varietas ista codicum in ecclesiis Gallicanis vsque ad Carolum M., a cuius aetate

(g) Mos erat apud Afros, synodorum anteriorum canones in posterioribus repetere & gestis inserere: in qua repetitione antiqui canones confirmari solebant, aliquibus aliquando adiectis, aut detractis, idque frequenter sine praecedentium synodorum, in quibus primum fuerant constituti, mentione. Id etiam factum in plenaria synodo sexta Carthaginiensi anno CCCCXIX. celebrata ad caussam appellationum ad summum pontificem tractandam. Atque hinc magna nata est confusio in canonibus Africanis: etenim iidem canones in diuersis conciliis reperiuntur, & nunc vni, nunc alii synodo adiudicantur, adeo vt saepe non facile discerni possit, qua in synodo hic vel ille canon conditus fuerit.

te codex Dionysianus sensim in Gallia receptus est (*h*).

§.IX. Interpretatio Latina canonum Graecorum, quae in Hispania obtinebat, & interpretis vitio & librariorum negligentia, & obscura & parum sincera visa est. Ergo Martinus Bracarensis nouam collectionem ex Graecis synodis dedit, in qua facili methodo, quae clericis & laicis vtiliora videbantur, Latina dictione complexus est. Sed hoc nouo opere verbis Graecis Martinus non adhaesit, sed quae obscura videbantur, latius diduxit, alia omisit, alia mutauit, & alia ipse de suo adiecit, prout disciplinae in Hispania obtinenti vtilius esse duxit (*i*). Omnia capitula ex canonibus Orientalibus hausta ipse Martinus profitetur: & tamen nonnulla ex synodis Hispaniensibus & Africanis depromta sunt: & sunt porro non pauca, quae vnde desumta sint, non constat.

§. X. Porro sexto saeculo in Africa Fulgentius Ferrandus, diaconus Carthaginiensis, *Breuiationem* seu *indiculum canonum* edidit, vbi vniuersam ferme canonicam disciplinam ad certos titulos redegit, singulisque titulis de vna eademque re tractantes canones indicauit, non integros retulit. Cresconius quoque Africanus episcopus in vsum ecclesiae Africanae exeunte saeculo septimo canonum nouum codicem edidit sub titulo *Concordia canonum*. Exhibet concordia ista disciplinam canonicam in certos titulos tributam, sub quibus integri canones & pontificum decretales, quae ad vnam eamdemque materiam pertinent, collocantur & disponuntur. Concordiae praefixit

(h) De hisce veteribus codicibus canonum, ecclesiae nempe Africanae, Hispaniensis & Gallicanae plura diximus in *proleg. comment. de iure canon. cap. V.* §. 26. *& seqq.*

(i) Hoc consilio Martinus canonibus Graecis aliquando falsam sententiam tribuit, cuius rei canon IX. Ancyranus exemplum praebet. Nimirum permittit hic canon diaconis, qui in ordinatione protestantur, se sine vxoribus viuere non posse, vxorem ducere, *propterea quod episcopus eis licentiam dederit*. At Martinus *cap. XXIX.* in contrariam sententiam canonem detorsit, quasi statuerit, non ordinari diaconum, qui testetur, se in castitate viuere non posse.

fixit Crefconius *Breuiarium canonicum*, quo veluti in tabula totius operis fummaria & capita continentur.

CAPVT VI.

De iure canonico nouo eiusque codicibus.

§.I. Sequitur ius canonicum nouum, quod ineunte nono faeculo exortum, eundo fic excreuit, vt ferme totius veteris difciplinae faciem in ecclefiis Occidentis immutarit. Inualuerunt hae nouitates non expreffa ecclefiae voluntate, fed hominibus nequam occafionem praebentibus, qui communi ignorantia abufi, fub larua venerandae antiquitatis ex integro confiĉta vulgarunt monumenta, aut genuina multis adfutis laciniis confpurcarunt. Sane initio noni faeculi in Germania, quae tum in Galliis veteri defcriptione cenfita erat, prodiit noua canonum collectio fpuriorum & interpolatorum monumentorum inftructiffima, cuius auctor Ifidorus quidam Mercator, feu potius Peccator, vt habent vulgatae conciliorum editiones. Quis vero fuerit Ifidorus ifte Peccator, in tanta antiquitatum ecclefiafticarum luce adhuc ignoratur (a).

§. II. Fictitia monumenta a Peccatore relata maximam

(a) Medio nono faeculo credebant epifcopi Gallicani, Ifidorum Mercatorem effe Ifidorum Hifpalenfem, cuius eruditio & fanctitas ea aetate magni fiebant. *Ifidorus Hifpalenfis epifcopus*, inquit Hincmarus Remenfis *ep. VII. cap.* 12., *collegit cum epiftolis Romanae fedis pontificum a S. Clemente vfque ad fanctum Gregorium*. Sed fordes verborum, quae aliquoties in fictitiis monumentis occurrunt, & concilia Ifidoro pofteriora, quae a Mercatore laudantur, aut referuntur, aperte arguunt, tanti facinoris auctorem non effe Ifidorum Hifpalenfem, qui eo certe non proceffiffet, vt tot fpuria monumenta pararet in ecclefiafticae difciplinae perniciem.

mam partem Romanis pontificibus adſcribuntur : etenim decretales pontificum a diuo Clemente ad Siricium ferme omnes ſunt adulterinae : ſequentium vero pontificum multae decretales ſunt genuinae , inter quas tamen permultae ſuppoſititiae interiiciuntur . Sed ex ipſis genuinis decretalibus aliquas Peccator interpolauit , & adſutis laciniis conſpurcauit (*b*). Fictitia vero iſta monumenta ex veterum verbis & ſententiis Mercator vt plurimum conſarcinauit , quod indicat, eum fuiſſe virum, prout tempora ferebant , ſatis doctum . Sed ipſa veterum fragmenta in rem ſuam vertens aliquando interpolauit , ſi quando animaduertit , illa pontificibus, quorum nomen mentiebatur, non conuenire .

III. Iam vero fictitiae decretales in multis articulis exhibent diſciplinam a veteri multum diuerſam ; at duo praecipua ſunt , in quibus diſcrimen iuris veteris & novi continetur : quod Petrus de Marca *de C. S. & I. lib. III. cap. 6. n.* 1. obſeruat. Vnum , vt nulla ſynodus



(b) Non conuenit inter doctos, qua ratione , quoue conſilio falſus Iſidorus tot fictitias decretales conſarcinarit . Petrus de Marca *de C. S. & I. lib. III. cap. 5. n.3.* ſuſpicatur , falſas decretales fuiſſe confictas ad reſtaurandam tum laborantem in in Galliis Romani pontificis auctoritatem . Contra Dupinus & Eſpenius tenent , Peccatorem falſis decretalibus ſpectaſſe ad ampliandam , conculcatis iuribus ſynodorum prouincialium , ſedis apoſtolicae auctoritatem , praeſertim in excutiendis & definiendis epiſcoporum cauſſis . Et vt alios mittam, Fleuryus tanti facinoris conſilium id fuiſſe opinatur , vt epiſcopi & clerici accuſati & oppreſſi , quorum tempore Mercatoris magna copia erat , maioris auctoritatis fulcro ſuſtinerentur . Sane ipſe impoſtor eam prouinciam in praefatione ſuſcepiſſe profitetur , vt epiſcopis & clericis accuſatis & oppreſſis ſuccurreret . At ſi id impoſtor ſpectauit , vna opera etiam pontificis auctoritatem ampliare videtur voluiſſe. Qui enim vt epiſcopis accuſatis auxilio eſſet ; toties inclamat , non poſſe epiſcopos inconſulto pontifice damnari , nec ſynodos prouinciales ſine eius adſenſu haberi ; is procul dubio videtur vna fidelia duos parietes voluiſſe dealbare, hoc eſt & epiſcopis accuſatis auxilio eſſe , & pontificis iura vltra fines a patribus poſitos producere .

dus prouincialis episcoporum criminales caussas inconsulta sede apostolica definiat: alterum, vt nulla synodus praeter illius sedis auctoritatem celebretur: quae duo ad nauseam vsque inculcant falsae decretales. Nouitates vero, quas exhibent falsae decretales, ad solam disciplinam spectant; nam alias illae nihil rectae fidei & bonis moribus aduersum continent.

§. IV. Principio decretalibus Isidorianis multum detulerunt Gallicani antistites, veterum pontificum nomine perstricti: nec enim in summa illius aetatis ignorantia falsariam manum adgnouerunt. Sed inde iis denegarunt canonicam auctoritatem duabus rationibus: nimirum quod decretales istae non essent *in codice canonum*, Dionysiano scilicet: & quod iis per sequentes canones in multis articulis derogatum esset. Hisce rationibus Gallicani antistites Romanis pontificibus, falsas decretales propugnantibus (c), restitere, quod experientia edocti erant, nouarum decretalium admissione iura episcoporum periclitari, in primis vero non posse synodos prouinciales inconsulta sede apostolica episcopos deponere, nec aliquod concilium sine consensu pontificis posse celebrari. Sed deinceps perturbato statu ciuitatis Gallicani antistites in synodo Remensi anno ıↃccccxcıı. celebrata in caussa Arnulphi archiepiscopi falsarum decretalium auctoritatem adgnouerunt: & falsus Isidorus in omnes Occidentis ecclesias penetrauit, vbi eius putidae merces tamquam genuinae receptae sunt. Et ita in multis articulis mutata ecclesiastica disciplina & inuersa episcoporum iura. V. Coustant. *praef. in epist. Roman. pontif. n.*157. Verum in ecclesiam Orientalem putidae Isidorianae merces non intrarunt.

§. V. Impostura falsi Isidori per multa saecula latuit; sed

(c) Quamuis Nicolaus papa, falsas decretales contra episcopos Gallicanos tuendas susceperit; tamen certum est, eas insciis pontificibus fuisse consarcinatas. Sane aetate Leonis ıv., qui anno ıↃcccxlvıı. ad Petri cathedram euasit, ignotae erant Romae falsae decretales, *can.*1. *D.* 20. Et si illas Nicolaus papa graui scripta epistola propugnarit, *can.* 1. *D.*19., id bona fide fecit, quod crederet genuinas esse.

sed vbi studia bonarum artium in Occidente nouam faciem induerunt, sensim detecta est (*d*), conuenitque hodie inter criticos, Isidorianas decretales omnino esse suppositicias. Et quamuis Franc. Turrianus in iis tuendis eruditionem suam demonstrauerit; non tamen obtinuit, vt in suam sententiam aliquis eruditorum iret. Contra eum scripsit improbum opus Dauid Blondellus Caluinianus, cui nomen fecit *Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes.* Detecta quidem est impostura, at non simul sublata, quae inde emersit, disciplina (*e*). Illud interim verum est, detecto Mercatore nihil de dignitate Romanae sedis decessisse; legitima enim pontificis iura non tali auxilio indigent, non defensoribus istis.

§. VI. Argumenta autem, quae demonstrant, decretales Siricio antiquiores, opera Mercatoris in scenam productas, esse supposititias, tam aperta sunt, vt mirum sit, imposturam tamdiu latere potuisse. Sane earum non meminerunt octo priores synodi oecumenicae, non ipsi Romani pontifices octo priorum saeculorum, non Hieronymus aliique veteres patres, non Dionysius Exiguus, qui superiorum Romanorum pontificum decreta, qua valuit cura

(d) Circa tempus concilii Basileensis Cardinalis Cusanus *de concord. cath. lib. III. cap.* 2. nonnullas Siricio antiquiores decretales ita exagitauit, vt ceteras omnes redderet suspectas. Inde post Georgium Cassandrum multi ex catholicis imposturam adgnouerunt, & alii magnis argumentis impugnarunt, in primis Antonius Contius, vt mittam Baronium aliosque, qui saltem vt suspectas traduxerunt. Interim vero quum permulti catholici in controuersiis cum Lutheranis & Caluinianis ad decretales Siricio antiquiores prouocarent; atque haeretici responderent, eas esse figmentum Mercatoris ad augendam summi pontificis potentiam excogitatum; diligentius in illas inquisitum est, & tandem communi eruditorum calculo conclusum, pseudepigraphas esse & adulterinas & posteriore aetate consarcinatas.

(e) Dum critici ad apocrypha ablegant Siricio antiquiores decretales, id tantum de relatis a Mercatore intelligunt: nam & primi pontifices multas decretales reapse scripserunt, illas nempe, quas veteres scriptores meminerunt, aut alias constet esse genuinas.

cura & diligentia, collegit, nec quisquam alius ante nonum saeculum scriptor. Porro decretales istae vbique exhibent suppositionis indicia: scripturam sacram laudant ex Hieronymi versione: habent sententias ex C. Theodosiano & Iustiniani constitutionibus desumtas: & ex fragmentis veterum scriptorum, qui post Siricium floruerunt, aperte apparent consarcinatae. Item de rebus & statu eorum temporum, quibus scriptae circumferuntur, ne vnum quidem verbum habent: contraria continent antiquis canonibus: & omnes eodem stilo, eoque barbaro, qui primis ecclesiae saeculis minime conuenit, exaratae sunt. Paucis. Antiquiorum pontificum nomen tantum praeferunt: cetera posteriorem redolent aetatem. V. Nat. Alexandr. *diss. XXI. in* 1. *saecul.* & Petr. Coustant. *praef. in epist. Roman. pontif. n. CLIX. seqq.* (f).

§. VII. Ad ius canonicum nouum spectant regum Francorum *Capitularia*, quae erant leges in comitiis regni conditae, ad reipublicae & ecclesiae regimen pertinentes; dictaeque sunt *capitularia*, quod per capitula seu capita erant digestae. Comitia regni ex episcopis, comitibus & aliis regni ordinibus constabant. Verum in iis, quae spectabant res mere spirituales, laici, qui in hisce synodis intererant, partem non habebant: nam ad res spirituales statuendas, seorsum a ceteris ordinibus episcopi & abbates conueniebant, quod tradit Hincmarus Remensis *ep. III. cap.* 35. Condita ab episcopis de rebus ecclesiasticis capitularia, inde principis auctoritate confirmabantur; atque ita vim nomo-canonis adquirebant. Obtinuit capitularium auctoritas & in Gallia & in Italia. V. Steph. Balut. *praef. in capitul.* Studio Ansegisi abbatis & Benedicti Leuitae capitularia praesertim Caroli M. & Ludouici Pii nono saeculo in septem libros abierunt, quorum priores quatuor

(f) Ex eadem officina, qua falsae decretales, videntur prodiisse capitula, quae sub Hadriani papae nomine ad Angilramnum episcopum Metensem data sunt, quod Ballerinii fratres *de veterib. collectionib. canon. par. III. cap.* 6. docent. Saltem ex falsis decretalibus desumta sunt.

tuor Anſegiſo, reliqui tres Benedicto debentur: quibus inde quatuor appendices acceſſerunt.

§. VIII. Poſt editas falſas decretales multi condiderunt canonum collectiones. Et in primis Regino monachus Benedictinus in vſum Germanorum, Burchardus vero in vſum eccleſiae Wormatienſis per materias canones collegerunt (*g*). Item exeunte ſaeculo vndecimo Iuo Carnotenſis, vir pietate & peritia canonum inſignis, duas edidit collectiones per materias, quarum vnam ampliorem vulgo dicunt *Decretum Iuonis*, alteram breuiorem ipſe auctor *Panormiam* appellauit Qui ex genio Latini ſermonis *Pannomiam* potius appellatam voluiſſent (*h*), ad ſaeculi ruditatem non attendunt.

§. IX. Fuerunt & alii, qui poſt mentitum Iſidorum canonibus colligendis vacarunt (*i*), ſed, iis omiſſis, tranſeamus ad codioes, qui a multis ſaeculis receptum ius canonicum exhibent. Et hi quidem codices ſunt numero quinque, *Decretum Gratiani*, *Decretales Gregorii IX.*, *Sextus*

(g) Nomen Burchardi Itali & Galli in *Brochardum* deflexerunt: & inde factum, vt quae ex eo in compilationem Gregorianam dimanarunt, tamquam ex *Brochardo* vel *Brocardico* proponantur.

(h) Scilicet *Panormia* vox ibrida eſt, vtpote quae ex Graeca & Latina voce coaleſcit: & voces ibridae Latinis auribus ſunt ignotae.

(i) Generatim de canonum collectionibus, quae poſt Mercatorem ad Gratianum vſque emerſerunt, ſiue editae, ſiue ineditae ſint, obſeruarunt viri docti, eas nihil aliud continere, quam antiquarum collectionum capita, alio tamen ordine diſpoſita, & modo breuius, modo fuſius expreſſa, & plus minus apocryphis monumentis abundare, tantumque de nouo exhibere canones, qui cuiuſque collectoris aetati reſpondent. Sic erant huius mediae aetatis homines comparati, vt alieno ſcribere & cogitare ingenio, quam ſuo mallent: quod Petrus Couſtantius *praef. ad epiſt. Romanor. pontific.* recte obſeruat. Illud magis dolendum, quod nouis ſuis elucubrationibus nouos errores addiderunt, & canonicam diſciplinam fecerunt implicatiorem. Ceterum eiuſmodi omnes mediae aetatis ante Gratianum collectiones Ballerinii fratres *de veterib. collect. canon.* enarrant.

tus decretalium, *Clementinae* & *Extrauagantes*. Vt a primo exordiar, Gratianus monachus Benedictinus circa saeculi decimi secundi medium nouam noua methodo edidit canonum collectionem ; sane non meros canones collegit, quod hactenus reliqui collectores fecerant, sed ad certas propositas materias & quaestiones in vtramque partem canones aliaque veterum fragmenta, quae inter se contraria videbantur, congessit, eaque adiectis propriis obseruationibus in concordiam studuit reuocare. Hinc factum nomen operi *Concordia discordantium canonum*, quamvis vulgo *Decretum Gratiani* dici soleat.

§. X. Iam Concordiam suam in tres partes Gratianus partitus est, quarum primam personis, alteram iudiciis, tertiam rebus ecclesiasticis addixit. Quae partitio non est improbanda: sed dum particularia persequitur, adeo confusione laborat, vt qui quaerit in Gratiano ordinem, venetur in siluis delphinos, in fluctibus apros, quod Io. Molinaeus recte videtur obseruasse (*k*). Primam & tertiam partem Gratianus tribuit in distinctiones, quod ferme adhibitis distinctionibus canones in concordiam reuocare studeat; tertiam vero, vt a prima distingueret, *de consecratione* inscripsit: secundam vero partem diuisit in *caussas*, seu species, vnde varias elicit quaestiones, quibus canones subnectit.

§. XI. Fragmenta ad hoc opus consarcinandum Gratiano suppeditarunt sacra scriptura, canones omnis generis conciliorum, decretales pontificum & genuinae & suppostitiae, sanctorum patrum sententiae, & libri iuris ciuilis: in quibus omnibus colligendis autographa de more saeculi non consuluit, sed ex antiquioribus collectionibus sua vt plurimum compilauit. Ex his fragmentis multa sub *Paleae* inscriptione referuntur, de cuius epigraphes

(k) Ordinem praesertim Gratianus interrumpit frequentibus digressionibus, quibus leui quadam occasione suborta interrumpitur proposita materia, adeo vt Gratianea Concordia a proposito perpetua discordia videatur. V. Berard. *praef. in Grat. canones obs. IX.*

graphes ratione non idem omnibus. Sed illud ad veritatem propius accedit, paleas esse adiectiones posteriori manu factas. Espen. *differt. prooem. in decret. Gratiani cap. IV.* Sane obseruant Romani correctores, in vetustis Gratiani exemplaribus paucas admodum paleas, nec omnes in omnibus, nec eodem ordine reperiri; & in vetusto quodam codice in margine appictas exstare.

§. XII. In compilandis fragmentis istis innumera peccata Gratianus admisit. Passim monumenta supposititia exhibuit, genuina non recte retulit, nec suis auctoribus tribuit: saepe peccauit in nominibus propriis: saepe pro integris sententiis summas & breuiationes retulit: Graecorum fragmenta siue canones ex variis versionibus, quasi essent diuersorum auctorum, exhibuit: multa interpolavit, mutilauit, addidit, in partes dissecuit, corrupit. V. Anton. August. *lib. I. de emendatione Gratiani dial.* 1. & Douiat *lib. IV. praenot. cap.* 2. (*l*). Erat nimirum Gratianus antiquitatum ecclesiasticarum imperitus, & criticen de more saeculi ignorabat. Et quae compilauit, fragmenta non ex autographis, sed ex aliorum collectorum Mercatoris, Burchardi, Iuonis & similium lacunis excerpsit; atque adeo aliorum errata omnia adoptauit praeter illa, quae ipse addidit.

§. XIII.

(l) Errata ista omnia spectant ad historiam & antiquitatem, res nempe facti, in quibus discernendis peritia antiquitatis & artis criticae necessaria est. At sunt multa in opere Gratiani, quae fidei doctrinae & regulis morum videntur aduersari. Exempla prostant in *pr. D. XIII. & can.* 2. *C.* 19. *q.* 2. praesertim vero in *D.* 1. *de poenit.*, vbi postquam quaesiuit, vtrum sola cordis contritione peccata remittantur, an praeterea necessaria sit peccatorum confessio sacerdoti facienda, in medium adductis pluribus patrum fragmentis concludit, liberum cuique esse, cui velit ex his duabus opinionibus adhaerere; nam vtraque fautores habet sapientes & religiosos viros. Aduersatur doctrina ista scripturarum testimoniis & constanti patrum traditioni, quae ad peccatorum post baptismum remissionem etiam confessionem necessariam edicunt. At non propterea Gratianus haeresis arguendus, vtpote qui imprudentia, non malitia in huiusmodi rebus lapsus videtur.

§.XIII. Quamvis autem tot erroribus Concordia Gratiani referta esset; tamen eam statim editam, posthabitis aliorum collectionibus, plausibiliter & scholae & fora receperunt. Hinc Gratianus κατ' ἐξοχὴν *magister* dictus; & qui eius farraginem praelegebant, *bacillarii* appellati, a baculo nempe, seu *bacillo*, quo, veluti quodam doctrinae haud vulgaris indicio, donabantur. Ipsi Romani pontifices etiam ex Gratiano canones laudabant, & inde caussarum petebant decisiones. Placuit Gratianus propter scholasticam in vtramque partem tractandi methodum, quae ea aetate vsurpabatur, & propter addita ratiocinia, quibus discordantes canones conciliare videbatur. Nam qui eum praecesserant, collectores negotium lectoribus faciebant, tantum exhibentes alia aliis congesta, sibique aduersantia monumenta.

§. XIV. Quoniam vero indignum videbatur, vt vndique receptissimum opus adeo conspurcatum haberetur, de eo emendando cogitatum est. Primi ad Gratiani emendationem animum adiecerunt Antonius Contius iurisconsultus & Antonius Demochares Parisiensis theologus. Inde idem opus emendandum susceperunt Romani pontifices, qui selectissimis viris tantam prouinciam demandarunt, qui *Romani correctores* vulgo dici solent. Opus sub Pio IV. susceptum, sub Pio V. continuatum, & tandem sub Gregorio XIII. absolutum fuit. Verum Romana ista emendatio non omnino viris doctis adrisit: quod correctores saepe mutarint inscriptiones, textui quandoque addiderint, quandoque detraxerint; quorum omnium etsi in adiectis notis aliquando rationes explicuerint; saepe tamen in genere monuerunt, quod aliquid mutatum esset, & aliquando nullam addiderunt admonitionem: quo factum, vt incerti lectores sint, an sint genuina Gratiani, quae modo legunt. V. Espen. *diss. in Grat. cap.II.* §.5. Quid quod intacta relicta est falsarum decretalium provincia? Eodem ferme tempore, quo Romani correctores Gratianum emendabant, eidem operi curas suas impendebat vir summus Ant. Augustinus, qui ea de re dialogos *de emendatione Gratiani* duobus libris comprehensos composuit. Accesserunt inde Balutius & Espenius, & nouissime Berardus: sed adhuc multa restant emendanda.

§.XV.

§. XV. Iam Concordia Gratiani, vtpote priuata auctoritate collecta, origine sua vim iuris canonici non habet; nec pontifices ei vmquam vim canonicam conciliarunt (*m*). Quapropter Ant. Augustinus aliique pro contentis in Gratiani opere hanc tradunt regulam, *fragmenta Gratiani eam vim habent in decreto*, *quam haberent extra decretum*. Sed generalis Gratiani receptio si non vim canonicam, multam tamen auctoritatem eius fragmentis conciliasse videtur (*n*). Et parum abest, quin dicam, eadem fata habuisse Gratianum, quae iuri Romano contigerunt, quod vbi veluti postliminio reuocatum est, nulla publica auctoritate, sed tantum vsu in plerisque Europae regnis obtinuit. Illud interim certum est, ad disciplinae mutationem multum Gratianum contulisse; nam recepto eius opere falsae decretales praesertim obtinuerunt: nouumque etiam ius ex ipsis Gratiani interpolationibus & distinctionibus exortum.

§. XVI. Post Gratianum ius canonicum nouum magis magisque se explicuit; noua enim disciplina nouas regulas postulabat; & reapse Romani pontifices de rebus nouis frequentes emittere coeperunt decretales (*o*). Ex his de-

(m) Et sane errant, qui docent, Concordiam Gratiani a Romanis pontificibus Eugenio III. & Gregorio XIII. fuisse receptam & vi canonica donatam: qua de re pluribus diximus in *proleg. comment. de iure canon. cap. VII.* §. 15.

(n) Quaecumque Gratiano auctoritas ex vsu accesserit, spectauit tantum ea capita, quae ecclesiae doctrinae & bonis moribus erant consentanea, non item errores siue in fide, siue in morum regulis, quibus vsu nullum pondus conciliari potuit.

(o) Caussae, vnde iuris noui tot regulae emerserunt, ex Petri de Marca *de C. S. & I. lib. III. cap. 6. n.*4. recensione hae sunt. Principio iudiciaria potestas in plerisque caussis iudicandis a synodis prouincialibus in pontifices translata, & sollemnis iudiciorum ordo, qui contra veterem simplicitatem formulis actionum & tritura forensi fuit obstrictus & inuolutus, nouas multasque pararunt constitutiones, quibus res, quae apud pontificem erant disceptandae, & modus disceptandi praescriberentur. Vberem quoque nouis canonibus & decretalibus materiam suppeditauit beneficiorum collatio ab ordinatione seiuncta, vt & no-

decretalibus aliisque canonibus partim priuatis curis, partim legitima pontificum auctoritate plures compositae collectiones, quarum quinque sunt celebriores. V. Douiat. *praenot. lib. IV. cap.*20. Quae quidem quinque collectiones apud veteres interpretes aut nomine *primae*, *secundae*, *tertiae*, *quartae*, *quintae compilationis*, aut nomine libri *primi*, *secundi*, *tertii*, *quarti*, *quinti* laudari solent. Earum primas quatuor Antonius Augustinus, quintam Innocentius Cironius euulgauit.

§. XVII.

---

va de poenitentiis & matrimoniis disciplina. Item multiplicatae per Europam nouae monachorum & religiosorum familiae, iisque, vt & collegiis canonicorum, indultae a potestate ordinariorum exemtiones, ab antiquis diuersas pepererunt regulas, variasque caussarum figuras pontificibus decidendas proposuerunt.

His caussis ab archiepiscopo vere illustrissimo adlatis duas aut tres alias subiiciemus, vnde emanarunt tot canones & decretales, quibus aut leges ciuiles abrogantur, aut alias legum sententiae, seu glossatorum placita confirmantur. Et primo quidem peccati cognitio a foro interno ad forum externum a pontificibus traducta nouos inuexit canones & decretales ad peccati materiam amputandam, seu ad ius aequius inducendum: cuius generis sunt canones de vsucapionibus & praescriptionibus. Porro conditae sunt decretales ad iuris ciuilis emendationem, si quando illud a lege diuina recedere videretur: quo spectat Alexandri III. decretalis in *cap.* 10. *ex. de testamentis*, vbi tollitur sollemnitas septem, aut quinque testium in testamentis & aliis vltimis voluntatibus necessaria, quod iuris ciuilis dispositio a lege diuina, duos tantum testes requirente, recederet. Emissae quoque decretales ad iuris ciuilis nodos & controuersias decidendas. Nimirum vbi ius ciuile in Bononiensi & aliis scholis explicari coeptum est, multae de eius intelligentia emerserunt controuersiae, quas pontifices veluti pro iure suo, siue ab aliis consulti, siue incidenter decidendas sibi sumserunt. Et hinc ius nouum a mente iuris Romani, vt plurimum alienum, emersit: nam pontifices maximi eiusmodi controuersias dirimentes, non tam ex ipsis fontibus, quam ex glossis, quae magnae erant auctoritatis, plerumque decisiones hauriebant suas: quod Cuiacius, Ianus a Costa aliique obseruarunt. Et quis nescit, quot & quales fuerint in interpretando iure ciuili glossatorum errores?

§. XVII. Iam ex tot decretalium codicibus, quin etiam ex nonnullis ſibi inuicem aduerſis decretalibus nata confuſio, excitatumque fuit noui codicis deſiderium, quo breuius & per omnia ſibi cohaerens ius compleсteretur. Quapropter Gregorius IX. anno CIↃCCXXVII. pontifex creatus opera vſus Raymundi Pennafortienſis ex quinque exſtantibus decretalium codicibus & aliis extrauagantibus & propriis conſtitutionibus nouum codicem in quinque libros tributum euulgauit ſub titulo *Decretalium Gregorii IX. papae compilatio* (*p*). Sed non omnes & integras decretales continet compilatio iſta; nam pontifex Raymundo mandauit, vt ex decretalibus, quas compilabat, *reſecaret ſuperflua*. Hinc factum, vt decretales hoc codice comprehenſae ſaepe obſcurae ſint; nam Raymundus, qui iudicio Antonii Contii imperitior erat Triboniano, interdum pro ſuperfluis abſcidit vtilia.

§. XVIII. Poſt editas Gregorianas decretales diu ceſſatum a nouis collectionibus; nouellae enim conſtitutiones, quae in diem edebantur, ſtatim ſingulis, ad quos pertinebant, decretalium titulis adnecti ſolebant. Sed Bonifacius VIII. ex canonibus duorum conciliorum generalium Lugdunenſium, quorum primum ſub Innocentio IV., alterum ſub Gregorio X. celebratum eſt, & ex aliorum pontificum poſt Gregorium IX. decretalibus & propriis conſtitutionibus nouum codicem confecit. Decretales vero huic nouo codici inſertae veluti ex integro

 com-

(p) Haec collectionis Gregorianae inſcriptio a puriore latinitate non abhorret. Scilicet *compilare* eſt plures diuerſi generis res in vnum cogere ſeu coaceruare: & Raymundus decretales & canones ex quinque exſtantibus collectionibus decerpſit, & in vnum librum compilauit.

Factum vero eſt nomen Compilationi Gregorianae a decretalibus, parte nempe potiore operis, qua pontificum decretales exhibentur. Sane apud Gregorium etiam capita ex ſacra ſcriptura, ex canonibus apoſtolorum & multorum conciliorum, item ex patribus & aliis auctoribus petita occurrunt. Verum capita ex decretalibus pontificum depromta ferme duplo plus numerum ceterorum capitum ſuperant.

compositae sunt; idque compositores ipsius summi pontificis mandato perfecerunt. Dolendum interim, quod in multis scire non licet, quae fuerint decretalium istarum genuinae sententiae; non enim exstant autographa; at interpolationes a Raymundo factae (quod exstant quinque decretalium codices, vnde sua Raymundus decerpsit) pro maxima parte innotescunt. Quinque libris constat haec Bonifacii collectio, non secus ac Gregoriana, & auctoritate pontificia emissa est sub nomine *Sexti decretalium*, quod tamquam sextus liber quinque Gregorianis accederet.

§.XIX. Sequuntur *Clementinae*, quae est collectio continens concilii generalis Viennensis canones & Clementis v. decretales. Compositus ipsius Clementis auctoritate fuit codex iste, eumque pontifex sub nomine *Septimi decretalium* vulgare destinauerat; sed morte praeuentus est, & ita confectum codicem Ioannes XXII. sub nomine *Clementinarum* anno CIƆCCCXVII. probauit, & in publicum emisit. Canones & decretales huic codici etiam interpolati & mutati ex ipsius Clementis mandato videntur inferti, quod vulgatae glossae auctor narrat (q).

§. XX. Demum vltima iuris canonici noui pars duabus *Extrauagantium* collectionibus continetur, quarum prima continet Ioannis XXII. viginti constitutiones; altera continet plurium pontificum ab Vrbano IV. ad Sixtum IV. decretales: & hinc sub nomine *Extrauagantium communium* indigitatur. Neutra harum collectionum pontificia auctoritate suscepta aut probata prodiit: atque hinc dictae *Extrauagantes*, quasi iis comprehensae constitutiones extra iuris corpus vagarentur. Sed inde vsu receptae antiquum *Extrauagantium* nomen retinuerunt.

§. XXI. Iam quinque enarrati codices, Gregorianus nempe, Sextus decretalium, Clementinae & duae Extra-

va-

(q) Ex sententia glossae *in prooem. Clementin.* ideo compositores constitutiones concilii Viennensis maximam partem mutarunt & interpolarunt, quia patuit, *aliquas ex illis inepte, aliquas prolixe, aliquas defectiue compositas, aliquas etiam non expedire*.

vagantium collectiones in Occidentis ecclesiis velut loco iuris canonici communis habentur, quo ecclesiastica regitur disciplina. Etenim Gregorius IX., Bonifacius VIII. & Ioannes XXII., qui decretalium Compilationem, Sextum decretalium & Clementinas ediderunt, codices suos vi canonica auxerunt, & in foris & scholis valere iusserunt: & quae auctoritas origine sua defuit duabus Extravagantium collectionibus, ea per receptionem & vsum conciliata est (r). Tum vero canones & decretales noui iuris in ecclesiis Occidentis obligant, si recentiora ecclesiastica statuta, peculiares mores & publicae leges non adversantur: canonibus enim posterioribus & contrariis moribus antiquiores canones abrogantur & desuescunt, & legibus publicis statuta politia aut numquam aliquibus decretalibus locum fecit, aut eas temporis lapsu reiecit.

§. XXII. Quin tanta fuit iuris canonici noui auctoritas, vt canones & decretales, quibus negotia ciuilia diriguntur, etiam in foro ciuili in multis articulis obtinuerint, & legibus ciuilibus, quae contrarium statuebant, praelatae sint. Scilicet eiusmodi constitutiones saepe ad euitanda peccata editae videbantur, saepe etiam de rebus indifferentibus statuunt (s). Primi generis decretales ea summa

(r) Scriptores Galli post glossographum ad *cap.* 16. *de elect. in* 6. docent, Sextum decretalium in Gallia non fuisse receptum, idque ob grauissima dissidia, quae inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Regem intercesserunt. Sed Io. Douiatius *praenot. lib. IV. cap.*24. *n.* 7. tradit, parem in Gallia esse auctoritatem Sexti decretalium & Gregorianae Compilationis, quatenus scilicet cum regiis iuribus & constitutionibus & libertatibus ecclesiae Gallicanae constitutiones eo libro comprehensae non pugnant.

(s) Canones & decretales pontificum, quibus siue ad euitanda peccata, siue ad ius aequum inducendum leges ciuiles corriguntur, veluti dominatum sapientes & ad euertendam principum iurisdictionem editas Io. Petrus de Ferrariis saeculo decimo quarto exeunte in *praxi aurea* exagitauit: quam sententiam alii, in primis Iustus Henningius Boehmerus *iur. eccles. lib. I. tit.*2. §. 38. & *seqq.*, amplexi sunt. Verum haec sine ratione dicta videntur; nam huius generis canones & decretales

ma ratione legibus ciuilibus praelatae sunt, quod peccati occasio euitari deberet. Et inde nata practicorum regula: *seruandum esse ius canonicum, quoties agitur de peccato vitando*. Omnibus de re ciuili canonibus & decretalibus supra leges ciuiles auctoritatem conciliauit aequitas, quam neglectis iuris ciuilis apicibus, in iis contineri interpretes putabant: eoque multum etiam contulit opinio illa, quae habebat, a spirituali pendere ciuilem potestatem.

C A P V T VII.

De iure canonico nouissimo.

§. I. Reliquum modo est *ius canonicum nouissimum*, quo nomine intelligimus regulas omnes de moribus christianorum componendis & ecclesiastica disciplina, quae post euulgatas canonum & decretalium collectiones hodierno corpore iuris canonici comprehensas conditae sunt. Quae quidem regulae in plerisque articulis a simplicitate veterum canonum recedunt. Referri vero possunt ad quatuor summa capita, canones nempe conciliorum, decretales summorum pontificum, regulas Romanae cancellariae, & pacta conuenta inter pontifices & reges seu nationes, quae *concordata* dici solent.

§. II. Exortis & receptis falsis decretalibus ecclesiastica disciplina in diem lapsa est, induitque in pluribus articulis formam a veteri multum diuersam; at postquam pontifices Auenione sedere coeperunt, & multo magis in schismate Auenionensi, quod anno CIↃCCCLXXVIII. erupit, & longo

les nullum dominatum sapiunt, tantumque videntur prodiisse ad peccati occasionem tollendam, aut ad ius aequius inducendum: quod exemplo canonum de praescriptionibus facile posset demonstrari. Quamuis alia fortasse inquisitio erit, si quaeratur, num ex regulis ciuilis sapientiae eiusmodi regulae scriptae fuerint: qua de re egimus in *proleg. comment. de iure canon. cap. IX. §. 2.*

& longo tempore Dei ecclesiam vexauit, vltimum veluti exitium passa est. Diffidentes pontifices in summa aemulatione partes suas augere studentes, vitia suorum dissimularunt, canonum omnino eneruarunt vim tot priuilegiis & indulgentiis ab eorum obseruantia concessis: quin quum mutuis diris & exsecrationibus seipsos deuouerent, censuras ecclesiasticas verterunt in ludibrium. Ecclesiae vnitas tandem in synodo Constantiensi redintegrata est: at ecclesiastica disciplina, etsi reformari deberet, & reformatio bonorum omnium voto expeteretur, corrupta & in statu suo iacuit.

§. III. Dum disciplinae corruptione & malis clericorum moribus ecclesia laborabat, in scenam prodiit Martinus Lutherus, qui obtentu repurgandae ecclesiae, eam miseris modis dilacerauit. Tempestas ista ab ecclesiae catholicae communione bonam Germaniae partem & regiones septemtrionales auulsit, & aliquot alias prouincias a contagione non prorsus immunes reliquit. Tot tantique exciti rumores catholicos excusserunt, vt serio ad solida studia, & ad morum & disciplinae emendationem converterentur. Relictis inanibus verborum formulis & sophismatis, intermissa sacrae scripturae, antiquitatum ecclesiasticarum & linguarum studia resumta sunt (*a*). Hinc non tantum fides a sophismatis defensa, verum etiam perspecta vetus ecclesiae disciplina, & detectae omnium abusionum origines & occasiones.

§. IV. Ad excitos rumores compescendos & ad doctrinae christianae confirmationem concilium Tridentinum, licet aliquanto tardius, quam opus erat, a Paullo III. summo pontifice indicitur, & non sine turbis & interruptionibus celebratur. Res fidei magna libertate & tractatae & definitae: at quae pertinebant ad disciplinam & morum emendationem, non sine partium studiis ventilatae.

(a) Quo tempore haeresis Lutherana erupit, semina litterarum & bonarum artium in Italia iacta erant, & in diem progrediebantur longius; at necessitas tuendae religionis studia fecit acriora, & a rebus profanis etiam ad sacras animos convertit.

latae. Et quamuis ex omnium voto disciplina reformata non fuerit; tamen multa decreta edita sunt, quibus plures ex veteribus canonibus renouati, episcoporum potestas aliquatenus restituta, multa priuilegia reiecta, exemtiones restrictae (*b*). Temporis dura conditio non permisit integram disciplinae reformationem, quae non vnius, sed plurium conciliorum opus erat. Post concilium Tridentinum plures in catholicis prouinciis synodi celebratae sunt ad disciplinae instaurationem & decretorum Tridentinorum exsecutionem, inter quas eminent Mediolanenses a S. Carolo habitae.

§. V. Fidei regulae in concilio Tridentino editae in catholicis prouinciis, vt par erat, omnes admissae & probatae sunt; at decreta, quae spectant ad disciplinae instaurationem, aut non publicata, aut si publicata, non omnia recepta, quod regiis iuribus, ecclesiarum moribus & iuribus populorum multa aduersa continerent. In Gallia decreta ista non fuerunt vmquam auctoritate regis probata aut publicata. In Germania praelati & principes catholici disciplinae decreta receperunt, sed saluis suarum prouinciarum & imperii Germanici iuribus, saluis item pactis conuentis inter Nicolaum v. pontificem & Fridericum III. imperatorem & nonnullos alios principes. Et in Hispania, Belgio, regno Apuliae & in aliis Regis Catholici prouinciis publicata quidem sunt Regis Philippi II. auctoritate decreta disciplinae, verum ea moderatione, vt nullius vsus essent

quae

(b) Non desunt, qui tenent, in concilio Tridentino episcoporum potestatem depressam potius, quam exaltatam: quod constare aiunt praesertim ex decretis illis reformationis, quibus episcopis conceditur, vt *tamquam delegati sedis apostolicae* procedant. Verum vbi priuilegia & exemtiones ab episcoporum potestate omnino aboleri arduum & difficile visum fuit, inter contraria studia excogitatum est eurema, quo, saluis exemtionibus, episcopi saltem potestate delegata in monachos aliosque exemtos augerentur. Salutarem formulam Sebastianus Pighinus, vnus ex Rotae Romanae auditoribus, sugessit, teste Paullo Veneto *hist. conc. Trid. lib. II. n. 26.* Ita veluti restituta episcoporum potestas in exemtos, quamuis e re ecclesiastica magis fuisset, priuilegia & exemtiones omnino aboleri.

quae regia iura & vasallorum laederent (c). Hinc in regnis Regi catholico subiectis passim a magistratibus & regiis censoribus adnotata capita, quae ex sententia Regis admissa & probata non erant. Ea capita apud nos Franciscus Villanus, cancellariae regens, recensuit (d): qua de re auctor *historiae ciuilis regni Neapolit. lib.XXXIII. cap.* 3. multa congessit.

§. VI. Maxima pars iuris canonici nouissimi in decretalibus pontificum continetur. Nimirum pontifices vestigia suorum decessorum sequentes, pro re nata varias ediderunt constitutiones, vel edicentes ad ecclesiae regimen, vel de facto consulti respondentes: quae *bullae* nomine a sigillis, quibus donatae erant, dici consueuerunt (e). Nouis pontificibus nouas semper addentibus constitutiones, adeo bullae nouissimi iuris excreuerunt, vt numero longe vin-

---

(c) Limitatio ista publicationi concilii addita non est; nam in ecclesiae venerationem placuit Regi in proponendo populis concilio nihil quidquam excipi.

(d) Recensuit quidem Villanus capita Tridentinae reformationis, quae regiis iuribus & praerogatiuis subditorum aduersabantur, sed non omnia, etsi ea de re duas recensiones ediderit. Verum ex sententia Regis non tantum adnotata capita, sed generaliter quae regiis iuribus aduersa erant, admissa non censentur; etsi aliquot ex non adnotatis capitibus auctoritas per vsum conciliata videatur. In capitibus vero adnotatis & non admissis, reiectio videtur spectasse non integra capita, sed tantum eas particulas, quae regiis iuribus & praerogatiuis subditorum aduersabantur. Nos non recepta capita suis locis, prout se dabit occasio, proponemus.

(e) Apud Latinos *bulla* id proprie est, quod instar pilae in aquis intumescit & cito dirrumpitur. Et hinc quae apud Romanos ex collo praetextatorum & triumphantium in pectus incumbebant insignia, quod extuberanti forma essent elaborata, *bullae*, indice Vossio, fuerunt nuncupata. Inde imperatorum sigilla etiam bullae dicta sunt, vel quod extuberantibus essent iconibus; vel quod diplomatis, vt olim bullae collo Romanorum, appenderentur. Bullarum seu sigillorum vsus etiam a Romanis pontificibus receptus est, eaeque, quo de genuinitate constaret, decretalibus appensae ipsis decretalibus nomen dederunt.

vincant ipsas decretales receptis codicibus comprehensas. Spectant bullae istae vel ad fidem, vel ad disciplinam, & quandoque etiam de rebus temporalibus disponunt. Sed istae nouissimi iuris bullae tum demum obligant in christianis prouinciis, si ex ciuilis potestatis adsensu publicatae & receptae sint.

§. VII. Ex canonibus & decretalibus ad ius ecclesiasticum nouissimum pertinentibus nulla ecclesiae auctoritate compilatio composita & publicata est, licet e re christiana fuisset, codicem concinnari, qui canones & necessarias constitutiones exhiberet. Verum non defuerunt, qui priuata industria vel secundum materias, vel temporis consequentiam ex canonibus iuris nouissimi codices coagmentarent. Et prodiit sane opera Petri Matthaei *liber septimus decretalium*, quasi qui quinque libris Gregorianis & Sexto Bonifacii VIII. accederet (f): & studiis Laërtii & Angeli Cherubini, itemque Angeli a Lantusca & Ioanne Paullo a Roma *Bullarium* Romanum compositum est, quo temporis ordine bullae praesertim recentiorum pontificum exhibentur (g).

§. VIII.

(f) Septimus decretalium a Petro Matthaeo compositus, constat decretalibus, quas summi pontifices a Sixto IV. ad Sixtum V. ediderunt. Haec collectio, non secus ac antecedentes, etiam in quinque libros diuiditur, sed in titulorum ordine ab anterioribus collectionibus recedit, & nouos magno numero titulos exhibet. Monent viri docti, Matthaeum in conscribendo hoc libro, nullum habuisse delectum, vtilia praetermisisse & collegisse minus necessaria. V. Douiat. *praenot. lib. IV. cap.26. n.* 3. Eum vero librum Lugdunenses bibliopolae anno CIↃIↃCLXI. post Extrauagantes communes ediderunt.

(g) *Bullarium* collectio decretalium est secundum temporis ordinem digesta. Eius primus auctor Laërtius Cherubinus Romanus iurisconsultus, qui decretales pontificum, quas inuenire potuit, a Leone M. vsque ad Sixtum V. collegit, perfectumque opus *Bullarii* titulo donauit, & sub auspiciis Sixti V. anno CIↃIↃLXXXVI. in lucem emisit. Inde secundis curis Laërtius in eamdem rem incubuit, & alias bene multas decretales adiecit, & Paullo V. pontifici obtulit. In his curis Laërtio successit filius Angelus Maria Cherubinus, monachus Casinensis, qui mul-

§. VIII. Iuris canonici nouissimi partem etiam *regulae Romanae cancellariae* constituere dicuntur. Sunt regulae istae edicta quaedam pontificia, quibus officiales ad expediendas litteras in cancellaria secundum supplicantium varias formas instituuntur, reseruationes beneficiorum continentur, & res iudiciales ordinantur. Regulae cancellariae omnes, prout nunc habentur, sunt duae supra septuaginta, eaeque sensim conditae sunt, pluresque pontifices adgnoscunt auctores: quin immo in aliorum regulis aut mutarunt aliquid, aut addiderunt successores (*h*). Non sunt perpetuae, sed temporales: obligant enim tantum viuente, qui eas publicauit, pontifice, eoque mortuo extinguuntur (*i*): licet altero die post noui pontificis adsum-

multarum decretalium & praesertim Paulli v., Gregorii xv., Vrbani viii. & Innocentii x. accessione opus paternum locupletauit, & sub nomine *Magni Bullarii* in quatuor tomos distinctum anno CIϽIϽCXXXIV. Romae typis euulgauit. His adiectus ab Angelo a Lantusca & Ioanne Paullo a Roma strictioris obseruantiae sodalibus tomus quintus, quo omissae Vrbani viii. & Innocentii x. & sequentium pontificum vsque ad Clementem x. decretales complectuntur.

(h) Negotia Cancellariae olim viuae vocis oraculo & stilo regebantur. Primus Ioannes xxii. regulas certas scripto consignauit, quibus id tantum egit, vt officiales instrueret, qua ratione litteras in Cancellaria secundum supplicantium varias figuras deberent expedire. V. Gomes. *comment. in prooem. regul. cancell.* Inductas a Ioanne regulas pontifices sequentes diuersimode auxerunt vsque ad Nicolaum v., qui vtiliores decessorum suorum regulas collegit, & multas iudiciales adiecit, easque ad eum ferme statum, in quo nunc habentur, perduxit. Qui post Nicolaum secuti sunt, pontifices paucas mutarunt, aut addiderunt paucas.

(i) Origine sua tantum temporales fuisse videntur regulae de reseruationibus beneficiorum, quae reliquis additae omnium vnam conditionem effecerunt. Sed non omnes regulae, quae beneficiorum reseruationes continent, morte pontificis exspirare censentur, sed tantum quae purae & simplices sunt, & temporarias reseruationes continent: nam regulae, quae reseruationes in corpore iuris comprehensas sistunt, aut bullis pontificiis confir-

ſumtionem reuiuiſcant; eo namque die aliquibus additis & detractis eas noui pontifices ſolebant publicare.

§. IX. Regulae Romanae cancellariae non omnes in chriſtianis prouinciis obligant, ſed eae tantum, quae receptae ſunt, & quae alias cum iure communi & ordinario conueniunt. In hoc Neapolitano regno omnes ferme admiſſae & receptae erant, tantumque reiectae, quae libertatem patronorum & iura patronatus deminuebant: quod Carolus Gagliardus *inſtitut. canonicar. lib. I. tit.* 7. obſervat. Verum hoc tempore nulla apud nos eſt earum auctoritas. Nempe vbi anno CIↃIↃCCLXIX. morte Clementis XIII. ſummi pontificis regulae illae extinctae ſunt, placuit Regi noſtro nonis Martii eiuſdem anni earum examen Regali Camerae committere, & praeterea prohibere, ne illae ſine Regis expreſſa venia in vſum iterum deducerentur. Ergo ſollemne examen inſtitutum: conſultatio in totum regulis illis aduerſa ad Regem miſſa perhibetur: at Regis oraculum nondum prodiit.

§. X. Demum iuris canonici nouiſſimi partem conſtituunt pacta conuenta, vulgo *concordata*, inter eccleſiaſticam & ciuilem poteſtatem, quibus plures hodiernae diſciplinae articuli reguntur. Ea dubio procul inuexit plus nimio extenſa epiſcoporum & ſummorum pontificum poteſtas, quae multas & frequentes controuerſias peperit, pactis demum & tranſactionibus conſopitas. Habent pleraeque regiones Occidentis ſuas peculiares conuentiones ſiue cum Romano pontifice, ſiue cum epiſcopis initas. In regno noſtro conuentiones inter pontifices & reges noſtros pluries habitae ſunt: verum hodie ferme vigent pacta inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem noſtrum anno CIↃIↃCCXLI. inita, quibus de immunitate rebus eccleſiaſticis, locis ſacris & clericis competente, de qualitatibus ordinandorum, de piorum locorum adminiſtratione, de cauſſis fori eccleſiaſtici, de foro miſto aliiſque negotiis agitur.

INSTI-

---

firmatae ſunt, aut continuas fixaſque reſeruationes complectuntur, perpetuae reputantur, & mortuo pontifice etiam obligare dicuntur. Rigant. *comm. in procem. regul. cancell. n.*73. *& ſeqq.*

INSTITVTIONVM
IVRIS CANONICI
PARS I.
De perſonis eccleſiaſticis.

CAPVT I.
De eccleſia.

§. I. Ccleſia Graecum nomen eſt, & ſi verbo verbum reddas, Latine dicitur *euocatio*. Frequens huius vocis vſus fuit in Graecorum democratiis, in quibus populi conuentus ad res publicas tractandas euocati, *eccleſiae* dicebantur. A Graecis vox *eccleſia* in chriſtianos deriuata eſt, deſignatque chriſtianorum conuentum, qui ſub ſuis paſtoribus ad vitam aeternam adſequendam exercentur. Qua notione eccleſia pars eſt alterius maioris ſocietatis, quae eos continet omnes, qui per gratiam vocati, Deo ſeruiunt, ſiue iam optata fruuntur beatitudine, ſiue viatores adhuc ſunt.

§. II. Iam eccleſia ex capite & membris conflata, vnum corpus conſtituit. Eccleſiae princeps caput Chriſtus eſt, qui eccleſiam ſuam, etſi mortuus ſit, non derelinquit, & ſedens ad dexteram patris, eam regit, protegit, viuificat. Membra vero ſunt fideles, qui per baptiſmum initiati, capitis Chriſti doctrinam profitentur. Et quoniam *fides ſine operibus mortua eſt*, ii tantum ad interiorem eccleſiae compagem pertinent, qui ex caritate viuunt, & praecepta chriſtianae religionis ſeruant. Non

tamen

tamen propterea mali nullam habent in ecclesia partem; nam suo modo etiam ad eam pertinent; scilicet sunt pars corporis ecclesiae, sed interiore eius spiritu non viuunt; sunt membra mortua, sed adhuc corpori adhaerentia; sunt paleae immistae tritico.

§. III. Finis autem ecclesiae omnino spiritualis est, spectatque exercitium pietatis, & deinceps beatae aeternaeque vitae consecutionem. At quoniam fideles, qui ecclesiam componunt, terreno corpore sunt inuoluti, nec sapiunt, nisi per sensus; hinc Christus se humanae aptavit imbecillitati, & ecclesiam suam mediis sensibilibus collegit & auxit. Instituit nempe *sacramenta*, hoc est signa sensibilia, quibus gratiam attexuit suam, vt signis sensibilibus fideles attollantur ad spiritualia, quae per signa illa significantur. August. *hom. LXXXVI. in Ioan.* & Chrysost. *hom. LXXXIII.*

§. IV. Iam quae in terris adhuc se exercet, Christi ecclesia visibilis est, veluti ciuitas monti insidens, & lucerna supra candelabrum posita: errantque profecto Lutherani & Caluiniani, qui ecclesiam ex solis iustis compingentes, eam praedicant inuisibilem. Sane ecclesia mediis sensibilibus exercetur, & ad eius corpus etiam mali & peccatores pertinent; atque adeo sub aspectum cadere debet. Fratrem quoque fraterna admonitione non emendatum Christus ad ecclesiam deferri iussit, Matth. *XVIII.* 17. Sed si ecclesia esset inconspicua, quo christiani non emendatos fratres deferre poterant? Visibilis autem ecclesia vsque ad saeculi stabit consummationem, Matth. *XVI.* 18. & *XXVIII.* 20., in quo distat ab aliis societatibus, quae mediis humanis innixae, post multas vicissitudines tandem fatiscunt.

§. V. Visibilis autem Christi ecclesia ex diuina auctoritate praepositos habet suos, qui sacra potestate aucti eam regunt & administrant, & spiritalibus poenis in sontes animaduertunt. Et errant profecto recentiores haeretici, qui adgnoscunt quidem ecclesiasticum ministerium diuina auctoritate institutum; at eius potestatem omni coactione destitutam ministerio verbi & sacramentorum administratione coërcent. Verum potestas ista tota spiritalis est, ad animarum curationem spectans: atque ideo

gladium

gladium spiritualem constituit, vt Cyprianus appellat *ep. LXII. al. IV. ad Pompon.* Ceterum qui spiritali potestate ecclesiae praesunt, principes quidem & capita illius sunt, sed ministerii tantum; nam verum & principale ecclesiae caput Christus est, qui interiorem in membra, quo viuant, spiritum infundit. Sed inter principes ministerii, qui pari consortio praediti honoris & potestatis missi sunt, vnus ceteris omnibus, tamquam centrum ecclesiasticae vnitatis, praelatus est, in quo pontificis Romani primatus continetur, qua de re inferius.

§. VI. Porro visibilis & in terris degens Christi ecclesia *sancta*, *catholica*, *apostolica*, *vna* est, quibus epithetis ab haereticorum conuenticulis, qui commune christianorum nomen retinebant, ecclesia distinguitur. Ecclesia est *sancta* ob capitis sanctitatem, doctrinam sanctam, cultum sanctum, & sanctitatem & caritatem, quae interiorem eius compagem constituunt. *Apostolica*, quod ministerio apostolorum propagata, doctrinam apostolicam profitetur, & ministros habet non interrupta serie ab apostolis descendentes. *Catholica*, quia per vniuersum orbem diffusa est, vt Optatus *lib. II. contra Parmenian.* & Augustinus *serm. XLVI. de pastoribus* explicant.

§. VII. Vna quoque est ecclesia, nam idem credunt christiani omnes, & secundum eadem praecepta vitam debent instituere: item vnum est caput; eadem sacramenta, eadem gratia & caritas, quibus membra viuificantur. Vnitas autem ecclesiae spectatur etiam quatenus certis locis inclusa est. Scilicet ecclesia ipsa vniuersalis in multos coetus particulares dispescitur, qui sub pastoribus suis adunati ecclesias plures constituunt, ex quibus particularibus ecclesiis, quae mutuis foederibus inter se connexae sunt, ecclesia vniuersalis sub ministeriali capite, pontifice nempe, qui vnitatis centrum est, coalescit.

§ VIII. Harmonia vero & vnitas inter ecclesias commercio litterarum *canonicarum*, seu *formatarum* fouebatur & explicabatur. Erant eiusmodi litterae *communicatoriae*, *commendatitiae*, *dimissoriae*. Communicatoriae dari solebant christianis in ecclesiae communione manentibus, vt quocumque irent, in communionem cum ceteris fidelibus admitterentur, & hospitio exciperentur. Commendatitiae

tiae ex probabiliore sententia scribi solebant in commendationem illustrium personarum, siue clericorum, siue laicorum, qui earum fide & auctoritate non solum in negotiis tractandis ab omnibus adiuuabantur, sed etiam lautius excipiebantur. Et demum dimissoriae solis dabantur clericis, qui in aliam dioecesim domicilii ibi constituendi caussa concedebant, iisque testabatur episcopus, clericos illos a nexu cum ecclesia sua soluisse, & licentiam dare, vt alienae ecclesiae se adscriberent. Omnes huiusmodi litterae *formatae* dicebantur, quod peculiari forma & signis, ne qua fraus irreperet, erant inscriptae. Commercio formatarum vnitas & harmonia inter ecclesias explicabatur: quod ita Optatus *contra Parmen. lib. II.* expressit: *totus orbis commercio formatarum in vna communionis societate concordat*.

§. IX. Foedera, quibus particulares ecclesiae inter se coalescunt, ad promouenda mutua commoda & vniversalis ecclesiae vnitatem spectant. Hinc vnius ecclesiae legalia acta ab omnibus aliis rata haberi consueuerunt, adeo vt ab vna ecclesia eiectus, vel depositus, nullibi ad communionem & ordinum officia admitti debeat, donec sententia lata non reuocetur. Conc. Nicaen. *can.V.*, Antioch. *can. III. & VI.* Inde etiam clerici vni ecclesiae addicti, nisi bona cum venia proprii episcopi inter clericos alterius ecclesiae referri prohibentur. Conc.Nicaen. *can. XVI.*, *can. apostol. XV. seq.* Christiani quoque peregrinantes in alienis ecclesiis ad communionem non admittuntur, nisi proprii episcopi testimonio instructi, se cum ecclesia sua communicare demonstrent. Conc. Antioch. *can.VII.* Et vbi in vna ecclesia fides & religio in discrimen adducitur, ceterae ecclesiae earumque pastores praesto esse debent: quo casu locum habet Cypriani sententia, *episcopatus vnus est, cuius in solidum singuli partes tenent.*

§. X. Iam christiana ecclesia etsi in republica nata sit, & fere iisdem, quibus respublica, hominibus constet, tamen societas est ab ea diuersa: spectat enim diuersum a republica finem, aeternae nempe vitae consecutionem. Per se igitur consistit ecclesia, nec quo sit & perseueret, reipublicae auxilio indiget: & in hoc distat a ceteris collegiis, quae sunt in ciuitate, & ad eumdem, quo ciuitas,

ciuitas, finem ſpectant. Sane numquam ſic floruit ſtatus chriſtianorum, quam primis tribus ſaeculis, quando ethnici in chriſtianos ſaeuiebant: quod Hieronymus & Chryſoſtomus adgnoſcunt.

§. XI. Quamuis autem etiam ſine reipublicae auxilio eccleſia per ſe conſiſtere poſſit; tamen ſi per leges publicas probetur, multas conſequitur praerogatiuas; per publicam enim approbationem eccleſia, non ſecus ac alia collegia, perſonam induit in ciuitate, iuris communis fruitur exercitio, conuentus chriſtianorum palam celebrantur; & praeterea vbi publica accedit probatio, eccleſia validior euadit: nam in ſui auxilium libere poteſt aduocare ciuilem poteſtatem, qua ſpiritualis poteſtas ſuſtinetur, & contumaces metu poenarum externarum ad officium reuocantur. Vbi vero eccleſia auxilium a ciuilibus poteſtatibus implorat, earum officium eſt eccleſiae aduocanti praeſto eſſe. Et ita ciuiles poteſtates Deo ſeruiunt, qui iis tuendam eccleſiam demandauit ſuam.

§. XII. Verum enimuero hac externae potentiae imploratione tantum peccatorum conuerſionem ſpectauit & ſpectat eccleſia. Et quamuis non admittat chriſtiana religio coactionem; tamen vtile eccleſia duxit contra rebelles filios moderatam implorare coactionem, vt metu poenarum excitati errorem ſuum adgnoſcerent, & in matris ſinum reuerterentur. Hinc fini religionis aduerſatur implorare auxilium poteſtatis ciuilis ad mortem contumacibus inferendam. Non eſt eccleſiae poenas cum ſanguine poſcere. Auguſt. *lib.III. contra Creſconium*. Quod ſi olim ob cauſſas eccleſiaſticas reos capite damnarint magiſtratus, aut imperatores gladio ſuas leges contra haereticos armarint; facta haec ſunt inſciis & minime probantibus bonis epiſcopis. Sed temporis lapſu diceres priſtinae manſuetudinis plures epiſcopos oblitos; nam ipſi occidendos, quin etiam cremandos, tradere conſueuerunt haereticos, & quos haereſi infectos reputabant.

CAPVT II.

De variis christianorum ordinibus.

§. I. Christiani omnes, qui ecclesiam componunt, pro varia, qua spectantur, ratione, varios ordines constituunt. Summa diuisio ab ecclesiae regimine desumta, est, quod alii praesint, alii subsint, seu quod alii *clerici*, alii *laici* sint (a).

§. II. Clerici sunt, qui certo sollemnique ritu initiati aliquod publicum munus in ecclesia gerunt, siue praesint, siue ministrent (b). Dicti sunt clerici a voce graeca κλῆρος, quae proprie sortem significat, translate vero partem siue hereditatis, siue territorii, quae in diuisione alicui obueniebat, idque quod eiusmodi diuisiones per sortes instituebantur. V. Petr. de Marca *diss. de discrimine clericor. & laicor. cap. II.* Ex hac translata του κληρου notione Hieronymus *epist. II. ad Nepotian.* altaris ministros *clericos* dictos adfirmat, *vel quia de sorte sunt domini, vel quia ipse dominus sors, idest pars clericorum est:* quasi di-

(a) Antiqui scriptores eamdem clericorum & laicorum proponunt diuisionem, quamuis verbis plures ordines recensere videantur. Sane Eusebius *demonstr. euang. lib. VII. cap. 2.* in tres classes christianos partitur, *praefectos, fideles, catechumenos:* Hieronymus vero in quinque, *episcopos, presbyteros, diaconos, fideles, catechumenos*. Sed in his partitionibus Eusebius & Hieronymus ex vno laicorum duos faciunt ordines; Hieronymus vero clericos in tres classes distinguit.

(b) In scripturis sanctis vox *clerici* non occurrit ad denotandos christianos sacro ministerio addictos; *clerici* enim in illis sunt christiani omnes, 1. *Petr. V. v.3.*, *ad Ephes. I. v. 11.* quasi qui sorte in veritatis adgnitionem selecti sint. Sed secundo saeculo vox *clericus* ad altaris ministros denotandos restricta est.

diceret, vel quia pars domini sunt, vel quia ipse dominus eis in partem & hereditatem cessit (c). Clerici quoque in antiquis monumentis appellantur *canonici*, a canone, hoc est matricula & albo ecclesiae, in quo erant eorum nomina descripta; quod pluribus Binghamus *orig. eccles. lib. II. cap.* 1. §. 10. illustrat. Sed lapsu temporis inducta clericorum communi vita, *canonici* nomen ad clericos in commune viuentes restrictum est.

§. III. Laici nullo sacro officio in ecclesia donantur; & tamquam ecclesiae plebs habentur: dictique sunt laici a graeco λαος *plebs*, quasi qui plebem ecclesiae constituunt, & in rebus sacris a clericis pendere debent (d). Ita ver-

(c) Haec interpretatio vocis *clerici* ex moribus Iudaicis deriuatur. Apud Iudaeos sacerdotes & Leuitae, qui in tributum in partitione terrae Chanaan non venerunt, Deum veluti in sortem & partem consecuti sunt: atque ita decimas, primitias & reliquas obuentiones Deo debitas ex diuina delegatione adquisiuerunt. V. Ioan. Cleric. *in Numer. cap. XVIII. v.* 20. Et hoc sensu Deus erat κληρος sacerdotum & Leuitarum, & ipsi ex eadem ratione κληρος Dei dicebantur. Simili ratione ex sententia Hieronymi apud christianos altaris ministri audierunt *clerici*, vel quia solum dominum partem habent, eumque solum debent possidere; vel quia ipsi pars domini existentes, aliarum partium expertes, & altari seruientes, ex oblationibus, vt olim sacerdotes & Leuitae ex decimis, habent sustentationem.

Institutis vero christianis magis videtur conuenire alia clericorum originatio, quae eos veluti diuina vocatione ad sacrum ministerium electos interpretatur: quam vocis *clerici* notionem auctor quidam sub nomine Hieronymi apud Gratianum *can.7. C.* 12. *q.* 1. proponit. Certe vox κληρος translata notione etiam eos denotat, qui non sortium iactu, sed electione & vocatione ad sacrum ministerium vocati sunt: quod in *commen. de iure canonico par. I. cap.* 2. §. 3. pluribus explicuimus.

(d) Iam vero laici a clericis iure diuino distinguuntur, & errant profecto Salmasius, Boëhmerus aliique, qui distinctionem inter laicos & clericos iuri ecclesiastico tribuunt. Sane apostolus *Actor.XX.* 28. aperte episcopos a grege distinguit: & Petrus *ep.* 1. *V. v.* 2. presbyteros hortatur, vt gregem Dei pascant, eique non coacte, sed sponte prouideant. Porro antiquissimo-

 rum

verbum λαος tantum ſonat, laicos non eſſe in officio, non notam quandam ſeruitutis inurit. Quo ſenſu ab antiquis dicti

---

rum patrum teſtimoniis conſtat, clericos a laicis vel a prima eccleſiae aetate fuiſſe diſtinctos. Ignatius martyr in epiſtolis ſuis ſaepe ab epiſcopo, presbyteris & diaconis populum diuerſum proponit. Et Clemens Alexandrinus tradit, Ioannem apoſtolum poſt obitum Domitiani ex Patmo inſula Epheſum rediiſſe, & in vicinis locis in clerum cooptaſſe, quos Spiritus ſanctus deſignauetat. Tertullianus quoque adhuc in eccleſia in opere *de praeſcriptionibus cap. XLI.* haereticos ſui temporis ſugillat, quod mutabilia haberent ſacerdotia: *alius*, inquit, *hodie epiſcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus; nam & laicis ſacerdotalia munera iniungunt.*

Vt vero tanti dogmatis veritas magis elucefcat, obſeruare oportet, ſacerdotium chriſtianorum duplicis eſſe generis, vnum laxioris ambitus, quo poteſtas quoduis religionis officium exſequendi continetur; alterum ſtricte ſic dictum, cui ineſt eccleſiae gubernatio & poteſtas offerendi proprie ſic dicta ſacrificia, quae in oblatione & immutatione victimae conſiſtunt. Qua poſita diſtinctione diſtant quidem clerici a laicis ratione proprie ſic dicti ſacerdotii, nam alias omnes chriſtiani ſacerdotes ſumus, 1. *Petri II. v. 9.*, *Apocalyp. I. v. 6.* Ad rem Origenes *hom. IX. in cap. 16. Leuit.*, *ſi membra mea ab omni concupiſcentia carnis mortificauero; ſi mundus mihi crucifixus ſit, & ego mundo, holocauſtum obtuli ad altare Dei, & ipſe meae hoſtiae ſacerdos efficior.* Hoc autem improprie ſic dictum ſacerdotium chriſtiani in baptiſmo accipiunt: quae patrum doctrina eſt.

Verum diſtinctioni clericorum & laicorum iure diuino inductae grauiter aduerſatur Tertullianus *exhortat. ad caſtit. cap. VII.*, vbi diſtinctionem inter ordinem & plebem eccleſiae auctoritati tribuit: *nonne & laici ſacerdotes ſumus? ſcriptum eſt: regnum quoque nos, & ſacerdotes Deo & patri ſuo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem conſtituit eccleſiae auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus.* Sed doctrinam de ſacerdotio omnibus communi non ſine emphaſi de more ſuo Tertullianus videtut propoſuiſſe, idque conſtat quod ex ſcripturis argumentatur, quae de ſacerdotio laxioris ambitus ſunt intelligendae. Hinc dum improprium ſacerdotium ad proprium ele-

dicti sunt etiam *idiotae*, quod vitam agerent in ecclesia priuatam, nulloque officio distinctam, siue docti, siue indocti essent. Etenim apud veteres *idiota* proprie est privatus homo, nullo publico munere auctus.

§. IV. Iam ad pietatis exercitia fideles relati, alii sunt *saeculares*, alii *ascetae*. *Saeculares* sunt, qui christianam profitentur religionem, sed ad vitam perfectam non contendunt: dictique sunt *saeculares* non quia viuunt secundum saeculi praecepta, sed quia terrenis curis inuoluti continuum in christianis virtutibus proficiendi studium non sectantur. Contra *ascetae* sunt, qui ad iustitiam & euangelica praecepta vitam addunt duriorem, rigidi evangelicae virtutis sacerdotes, siue clerici, siue laici sint. Hinc dicti *ascetae*, voce a philosophis mutuata, apud quos, vt probat Valesius, *ascesis* virtutis & abstinentiae designabat exercitationem. Nomine *ascetarum* continentur etiam monachi, qui tamen ascesi addunt certae regulae professionem & vitam communem.

§. V. Porro christianorum alii sunt iusti, alii peccatores. Iusti innocentiam in baptismo partam delictis grauioribus non macularunt, aut si macularunt quidem, per poenitentiam in Dei gratiam restituti sunt. Ex his iustis vbique diffusis & spirituali vnitate deuinctis spiritualis ecclesia coalescit. August. *lib. VII. de baptis. cap.* 51. Peccatores vero, qui ad ecclesiam spectant, per humanitatem quidem grauia peccata admiserunt, at parati sunt ad poenitentiam subeundam, aut actu eam tolerant. Extra ecclesiam enim sunt rebelles & contumaces peccatores.

eleuauit, veluti necessarium consequens deduxit, differentiam inter ordinem & plebem ecclesiae auctoritate inductam fuisse: in quo turpiter errauit.

C A P V T III.

De ecclesiastica hierarchia.

§. I. NOmine *hierarchiae* intelligimus personarum ecclesiasticarum ordinem episcopis, presbyteris & ministris constantem, cui iure diuino regimen & ministerium ecclesiae commissum est. Trid. *ses. XXIII. can. 6.* (*a*).

§. II. Sunt episcopi summi sacerdotes, qui apostolis in regenda ecclesia succedunt, & non tantum patres gignunt, verum etiam totius religionis curam habent & inspectionem, a qua inspectione *episcopi* nomen factum est. Presbyteri vero sunt secundi ordinis sacerdotes, qui sub episcopis constituti vi suae potestatis, excepta ordinatione, fere omnes obeunt sacerdotii partes; dictique sunt *presbyteri* ab auctoritate, quasi senes, non aetate, sed moribus & sapientia. Atque hae sunt receptae *episcopi* & *presbyteri* notiones; nam alioquin hae voces ab antiquis con-

(a) Recentiores haeretici, qui christianum sacerdotium tantum in ministrando constituunt, omnique potestate priuant, *hierarchiae* vocem a patribus Tridentinis consecratam reprobant, eamque tamquam veteribus patribus minus cognitam, & ad mundi pompam compositam traducunt: & ita ministrorum ordinem potius *hierodiaconiae*, aut *hieroduliae*, quam *hierarchiae* nomine dictum vellent. Sed quum Christi sacerdotium praeter ministerium etiam imperium spirituale complectatur; ab ingenio ecclesiae non videtur abhorrere vox *hierarchia*, qua ministerio adiuncta significetur sacra pontificum potestas: a qua loquendi ratione veteres patres non longe distant. Sane Origenes *hom. XI. in Ierem.* & Chrysostomus *de sacerd. lib. III. cap.* 15. ecclesiae praepposituram ἀρχὴν; episcopos vero Eusebius *lib. VII. cap.* 38. & Chrysostomus *loc. cit. cap.* 14. ἄρχοντας dixerunt, vt mittam Latinos, qui episcopos ecclesiae *principes* & *praepositos* appellant.

confundi solent; sane etiam episcoporum est auctoritas, & inspectio pariter presbyteris competit.

§. III Iam inter episcopos, vno excepto Romano pontifice, qui iure diuino in vniuersam ecclesiam primatum obtinet, ex diuina institutione nulla est praerogatiua; omnes pari consortio praediti honoris & potestatis missi sunt. Verum iure humano gradus hic hierarchiae faciem induit augustiorem: inter episcopos enim inducti sunt *metropolitani* & *patriarchae*. Metropolitani sunt episcopi ciuitatis in prouincia principis, qui vniuersae prouinciae tenent sollicitudinem: patriarchae vero, qui pluribus prouinciis praesunt. Et vbi potestas ordinis a potestate iurisdictionis veluti distincta habita est, recepti sunt praelati episcopis inferiores, qui quasi episcopalem iurisdictionem sine ordinatione consecuti sunt.

§. IV. Quamuis autem episcopi, excepto summo pontifice, aequali potestate a Christo missi sint; tamen differentia inter episcopos & presbyteros ex dominica auctoritate instituta est: qua in re olim Aerius & deinceps Albigenses, Waldenses, & tandem Lutherani & Caluiniani errarunt, qui omnes tenent, ab ecclesiastica potestate profectam esse distinctionem inter episcopos & presbyteros, vt inter plures pari potestate ecclesiam administrantes, schismatum occasiones tollerentur. Sane constanti ecclesiae traditione inde vsque ab apostolis episcopi & presbyteri tamquam duo distincti gradus exhibentur. V. Nat. Alexand. *saec. IV. hist. eccles. diss.* 44. §. 2. Item non interrupta in multis ecclesiis series episcoporum ab apostolis deriuatur. Petau. *lib. I. de ecclesiast. hierarch. cap.* 2. Quod plane demonstrat, ordinem episcoporum ex diuina institutione a presbyteris distingui (*b*).

§. V.

(b) Rei dignitas postulat, vt hic quaedam Hieronymi verba expendamus, qui in *comm. in cap. I. epist. ad Titum & epist. LXXXV. ad Euagrium* episcoporum & presbyterorum distinctionem non diuinae auctoritati, sed ecclesiasticae consuetudini tribuere videtur. *Idem est presbyter, qui & episcopus*, sunt verba prioris loci, *& antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo*,

§. V. Verum enimuero etsi iure diuino discrimen episcoporum a presbyteris institutum sit; tamen initio praedicationis euangelicae non omnes ecclesiae integram habuisse videntur hierarchiam, episcopis, presbyteris & diaconis

---

pollo, ego autem Cephae, communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, vt schismatum semina tollerentur: quam sententiam deinceps Hieronymus confirmat variis scripturarum locis, quibus iidem *episcopi* & *presbyteri* vocantur, & hierarchia veluti episcopis & diaconis constans describitur: & demum concludit, consuetudinis ecclesiasticae esse, quod episcopi presbyteris sint maiores.

Sunt quidem verba ista Hieronymi impeditissima, talia tamen quae possunt cum catholico dogmate conciliari. Ante omnia obseruandum, eumdem hunc Hieronymum adgnoscere discrimen inter episcopum & presbyterum, & quidem ex dominica veritate inductum, quod discrimen in ordinatione positum adserit. *Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? cit. ep. LXXXV. ad Euagr.* Deinde Hieronymus exaequat presbyteros episcopis, qui aetate apostolica in plerisque locis ecclesias regebant. At episcopi isti meri videntur fuisse presbyteri, qui episcopali potestate aucti erant, dum apostoli per prouincias discurrebant ad propagandum euangelium. Sane si reapse vnum ex episcopis & presbyteris ordinem faceret, ordinationem non excepisset, & presbvteros potius apostolis, quam episcopis exaequasset. Nec obstat, quod in hac interpretatione presbyteros Hieronymus ipsis presbyteris aequaret: nam episcopi aetate apostolica, etsi secundi ordinis sacerdotes, ecclesias in omnibus regebant: in quo differebant a presbyteris quarti saeculi, quando regimen ecclesiae erat penes primi ordinis sacerdotes. Itaque sortem presbyterorum commendaturus Hieronymus, prouocat ad ecclesiae gubernationem, quae plerumque penes presbyteros aetate apostolica residebat. Et si addat, consuetudini ecclesiasticae, non dominicae auctoritati deberi, quod episcopi presbyteris sint maiores; id pro ea parte dictum est, quae spectat ad ecclesiae gubernationem, non vtriusque ordinis intimam naturam, vt constat ex eo, quod Hieronymus aperte presbyteris ordinationem adimat.

conis constantem. Nempe apostoli, & qui ad munus apostolatus initio adsumti sunt, in ecclesiis, quas fundabant, plerumque non morabantur, sed, earum cura presbyteris demandata, euangelium praedicaturi, alio transcurrebant, quod Epiphanius *haer. LXXV.* obseruat. Presbyteri autem isti ecclesiis praepositi, excepta ordinatione, munia omnia pastoris obibant, & ab inspectione & cura etiam *episcopi* dicebantur: apostoli vero ordinationi presbyterorum commissas ecclesias saepe inuisebant. Sed non diu post communis per presbyteros administratio sublata est: & hinc proprie sic dictus episcopus singulis ecclesiis datus, qui omni ecclesiae etiam ipsis presbyteris praeesset: quod extrema apostolorum aetate in multis ecclesiis ad tollenda schismata factum est.

§. VI. Iam ab ea regiminis forma, quae tandem presbyterium in omnibus ecclesiis episcopo ad tollenda schismata fecit obnoxium, manauit regula iuris ecclesiastici, vnum tantum episcopum debere esse in vna ciuitate; nam pluribus constitutis in vna ciuitate episcopis, ecclesia in partes scinderetur. Hinc antiqui omnes scriptores ecclesiastici vnum episcopum cum presbyterio vni ecclesiae semper exhibent praesidentem. Et Nicaeni patres *can. VIII.* statuerunt, vt episcopi ex catharis, seu Nouatianis, qui ad ecclesiam catholicam reuertebantur, meri sint presbyteri, aut chorepiscopi, ne in vna ciuitate duo essent episcopi. Quod si vnitas ecclesiae postulet, in vna ciuitate duos constitui episcopos, ex indulgentia admitti debet. V. Bingh. *orig. eccles. lib. II. cap.* 13.

§. VII. Secundus hierarchiae gradus proprie sic dictos complectitur presbyteros, seu secundi ordinis sacerdotes; qui in explicandis sui ordinis officiis ab episcopo pendere debent. Conc. Laodic. *can. LVII.* Atque haec presbyterorum ab episcopo dependentia constituit ecclesiae ordinem & honorem, *quo saluo salua pax est*, inquit Tertullianus *de bapt. cap. XVII.* Iure diuino inter presbyteros nulla est praerogatiua; at iure ecclesiastico quidam inter eos gradus instituti sunt, & inde exorti *archipresbyteri*, *parochi*, *poenitentiarii*: quibus iure proprio & perpetuo mandata sunt officia, quae ante promiscue ab omnibus presbyteris ex episcopi iussione exercebantur.

§.VIII.

§. VIII. Vltimus hierarchiae gradus continet *diaconos*, seu tertii ordinis sacerdotes, qui episcopis & presbyteris in regenda ecclesia deseruiunt. Diaconi ab apostolis instituti sunt, iisque instituendis mensarum seruitium & temporalium procuratio dedit occasionem, *Actor.VI. v.1. seqq.*; at vna opera iis commissum sacrum ministerium, quod vniuersa antiquitas testatur. Hinc Cyprianus ait, apostolos sibi constituisse diaconos *episcopatus sui & ecclesiae ministros*. Et errat profecto Salmasius, qui adfirmat, ab apostolis diaconos tantum temporalibus addictos.

§. IX. Ex apostolica institutione diaconorum sors aequalis; at ecclesiae auctoritate vnus inter eos caput extulit, dictus propterea *archidiaconus*. Quin vbi ecclesia numero fidelium creuit, officia quaedam ex ipso diaconatu excerpta sunt, quae in alios clericos conjecta *minores clericos* induxerunt. Varius pro varia ecclesiarum disciplina fuit clericorum minorum numerus; at in ecclesia Latina quinque ordines constituti sunt; *hypodiaconi* nempe, *acolythi*, *exorcistae*, *lectores* & *ostiarii*, quamuis temporis lapsu hypodiaconi in maiorem ordinem euaserint. His tandem accesserunt clerici nullo ordine insigniti, sed tantum sola tonsura & habitu in numerum clericorum relati.

§. X. Atque haec satis esse possent ad varios clericorum ordines dignoscendos; sed maioris claritatis gratia subiiciamus receptas clericorum partitiones. Ratione officii clerici vel sunt *in sacerdotio*, vel *in ministerio*. Qui sunt in sacerdotio, curam animarum habent, quales episcopi & presbyteri: qui sunt in ministerio, episcopis & presbyteris ministrant, quales diaconi & clerici minores. Porro a dignitate spectati clerici vel sunt *maiores*, vel *minores*. Maiores, qui *sacrati* etiam vocantur, sunt episcopi, presbyteri, diaconi, & ex noua disciplina hypodiaconi: minores acolythi, exorcistae, lectores, ostiarii. Et demum clerici vel sunt *in ordine*, vel *in officio*, conc. Chalced. *can. II.*, vel tantum habitu & tonsura in censum clericorum veniunt. Qui sunt in ordine, vi suae ordinationis munia obeunt ecclesiastica, veluti episcopi, presbyteri, diaconi, clerici minores, & proprie *clerici* & *ordinari* dicebantur: qui vero erant in officio, sine ordine aliquod ecclesiasticum munus explicabant, & proprie

erant

erant in *canone* seu matricula ecclesiae, & *promoueri* dicebantur, quales diaconissae, defensores, paramonarii. V. Thomass. *de vet. & noua eccl. discipl. par. I. lib. 2. cap.* 34. Demum clerici solo habitu & tonsura insignes nec ordine, nec officio augentur, sed sollemni habitus clericalis susceptione ad ordines suscipiendos praeparantur.

C A P V T IV.

De externa ecclesiae politia.

§. I. EXterna ecclesiae politia in praesenti est ipse ecclesiarum status & dispositio, qua illae certis finibus includuntur, & episcopatus ecclesiis metropolitanis, hae patriarchalibus subsunt. Sumsit ecclesia in hac sua ordinanda politia exemplum a republica. Nempe quum ecclesia in republica nata sit, optimum iudicauit in ordinanda politia, & in prima ecclesiarum fundatione, & inde in mutationibus publicas formas imitari. Sane Romani imperii notitia cum ecclesiastica collata demonstrat, eminentiores ferme omnes in imperio ciuitates maioribus etiam in ecclesia donari praerogatiuis. Bingh. *orig. eccles. lib. IX. cap.* 1. §. 5. *seq.* Porro si aliquae ciuitates crescebant in imperio, etiam crescebant ecclesiastici honores: & controuersiae de iuribus ecclesiarum ex dignitate ciuitatum dirimebantur. Conc. Taurin. *can. II.* Quae omnia supponunt, ecclesiarum externam politiam ad imperii exemplum fuisse constitutam. Et synodus Chalcedonensis *can. XVII.* aperte statuit, vt *si qua ciuitas ab imperatoria auctoritate innouata est, vel deinceps innouata fuerit, ciuiles & publicas formas ecclesiasticarum quoque paroeciarum ordo consequatur.*

§. II. Quo tempore illuxit orbi christiana religio, imperium Romanum in prouincias diuidebatur, vna excepta Italia, quae in vndecim regiones diuisa erat. Plin. *lib. III. cap.* 5. Prouincia plures complectitur ciuitates ab vna metropoli pendentes. Sub Hadriano etiam ipsa

Italia

Italia abiit in prouincias. At deinceps tempore Constantini M. pluribus inter se adnexis prouinciis exorta est partitio in dioeceses. Itaque quidquid imperii Romani erat, quarto saltem exeunte saeculo in centum viginti prouincias tribuebatur, quae vario numero inter se connexae tredecim dioeceses constituebant; quod constat ex *notitia imperii:* qui liber circa tempus Arcadii & Honorii creditur scriptus. Item ab eodem Constantino profecta est imperii diuisio in *Orientale* & *Occidentale*, limitesque in Illyrici & Thraciae finibus positi sunt. Petr. de Marca *de C. S. & I. lib. I. cap.* 4.

§. III. Huic imperii partitioni respondet regimen politicum. Tempore apostolorum & deinceps inter Romanos & Graecos pleraeque ciuitates proprium veluti senatum, qui *βουλη senatus*, aut *ordo* & *curia* dicebatur, habebant; eminebatque inter decuriones *defensor ciuitatis*, seu *dictator*, qui in ciuitatis territorio iurisdictionem exercuisse videtur. In ciuitatibus prouinciarum principibus superior erat magistratus, qui *proconsul*, *praeses*, aut alio nomine dictus, vniuersam prouinciam regebat. Et sub Constantino M. singulis dioecesibus praepositus est adhuc amplior magistratus, qui in omnem dioecesim imperium habebat.

§. IV. Ex hac ciuili politia ecclesiasticam facile cognosces. Etenim in minoribus ciuitatibus, vbi cum senatu defensor ciuitatis, aut dictator rem ciuilem procurabat, ecclesia episcopum constituit, qui cum presbyteris rem spiritualem regeret: & in ciuitatibus prouinciarum principibus, vbi proconsules aut praesides in re ciuili ius dicebant, ecclesia metropolitanos posuit, qui rebus ecclesiasticis totius prouinciae praeessent; & demum in ciuitatibus dioecesium principibus constituti sunt patriarchae, episcopi nempe, qui totius dioecesis in spiritualibus inspectionem haberent. Ita triplicis generis natae ecclesiae, episcopales, metropolitanae & patriarchales, quae inter se connexae & subordinatae erant, non secus ac ciuitates inferiores in imperio a maioribus pendebant.

§. V. Constitutio ista ecclesiarum episcopalium ad ciuilis politiae imitationem facta induxit regulam iuris canonici, qua vetatur in paruis oppidis & villis constitui epi-

episcopatus. Conc. Sardic. *can. VI.*, Athanas. *apol. II.* Et decebat quidem tantum in frequentibus ciuitatibus, quae in imperio habebant proprium magistratum, episcopum constitui, *ne vilescat episcopi nomen & auctoritas*: Sed non semper haec regula obtinuit: nam ante & post synodum Sardicensem episcopi in vicis & exiguis oppidis inueniuntur. Bingh. *orig. eccles. lib. II. cap. 12.* Quod si in pago aliquo populus admodum creuerit, in eo episcopum ordinari canones Africani permittunt, conc. Carthag. II. *can. V.*, nec enim in hac specie vilescit sacerdotium.

§. VI. Porro ex imperii diuisione in Occidentale & Orientale ecclesia in *Occidentalem* & *Orientalem* tributa est. Nomine ecclesiae Occidentalis veniebant ecclesiae ambitu Occidentalis imperii comprehensae, quae octo aut nouem constituebant dioeceses, *Macedonicam* nempe, *Dacicam*, *Illyricianam*, *Italicam* stricte sic dictam, *vrbicariam* siue *Romanam*, *Gallicam*, *Hispanicam*, *Britanicam* & *Africanam*. Ecclesia vero Orientalis continebat ecclesias Orientalis imperii, & quinque dioecesibus constabat, *Orientali* nempe stricte sic dicta, cuius metropolis erat Antiochia, *Aegyptiaca*, *Asiana*, *Pontica* & *Thracica*. V. Petr. de Marca *de C. S. & I. lib. I. cap.* 4.

§. VII. Quamuis autem ecclesia ad exemplum ciuilis regiminis externam suam politiam ordinarit; non tamen ita ciuilibus formis se adstrinxit, vt ab iis numquam discederet. Libertatis, non necessitatis erat publicas formas imitari. Ita in multis regionibus ecclesiastica politia ciuili non respondet. Et quidem in Occidente multae erant ciuiles dioeceses, vnus tamen patriarcha: & in vrbicaria dioecesi, quae decem constabat prouinciis (*a*), nulli erant metropolitani praeter Romanum pontificem, qui iure me-

(a) Prouinciae, quae componebant Romanam dioecesim, erant Picenum suburbicarium, Campania, Tuscia & Vmbria, Apulia & Calabria, Brutium & Lucania, Samnium, Valeria, Sicilia, Sardinia, & Corsica. Calabria olim erat in regione Hydruntina, sed lapsu temporis *Calabriae* appellatio imperatorum Graecorum ambitione Brutiis haesit: quod septimo saeculo primum factum videtur.

metropolitico ſimul & patriarchali eas eccleſias regebat. Item in Africa, quae ſex conſtabat prouinciis, ſedes metropolitica non ciuitati erat adfixa, ſed epiſcopos ordinatione ſeniores ſequebatur, excepta Africa proconſulari, quae Carthagine ſedem primatis fixam habebat. Hinc metropolitani in Africa *ſenes* dicebantur, *can.* 100. *cod. Afric.* V. Dupin. *de antiqua eccleſ. diſcipl. diſſ. I.* §. 9. Sed temporis lapſu etiam metropoles Romanae dioeceſis, veluti Regium, Capua aliaeque metropolitas acceperunt.

§. VIII. Semel ad reipublicae formam expreſſa eccleſiaſtica politia, vna cum ciuitatum mutationibus etiam mutari ſolebat; ſtatuit namque ſynodus Chalcedonenſis *can. XVII.*, vt ſi pro reipublicae neceſſitatibus ab imperatore ciuitatum formae mutentur, *ciuiles & publicas formas eccleſiaſticarum quoque parochiarum ordo conſequatur.* Hinc ambitioſi epiſcopi diuiſiones prouinciarum ab imperatoribus exorabant, vt ita propriae eccleſiae ad altiorem gradum attollerentur. Verum mutatio eccleſiarum non ſemper ciuiles mutationes ſecuta eſt; ſiquidem in tot ciuitatum mutationibus indignum viſum fuit, mutabilia eſſe ſacerdotia. Innoc. I. *ep. ad Alexandr. Antiochen.* Deinceps imperio Romano Occidentis euerſo, & ex eius ruinis non ſine ingenti motu variis exortis regnis, variam fortunam politia eccleſiaſtica experta eſt: ſortem enim ciuitatum quandoque conſecutae ſunt eccleſiae, quandoque perſeuerarunt immutatae.

§. IX. Quamuis autem ſecundum antiquas regulas eccleſiaſtica politia ciuilem conſequatur; inſtitutio tamen eccleſiarum epiſcopalium, metropolitanarum & patriarchalium ſemper ad eccleſiam pertinuit. Tantum ciuilis politia exemplar praebuit, quibus in locis eccleſia epiſcopatus & eccleſiaſticas metropoles inſtitueret, aut etiam ſecundum politiam ciuilem *in principis reuerentiam ipſe canon erigebat*, inquit Chriſtianus Lupus *ſchol. in can. VII. dict. Greg. VII.* Et hinc mutata per principes ciuili politia, mutationem eccleſiaſticam eccleſiae patres inducere ſolebant; in ſynodo enim Chalcedonenſi ad patriarchatum euaſit eccleſia Conſtantinopolitana, quamuis iampridem in ordine ciuili Conſtantinopolis creuiſſet.

§. X. Iam vero in ſynodo cuiuſque prouinciae epiſcopatus

patus excitabantur, ita tamen vt illius episcopi consensus accederet, in cuius paroecia ponebatur noua cathedra, *can.*53 *Cod. Afric.* V. Lupum *loc.cit.* At lapsu temporis ius erigendi episcopatus & ecclesiasticas metropoles in Occidente ad Romanum pontificem deuolutum est occasione falsarum decretalium, in quibus adseritur, S. Petrum & Clementem, illius successorem, non solum episcopos; verum etiam metropolitanos, archiepiscopos, primates & patriarchas instituisse, *can.* 2. *D.* 80., *can.*1. *D.*99. Quisquis vero sit, qui ecclesias episcopales & alias maiores excitat, sine principis consensu id facere non debet, quod talis ecclesiarum mutatio ciuilem politiam adficit.

CAPVT V.

De episcopis eorumque in regenda ecclesia potestate.

§. I. Christus seruator noster ecclesiam, quam in terris collegit, non vnius aetatis esse voluit, sed aeternum duraturam promisit. Hinc apostolis dedit suis, vt eam regerent & ordinarent, & in suimet ipsorum locum alios substituerent. Missi sunt apostoli eadem potestate, qua Christus ipse a patre missus erat, Ioan.*XX.* *v.*21. Itaque in apostolatus ministerium apostoli alios adsumserunt, sibique constituerunt successores: qui non *apostoli*, sed *episcopi* modesto nomine dici voluerunt; quamvis enim *apostoli* nomen natura sua modestum sit; (est enim missus) tamen apostolorum miraculis & sanctitate augustius euasit. Spectauit vero successio ista tantum regimen ecclesiasticum, non ea, quae apostolorum propria fuerunt.

§. II. Omnis christiani sacerdotii plenitudo in episcopatu continetur. Nempe Christus ipse summus sacerdos est, omni sacerdotii plenitudine auctus: Christus autem apostolos eadem potestate, qua ipse a patre missus erat, misit: & vniuersa apostolorum potestas in episcopos descendit.

ſcendit. Hinc Cyprianus *de vnit. eccleſ.* omnibus epiſcopis idem ſacerdotium ex aequo tribuit, *epiſcopatus vnus eſt, cuius ſinguli in ſolidum partem tenent*. Et antiquior ſcriptor Ignatius martyr *epiſt. ad Trallian.* epiſcopis Chriſti attribuit perſonam, *reuereantur omnes epiſcopum, vt Ieſum Chriſtum, exiſtentem filium patris* (*a*).

§. III. Iam epiſcopis competit poteſtas, qua pro iure ſuo ſacra omnia obeunt munera, & gladium exercent ſpiritualem. Eſt epiſcopatus plenitudo ſacerdotii, qua vniuerſa ſpiritualis poteſtas continetur. Et apoſtolos & eorum in epiſcopatu ſucceſſores eadem poteſtate, qua ipſe a patre miſſus erat, Chriſtus miſit. Fecit quidem multitudo officiorum, vt epiſcopalis poteſtas in plures riuulos diſpergeretur; at nihil de fontis plenitudine deceſſit. Inferiores ſacerdotes epiſcopi vices implere intelliguntur, vtpote qui in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis vocati cenſentur.

§. IV. Vulgata & recepta doctrina eſt, quae in epiſcopali poteſtate ea, quae *ordinis* ſunt, a iuriſdictione diſpeſcit. Spectat poteſtas ordinis ea, quae characterem epiſcopalem requirunt, iuriſdictio vero externam eccleſiae politiam & adminiſtrationem, quam epiſcopi per ſolam confirmationem adquirunt (*b*). Et hinc praelati inferiores

(a) Plenitudo iſta ſacerdotii recta ab ipſo Chriſto, non a Romano pontifice in epiſcopos deſcendit. Sunt ſane epiſcopi apoſtolorum ſucceſſores; apoſtoli autem recta a Chriſto ſacerdotium acceperunt. Porro docet Paullus, eccleſiae regimen per Spiritum ſanctum epiſcopis fuiſſe demandatum, *Actor. XX.* 28. Et Cyprianus *epiſt. LXIII.* ſcribit, *epiſcopos eccleſiis dominicis in toto mundo diuina dignatione praepoſitos*. Et quamuis Optatus *lib. VII. contra Parmenian.* & Leo M. *ſerm. III. anniuerſ. adſumtionis ſuae* teneant, per Petrum ceteris apoſtolis claues fuiſſe transfuſas & communicatas; tamen hac doctrina id dicere voluerunt, apoſtolis datas claues indiuulſa conſenſione cum capite eſſe adminiſtrandas, vt eccleſia vna monſtraretur. Ad rem Auguſtinus *tract. L. in Ioan.* adfirmat, Petrum, *quando claues accepit, eccleſiam ſanctam ſignificaſſe*.

(b) Ignota veteribus fuit diſtinctio iſta epiſcopalis poteſtatis, & tum demum inualuit, quum confirmatio epiſcoporum ab ordi-

res, qui ordinis episcopalis expertes sunt, sola iurisdictione augentur.

§. V. Potestas episcopalis origine sua nullis locorum finibus coërcetur. Sane apostolos in mundum vniuersum ad euangelium praedicandum Christus misit. Marc. *XVI. v.* 15. In eamdem vineam multi missi sunt laborantes. Et reapse apostoli indiuulsa caritate & consensione ecclesiam administrarunt, & non sine signis & portentis vbique praedicarunt euangelium. Hinc doctrina illa de vno per vniuersam ecclesiam episcopatu, qui concordi multorum episcoporum vniuersitate diffunditur. *Nemo fraternitatem seducat*, inquit Cyprianus *de vnitate ecclesiae, nemo fidei veritatem perfida praeuaricatione corrumpat: episcopatus vnus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur.*

§. VI. Administratio ecclesiae ab episcopis in solidum confusionem inducebat, praesertim quod episcopi in regimen ecclesiae, non in caritatem apostolis successerint. Hinc e re ecclesiastica visum est, singulorum episcoporum potestatem certis finibus coërcere, nec in alienis ecclesiis eos posse sacris operari, nisi ex proprii episcopi auctoritate, quod passim canones apud Gratianum *caus. IX. q.* 2. inculcant, & patres Tridentini *sess. VI. de ref. cap.* 5. confirmarunt. Fines autem, quibus singulorum episcoporum potestas includitur, *paroeciae* & *dioecesis* nomine in antiquis monumentis designantur (*c*), quamuis vox

ordinatione separata est. Nempe ex noua disciplina episcopus per confirmationem electionis pastor ecclesiae constituitur: atque hinc receptum, posse episcopos confirmatos, etsi non ordinatos, ecclesiam in omnibus administrare, iis tantum exceptis, quae αμεσως ab ordinatione pendent. V. Espen. *par. I. tit.* 14. §. 5.

(c) Vox *paroecia* origine sua domorum viciniam significat, immo etiam vicos vni ciuitati addictos. Hinc & ecclesiae a presbyteris administratae & episcopatus paroeciae nomine recte designantur. Quin late accepta voce etiam prouinciae & plurium prouinciarum tractus antiquis *paroeciae* dicuntur. V. Carol. Dufresne *glossar. med. & infimae latinit. v.* parochia *in additionib.* Hinc intelligis *can. XVII.* Chalcedonensem, quo statuitur, vt ciuiles & publicas formas, *ecclesiasticarum paroeciarum* ordo con-

vox *dioecesis* saepe integrum plurium prouinciarum tractum denotet.

§. VII. Vetantur quidem episcopi in casibus ordinariis vltra paroeciae suae fines spiritualem potestatem exercere; at si salus ecclesiae periclitetur, pristinam potestatem induunt, & vbique episcopos agunt: quae Cypriani doctrina est in *epist. LXVIII. ad Stephanum*. Salus ecclesiae est suprema lex ecclesiastica, & necessitate vrgente iura humana non adstringunt; quin potius vniuersa ecclesia velut vnus episcopatus reputatur. Hinc Athanasius ab exilio redux in diuersis ciuitatibus ad curam suam minime pertinentibus fecit ordinationes, quod tradit Socrates *lib. II. cap.* 24.; periculum enim erat, ne ecclesia perfidia Ariana obrueretur.

C A P V T VI.

De episcoporum officiis.

§. I. Officia omnia episcoporum ab ecclesiae cura dimanant, ambituque suo omnes religionis functiones amplectuntur; nulla enim sacri ministerii pars est, quam non continet episcopatus: ceteri ministri episcopis adiutorio esse intelliguntur, vocati potius in partem sollicitudinis, quam in plenitudinem potestatis. Et primum quidem episcoporum officium est verbi Dei praedicatio: christianae enim religionis fundamentum est doctrinae euangelicae professio: & fieri profecto non potest, vt in Christum homines credant, nisi Christus praedicetur. Tam proprium apostolatus reputarunt apostoli verbi ministerium, vt mensarum seruitium, quo a praedicatione distra-

---

sequatur. *Dioecesis* est diuisa habitatio seu administratio: hinc regiones & ecclesiae omnes, quae seorsum reguntur, eo nomine venire possunt; etsi vsu Graecorum & legum ciuilium vtriusque codicis *dioeceses* sunt integri prouinciarum tractus.

ftrahebantur, in diaconos reiecerint: *non eſt aequum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*, *Actor. VI. v.* 2. Et hinc factum, vt antiqui patres thronum epiſcopi *doctrinae* & *doctoris ſedem* appellarent.

§. II. Feliciter per quinque priora ſaecula epiſcopi hanc prouinciam exornarunt: nec aliud ſunt Baſilii, Ambroſii, Auguſtini, Chryſoſtomi & aliorum epiſcoporum *homiliae*, *ſermones*, *tractatus*, quam conciones ad populum habitae. Saeculo ſexto remiſſiores in praedicando epiſcopi facti ſunt, donec tandem fere conticuerint; praebueruntque ſilentio cauſſam frequentes in Europam barbarorum incurſioues, abſentia epiſcoporum ab eccleſiis ſuis, doctrinae in multis epiſcopis defectus, eccleſiarum opulentia, qua epiſcopatus veluti dignitas commodis adfluens, non onus cenſebatur, & demum mendicantes, qui artem praedicandi ſectabantur, & nulli certae eccleſiae addicti, quocumque mittebantur, praedicabant.

§. III. Interim numquam deſtitit eccleſia nouis latis canonibus epiſcopos ad praedicationis officium reuocare. Mediis enim ſaeculis nulla ferme ſynodus celebrata eſt, in qua de concionibus habendis tractatum non ſit. V. Thomaſſ. *de vet. & noua eccl. diſcipl. par.II. lib.*3. *cap.* 85. Sed harum ſynodorum canones magis praedicationi conſuluiſſe, quam adegiſſe videntur epiſcopos ad praedicandum; ſtatuunt enim, vt epiſcopi vel per ſe, vel per alios conciones inſtituant (*a*). Verum Tridentina ſynodus *ſeſ. XXIV. de ref. cap.* 4. indifferentiam iſtam ſuſtulit, ſtatuitque, epiſcopos per ſe teneri ad praedicandum, niſi legitimo impedimento vetentur.

§. IV. Quo caſu iuſta cauſſa impedimento eſt, ne epiſcopi ipſi conciones habeant, eorum eſt ſeligere, quos ad praedicandum mittant. Sine venia epiſcopi nemo aliquid eorum, quae ad eccleſiam pertinent, poteſt operari,

(a) Dignus adnotatione eſt canon quidam ſynodi Lateranenſis ſub Innocentio III., quo inter cauſſas, quibus epiſcopi a praedicatione excuſantur, recenſentur *multiplices occupationes*, *cap.* 15. *ex. de offic. ordin.* Non ita feciſſent apoſtoli, qui omnes alias abiecerunt curas, vt praedicationi inſiſterent.

quae antiqua regula eſt. Conc. Laodicen. *can. LVII.* Et in ſpecie de praedicationibus vetera monumenta, quae ſaepe praesbyteros ſiſtunt praedicantes, ſemper poteſtate ab epiſcopo habita id factum eſſe teſtantur. Porro ſtatuerunt Tridentini patres *ſeſ. XXIV. de ref. cap.4.*, vt epiſcopi in eccleſia cathedrali, ſi per ſe minus poſſint concionari, pro arbitrio, in aliis eccleſiis, ſi parochi impediti ſint, praedicatores conſtituant, impenſis tamen eorum, qui eas praeſtare tenentur, vel ſolent. At hoc decreto derogatum non eſt immemorabili conſuetudini, quae alii ab epiſcopo in eccleſiis non cathedralibus tribuit ſeligendi praedicatoris facultatem, praeſertim quando qui nominant, alunt etiam praedicatores. Fagnan. *ad cap.* inter cetera *ex. de off. ordin. n.* 28.

§. V. Ex regulis quoque Tridentinis vetantur regulares ſine venia epiſcopi etiam in eccleſiis ſuorum ordinum praedicationes habere. Regulares vi ſuorum priuilegiorum, quae lapſa iam diſciplina de plenitudine poteſtatis pontificiae obtinuerant, diu inſciis aut inuitis epiſcopis munia paſtoralia exercuerunt & praedicationes habuerunt. Sed Tridentini patres, quod ſpectat ad praedicationem (vt nunc nihil dicam de aliis miniſteriis) privilegia regularium abrogarunt edito decreto, vt *nullus ſaecularis, ſiue regularis etiam in eccleſiis ſuorum ordinum contradicente epiſcopo praedicare praeſumat*. Trident. *loc.cit.* (*b*).

§. VI. Proximum epiſcoporum officium eſt ſacramentorum adminiſtratio. Quo chriſtiani ſimus, non ſufficit in Chriſtum credere, ſed inſuper ſacramenta ſunt adminiſtranda, vt gratia dari, augeri & deperdita recuperari poſſit. Hinc epiſcoporum, ad quos cura eccleſiae ſpectat, eſt ſacramenta adminiſtrare. Integram hanc prouinciam ferme

(b) Hoc decreto abrogatum eſt eiuſdem ſynodi *caput II. ſeſ. 5. de ref.*, quo permittebatur regularibus in eccleſiis ſuorum ordinum praedicare, modo id facerent de licentia ſuorum ſuperiorum regularium, & ſe epiſcopis ſiſterent, & ab iiſdem peterent benedictionem. Editus fuit iſte canon nondum frequentibus epiſcopis, & eſt ex iis, quos a patribus Tridentinis temporum iniuria extorſit.

ferme olim episcopi per se procurarunt, sed postquam latifundia & feuda ecclesiis accesserunt, & regimen politicum spirituali adnexum est; administratio sacramentorum, quae ab episcopali charactere non pendet, ferme parochis & inferioribus presbyteris cessit. Item episcoporum est chrisma, oleum sanctum, ecclesias, sacras virgines consecrare, quamuis nonnullas benedictiones etiam presbyteri possint facere.

§. VII. Porro episcoporum officium est continuas fundere preces; praedicatio enim ab oratione seiuncta nihil operatur: publicas preces praeire, alios ad orandum inducere, orationum formulas concipere, libros eo spectantes euulgare, publicas preces extra ordinem indicere: item pauperum, viduarum & omnium miserabilium curam specialem habere; bona & reditus ecclesiarum tamquam Deo intuente procurare: diffidentes christianorum animos in concordiam adducere; quaestiones ecclesiasticas in dioecesi exortas ex sacra scriptura & canonibus decidere: canonum sapienter veniam indulgere: & contra christianos contumaces poenas spirituales irrogare. Sed horum officiorum pleraque suis locis fusius explicantur.

CAPVT VII.

De visitatione dioecesis.

§. I. Inter officia episcoporum censetur etiam frequens paroeciarum perlustratio. Nisi medici aegrotos conueniant, aptam morbis non adhibebunt medicinam. Per se autem debent episcopi ecclesias inuisere, nisi ex iusta caussa impediantur, *can.* 11. *C.* 10. *q.* 1., Trident. *sess. XXIV. de ref. cap.* 3. Quando autem episcopi impediuntur, opera presbyterorum, diaconorum, decanorum, aut archidiaconorum paroecias perlustrant, *cit. can.* 11., *cap.* 1. *ex. de off. archid.* (a): qui omnes visitatores delegata epi-

(a) Apud Graecos ad paroecias inuisendas stabile & perpetuum

episcopi poteſtate viſitationem perficiebant; at mediis saeculis negligentia episcoporum vniuerſa archidiaconorum & decanorum poteſtas euaſit ordinaria. Vbi ſtabat ordinaria iſta archidiaconorum & decanorum poteſtas, eam Tridentini patres *loc. cit.* reſtrinxerunt; ſtatuerunt enim, vt deinceps ex conſenſu episcopi notarium adſumant, per ſeipſos tantum eccleſias inuiſant, & vnius menſis ſpatio acta viſitationis ad episcopum tranſmittant.

§. II. Finis autem viſitationis eccleſiarum eſt inductio & reſtitutio ſanae doctrinae, morum compoſitio, totius paſtoralis curae explicatio & lapſae diſciplinae renouatio. Vt vero rectius finis viſitationum poſſet obtineri, cogebantur ſynodi ex clericis, nobilibus & laicis ſingularum regionum, vbi episcopus reſidens de vita clericorum generale plebis teſtimonium exquirebat, de moribus laicorum interrogabat, & ex optimis viris ſeptem ſeligebat teſtes, *ſynodales* dictos, quos delato iureiurando de vitiis eius loci propriis, & de clericorum & laicorum officiis ſigillatim interrogabat, vt ex Regionis formulis conſtat. Temporis lapſu ſynodi non amplius habitae ſunt, tantumque episcopi viſitantes ſine iureiurando de omnibus, quae pertinent ad viſitationem, inquirunt, *cap.* 1. §. 4. *de cenſib. in 6.*

§. III. Iam vero pro iure ſuo episcopi inuiſunt perſonas & res omnes dioeceſis, quatenus tamen ſpectant religionem. Tam late patet viſitatio, quam cura paſtoralis. Praeſertim vero ad clericos, monachos & alias miſerabiles perſonas ſpectat episcopi viſitantis ſollicitudo. Quin de monachis ſtatuit ſynodus Aurelianenſis, *vt non ſemel, ſed ſaepius in anno episcopi viſitent monaſteria mona-*

---

tuum officium videtur inſtitutum, quique eo donabantur *περιοδευταὶ circulatores* audierunt, quod nulli eccleſiae eſſent addicti, ſed omnes circumirent, vt Zonaras obſeruat. Cui inſtitutioni cauſſam videtur dediſſe ſynodus Laodicena *can. LVII.*, quae episcopos in vicis & pagis creari vetuit, eorumque loco conſtitui iuſſit περιοδευτας, qui per pagos & vicos vice episcoporum curſitarent.

nachorum, *can.* 29. C. 18. *q.* 2. Nec tantum perſonae, verum etiam eccleſiae omnes earumque bona epiſcoporum viſitationi ſubſunt, vt & hoſpitalia aliaque pia loca. Vtraque enim poteſtas eccleſiaſtica & ciuilis curam hoſpitalium epiſcopis demandauit. Conc.Chalced. *can.VIII.*, *L.* 46. §. 3. *C. de epiſcop. & clericis.*

§. IV. Haec autem tam late patens epiſcopi viſitantis poteſtas lapſu temporis multum decreuit; inductae enim ſunt de plenitudine pontificiae poteſtatis monachorum, capitulorum, eccleſiarum, hoſpitalium, quin ſingulorum clericorum ab epiſcopi poteſtate exemtiones. Et praeterea multa hoſpitalia & alia loca pia abſque epiſcopi auctoritate fundata ſunt, quae epiſcopis ſubiecta non cenſebantur. Sed Tridentini patres multis editis decretis dederunt epiſcopis, vt tamquam apoſtolicae ſedis delegati viſitarent capitula & eccleſias omnes exemtas, itemque clericos exemtos, & monachos extra monaſterium degentes, quo caſu delinquant. V. Eſpen. *part.I. tit.*17. *cap.* 3. Porro epiſcopis facta eſt poteſtas viſitandi hoſpitalia & collegia ſeu confraternitates laicorum (non tamen quae *exemtas* ſub regum protectione ſunt ſine eorum licentia) & pia omnia loca, etiamſi eorum cura ad laicos pertineat. Trident. *ſeſ.XXII. de ref. cap.*8. Sed hoc decretum in pleriſque prouinciis & in hoc noſtro regno admiſſum non fuit. Ceterum apud nos ex pactis conuentis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem noſtrum *cap.V. art.*1. epiſcopi tantum in ſpiritualibus poſſunt inuiſere eccleſias, capellas, hoſpitalia & confraternitates a laicis gubernata, quae omnia *extauritae* vulgo dicuntur.

§. V. Paſtorali muneri ſatis non faciunt epiſcopi, ſi ſemel in vita paroeciam ſuam perluſtrent. Inductio ſanae doctrinae & diſciplinae iam lapſae emendatio certe vnius viſitationis opus non ſunt. Quoties viſum fuerat, epiſcopi in veteri diſciplina paroecias ſuas circumibant. Sed iure nouo ſingulis annis viſitatio facienda eſt, niſi id vetet dioeceſis amplitudo, quo caſu maior pars quotannis, tota biennio perluſtrari debet. Trident *ſeſ.XXIV. de ref. cap.*3.

§. VI. Iam epiſcopis viſitantibus paroecias ſuas debentur alimenta, quae *procurationum* nomine veniunt. Procurationes illae debent eſſe frugales, vt paſtores decet

animarum (*b*). At mediis saeculis visitatorum rapacitate, fastu, gula in immensum excreuerunt; episcopi enim non vt pastores animarum decebat, paroecias circumibant, sed superbo comitatu, secumque canes & aues venatorias deferebant. His malis tandem Tridentina synodus medicinam quaesiuit; statuit enim, visitatores modesto comitatu ecclesias circumire, nihil etiam sponte oblatum occasione visitationis accipere praeter victualia, quae frugaliter & modeste pro temporis necessitate ministranda sunt, gratuitas vero omnino esse visitationes, si consuetudo ferat, vt nihil exigatur. Trid. *sess. XXIV. de ref. cap.* 3.

§. VII. Potestas episcopi visitantis spectat praesertim ea, quae notoria sunt, nec longo indigent examine: proceditque sine formulis iudiciariis, sed sola summaria cognitione, irrogatque potius correctiones, quam poenas ordinarias. Respuit enim longiores moras & exactam cognitionem visitatio. Inde est, quod exemtio non excludit visitationem, quae magis in corrigendo, quam in iudicando consistit: & decreto synodi Tridentinae *sess. XXIV.*

(b) Interpretes originem procurationum episcopis visitantibus debitarum ab eo iure repetunt, quo laborantibus praestari debent alimenta. Plausibilis certe sententia, cui tamen illud obstat, quod procurationes mediis saeculis inualuerint, quando perpetuos & opimos reditus episcopatus habebant: & alias certi iuris erat, clericos, quibus est ad vitam satis, ex bonis ecclesiasticis viuere non posse. Itaque magis est, vt origo procurationum repetatur ab imperio sacro, & institutione beneficiorum, quae feudorum sapiunt naturam. Scilicet subditi & vasalli in signum subiectionis praestabant principi eiusue ministris & domino feudi iter facientibus hospitium & cibaria, quae *mansiones* & *paratae* dicebantur. V. Car. Dufresne *glossar. med. & infim. latinit. v.* procuratio. Quum vero imperium sacrum in totam dioecesim episcopi exercerent, & bona ecclesiastica iure quodam feudi beneficiariis dedissent; exemplo principis & domini feudi, dum paroecias inuisebant, procurationes exigere coeperunt: quod Boehmerus *iur. eccles. lib. III. tit.* 39. §. 90. *seqq.* pluribus illustrat. Et inde nata doctrina illa, *magis in signum & professionem subiectionis*, quam *visitationis operam* procurationes deberi.

XXIV. de ref. cap. 10. a correctione in visitatione facta interposita appellatio exsecutionem non suspendit: at hoc decretum apud nos receptum non est (*c*).

CAPVT VIII.

De metropolitanis.

§.I. Metropolita seu *metropolitanus* in rebus ecclesiasticis est episcopus ciuitatis in prouincia principis, qui vniuersae prouinciae in spiritualibus praeest. In antiquis monumentis appellatur etiam *primae cathedrae*, aut *primae sedis episcopus*, *primas* & *exarchus prouinciae*, & in Africa *senex* ob primatum non sedi, sed aetati tributum. V. Bingh. *orig. ecclef. lib.II. cap.*16. §.5. *seq.* (*a*).

§. II.

(c) Vt vero sancta episcoporum visitantium consilia eo melius procederent, olim ministri regii, quos *missos dominicos* appellabant, comitari solebant episcopos: atque ita armata manu ad pietatem inducebantur, qui episcoporum admonitionibus non cedebant, *capitul. reg. Franc. lib. II. cap.* 26.

(a) Quae fuerit prima metropolitanorum origo, inter doctos non conuenit. Iacobus Vsserius, Beueregius & in primis Petrus de Marca *de C. S. & I. lib.VI. cap.* 1. contendunt, eos ab apostolis institutos fuisse: contra ex veriori sententia Dupinus *diss.I. de antiqua eccles. discipl.* metropolitarum originem a moribus ecclesiarum repetit: quasi nempe ecclesia factis ipsis se accomodauerit receptis populorum moribus, qui ad ciuiles metropoles confluebant, siue ad iudicia expedienda, siue ad merces comparandas. Sane synodus Antiochena *can.IX.* ob eam rationem statuit, omnes episcopos scire debere, metropolitanum curam totius prouinciae habere, *quod in metropolim vndequaque concurrant omnes, qui habent negotia*. Promouit quoque potestatem metropolitanorum auctoritas apostolorum vel virorum apostolicorum, qui ecclesias in ciuilibus metropolibus fundarunt, vel datis litteris instituerunt. Quod si in scriptis apostolicis ecclesiae designentur per prouincias, in quas ea aetate

Ro-

§. II. Poteſtas regendae prouinciae ex antiquis moribus & regulis potius penes ſynodum prouincialem, quam penes ſolum metropolitam reſidebat. Etenim omnes vnius prouinciae epiſcopi vnum componebant corpus, cuius caput erat metropolitanus, membra vero epiſcopi comprouinciales. Ita nihil magni momenti in ſuis paroeciis praeter metropolitani ſententiam epiſcopi faciebant, & viciſſim abſque omnium ſententia res magni momenti non agebat metropolita, *can. XXXV. apoſt.*, conc. Antioch. *can. IX.* Ergo bis in anno ſynodus prouincialis erat celebranda, vt omnium rationabili decreto res eccleſiaſticae tractarentur, & plurimorum ſententia obtineret. Conc. Nicaen. *can. V. & VI.* Sed labentibus annis ſynodi prouinciales rariores factae ſunt, & ius adminiſtrandae prouinciae ſenſim ad ſolum metropolitanum deuolutum eſt, *cap.* 52. *ex. de ſentent. excommunicationis*.

§. III. Iura metropolitanorum plura in antiquis canonibus proponuntur. Et primum quidem metropolitani cum epiſcopis prouincialibus epiſcoporum electiones dirigebant, eoſque ordinabant. Conc. Nicaen. *can. IV. & VI.*, Laodic. *can. XII.* Item (II) ſynodum prouincialem indicebant. Conc. Antioch. *can. XX.* Et quemadmodum metropolitani erat ſynodum indicere, ita epiſcoporum erat ſtato tempore conuenire, & in ſynodo ſuffragium ferre: & hinc epiſcopi prouinciae *ſuffraganei* dicti ſunt. Ad metropolitanum quoque (III) ſpectat de delictis epiſcoporum iudicare, & de appellationibus ab eorum ſententiis cognoſcere, idque, ſi cauſſae ſint grauiores, in prouinciae ſynodo, *can. apoſt. XXV.*, conc. Chalced. *can. IX.* Porro (IV) cura totius prouinciae incumbit metropolitanis, vt in omnibus paroeciis omnia recte fiant; & hinc totam prouinciam vel eius partem circumeunt & inuiſunt, *cap.* 1. *de cenſib. in 6.* Et demum (V) epiſcopis, qui ab eccleſiis

---

Romanum imperium diuidebatur; id tantum probat, fuiſſe diſtinctas eccleſias per prouinciarum diſtinctionem, non vero etiam arguit, ab apoſtolis in metropolibus inſtitutos fuiſſe epiſcopos, qui toti prouinciae praeeſſent, quod Dupinus *loc. cit.* recte obſeruat.

clesiis suis discedere coguntur, litteras *formatas* dabant.

§. IV. Haec metropolitanorum iura temporis decursu ferme abolita sunt, & eorum accessione sedes Romana creuit. Itaque episcoporum electiones, confirmationes & consecrationes auctoritate pontificis expediuntur, quamquam in multis prouinciis episcoporum nominatio ex novis institutis ad principes pertineat. Item caussae maiores episcoporum, in quibus de eorum depositione, translatione & cessione agitur, pontifici reseruatae sunt: quod ius coepit a falsis decretalibus, in quibus saepe inculcatur, non posse prouinciae synodos deponere episcopos, sede Romana inconsulta. Et secundum praesentem disciplinam minores tantum episcoporum criminales caussae a synodo prouinciali, vel iudicibus in ea electis iudicantur & puniuntur. Trident. *sess.XXIV. de ref. cap.* 5. Nec iure nouissimo metropolitani inuisunt prouincias, nisi caussa prius expensa & probata in synodo prouinciali. Trident. *loc. cit. cap.* 3.

§. VI. Quaecumque vero fuerit & nunc sit metropolitani potestas, non complectitur ordinarias episcoporum functiones, sed est episcopali potestate superior, qua episcopi a sacris canonibus deuii coërcentur. Certe patres Antiocheni *can.XI.* dum vniuersae prouinciae curam metropolitae committunt, addunt, *vnumquemque episcoporum habere suae parochiae potestatem*.

C A P V T IX.

De auctoritate & vsu pallii.

§. I. Moribus praesentibus metropolitani pontificalis officii plenitudinem post acceptum *pallium* possunt explicare. *Pallium* initio vestis imperialis fuisse videtur, quae ab imperatoribus dabatur patriarchis ad Christi sacerdotium condecorandum. V. Petr. de Marca *de C. S. & I. lib. VI. cap. 6.* & Thomass. *de veteri & noua eccles. discipl. par. I. lib.* 2. *cap.* 53. Et ita erat prae-

praeclarum indumentum, quo totum corpus ad talos vsque operiebatur, cappis hodiernis haud absimile. Sed inde pallium in exiguam abiit fasciam de candida lana in modum circuli contextam, quae humeros cingit, habetque ab vtraque parte duas lineas in pectus & humeros impendentes cum quatuor purpureis crucibus intextis ante & retro, a dextris & sinistris, tribusque aciculis aureis consuitur & adligatur. Ita Innocentius III. *lib. I. de myster. missae cap.* 63. pallium describit. Sed hodie sex & nigri coloris cruces sunt.

§. II. Semel acceptum pallium de adsensu imperatoris patriarchae metropolitanis mittebant. Vigilius papa *ep. I. ad Auxanium*, Gregor. M. *lib. VII. ep.* 5. Nefas videbatur, imperialem vestem, imperatore inscio, aliis dare, praesertim quando vsus purpurae & regiae vestis priuatis erat interdictus. Sed inde vbi ob haeresim iconoclastarum dissidia inter Romanos pontifices & imperatores exorta sunt, pontifices sine principis adsensu sibi sumserunt, & aliis pallium dederunt. Quin imperio Graeco a Latinis occupato, in synodo Lateranensi statuit Innocentius III., vt deinceps patriarchae Orientales a Romano pontifice pallium acciperent, illudque a papa acceptum suffraganeis impertirent suis, *cap.* 23. *ex. de priuileg.* Sed isti omnes patriarchae Latini & Latinorum fuerunt, non aliorum, quod Franc. Florens *tract. de auctorit. & vsu pallii* recte obseruat.

§. III. Iam vero Romani pontifices, quo primum tempore aliis pallium dare coeperunt, tanto honore metropolitanos, qui ad eorum consecrationem pertinebant, ornarunt, itemque Occidentis insigniores metropolitanos, quibus vices suas in prouinciis demandabant. Digna nempe res erat, vt qui vices summi pontificis in ecclesiis sustinebant, pontificio etiam eminerent ornatu. Ita factum est, vt pallium concessum praecipuis Occidentis metropolitanis, qui ad pontificis consecrationem non pertinebant, pontificiam legationem etiam adferret. Gregor. M. *lib. XII. ep.* 31. Hinc sexto saeculo metropolitani pallii habendi erant cupidissimi, illudque meritis exigentibus, precibus petentium & saepe etiam regum fatigati parce admodum pontifices concederent. Eximia dignitas

vica-

vicariatus apoſtolici pallio intexta paſſim & ſine delecta non erat tribuenda. Pallio autem & vicariatu ſedis apoſtolicae accepto, metropolitani, qui ſumma libertate in eccleſiis adminiſtrandis vſi erant, arctius ſedi apoſtolicae propter acceptum vicariatum adhaeſerunt, & veluti pontificis vicarii facti ſunt. Et ita pontifices ſuam patriarchalem poteſtatem per Occidentis prouincias magis magiſque produxerunt.

§. IV. Verum labentibus annis vicariatus ſedis apoſtolicae a pallio diſtractus eſt: & metropolitani omnes Occidentis a ſummo pontifice pallium acceperunt, immo neceſſitati illius petendi ſubiecti ſunt (a). Praeiuit huic nouitati Bonifacius legatus pontificius in ſynodo Gallicana anno IↃCCXLII. habita: certe vero medio ſaeculo octauo omnes Occidentis metropolitani pallium iam adepti erant: quem receptum morem ſynodus octaua generalis *can. XVII. apud Anaſtaſ. Biblioth.* confirmauit (b). Petentes vero

(a) Pallium priuilegio ſummorum pontificum etiam multis epiſcopis conceſſum eſt. Epiſcopis vero conceſſum pallium, eos a metropolitanorum iuriſdictione non eximebat: quod pontifices exprimebant in conceſſione, licet non defuerint epiſcopi, qui pallio accepto a metropolitani poteſtate ſe ſubductos putarent.

(b) Sed qua tandem ratione metropolitani omnes pallium acceperint, immo neceſſitati petendi ſubiecti fuerint, dictu facile non eſt. Petrus de Marca *de C. S. & I. lib. VI. cap.* 7. id eueniſſe docet calliditate & aſtutia, vt metropolitani Occidentis magis obnoxii fierent ſummo pontifici, eique praecipuo quodam iure ſubiicerentur: idque probat ex facto epiſcoporum Galliae, qui licet in ſynodo Gallicana anno IↃCCXLII., rem promouente Bonifacio epiſcopo, ſummi pontificis legato, ſtatuerint, vt epiſcopi in vnitate & ſubiectione Romanae eccleſiae viuerent, & metropolitani a ſummo pontifice pallia peterent; tamen inde in ambiguo fuerunt, an pallia petere deberent, veriti ne nouitate illa ad inſolitam quamdam reuerentiam in ſedem apoſtolicam adigerentur. Contra Ludouicus Thomaſſinus *de vet. & noua eccleſ. diſcipl. par. I. lib. 2. cap.* 55. tenet, ipſos metropolitanos ſponte ſua neceſſitati petendorum palliorum ſe ſubieciſſe, receptoſque ſemel mores deinceps in concilio generali fuiſſe confirmatos: additque, petitionem illam palliorum

ro pallium metropolitani summo pontifici primum canonicam obedientiam iurato promiserunt, deinceps etiam fidelitatem ei similem, quam vasalli dominis suis in recipiendis feudis promittere tenentur.

§. V. Virtus pallii in noua disciplina prorsus insignis est. Continetur nimirum in pallio *pontificalis officii plenitudo cum archiepiscopalis nominis appellatione*, vt Innocentius III. in *cap. 3. ex. de auctoritate & vsu pallii* loquitur (c). Et ita ante pallii receptionem vetantur metropolitani munia pastoralia obire, & ipsum nomen *archiepiscopi* sumere, vtut fuerint consecrati. Quod non est ita accipiendum, quasi pallium ipsum conferat potestatis plenitudinem; sed ita, potestatis in ordinatione iam receptae exercitium tantum post acceptum pallium posse explicari. Nouum profecto non est, ecclesiam modum imponere pote-

---

rum a Romano pontifice, quam auctore Bonifacio synodus Gallicana decreuerat, libertatis potius quam seruitutis fuisse argumentum. Sed videtur non posse negari, in palliorum petitione, quam synodus Bonifacii a metropolitanis expressit, insolitam quamdam obedientiam erga summum pontificem fuisse inuolutam: nam pallium etsi tum non deferret apostolicum vicariatum; tamen metropolitanos Galliae, qui tum nulli patriarchae subiecti erant, summo pontifici tamquam patriarchae eiusque synodo addicebat. Ceterum libenter adgnosco, non machinis & artibus eo deuentum, sed potius quod Gallicanae ecclesiae status ita postulabat: quod *par. I. comment. de iure canonico cap. 9.* pluribus explicuimus.

(c) Vnde plenitudo ista pontificalis potestatis pallio accesserit, nodus est vindice dignus. Omissis aliorum sententiis, mihi plenitudo ista potestatis pallio intexta a vicariatu sedis apostolicae, quem pallium deferre solebat, videtur repetenda. Sane qui vicariatum sedis apostolicae cum pallio olim accipiebant, saltem patriarchialia iura pallio referebant accepta, nec ea, nisi pallio accepto, poterant explicare. Sequentibus temporibus vbi vicariatus sedis apostolicae a pallio distractus est, plenitudo potestatis in pallio contenta, quae erat patriarchalis, sic accepta fuit, quasi esset pontificalis seu pastoralis. Cui dogmati magis adhaeserunt pontifices, postquam necessitas petendi pallii omnibus metropolitanis iniecta est.

potestati vtut iure diuino datae. Et ita quod spectat ad pontificalium vsum melior videtur conditio episcoporum, quam metropolitarum; illorum enim officia pastoralia nulli externo ornamento sunt addicta.

§. VI. Iam pallium intra tres a consecratione menses metropolitani petere *fortiter* debent, *can.* 2. *D* 100., consueta formula *instanter*, *instantius*, *instantissime*: idque ex antiqua disciplina descendit, qua metropolitani percupidi erant pallii, quo apostolicus vicariatus dabatur. Petitum pallium in altari sepulturae S.Petri benedicitur, & inde conceditur: quae disciplina saeculo vndecimo exeunte iam recepta erat, *cap.*4. *ex. de electione.* Ipsi metropolitani per se pallia petere debebant, quamuis iampridem obtinuerit, vt vicaria alterius opera pallium petatur.

§. VII. Pallium semel acceptum personae cohaeret, nec alius eo vti potest. Hinc pallium non commodatur, & quisque cum eo sepeliendus, *cap.*3. *ex. de auctorit. & vsu pallii.* Accepto autem pallio non semper vtuntur metropolitani, sed tantum certis locis, diebus & officiis, *can.*6. *&* 8. *D.* 100., *cap* 1. *&* 5. *ex. eod.*: qua in re a Romano pontifice distant: etenim Romanus pontifex *semper & vbique* vtitur pallio, idque ex ea ratione factum Innocentius III. adfirmat, quod Romanus pontifex potestatis plenitudine auctus est, ceteri vero episcopi in sollicitudinis partem vocati sunt, *cap.* 4. *ex. eod.*

CAPVT X.

De patriarchis.

§. I. PAtriarcha, qui olim dicebatur *archiepiscopus*, in re ecclesiastica episcopus est, qui integrae dioecesi praeest, hoc est pluribus inuicem coniunctis prouinciis. Hinc patriarchalia iura sunt metropolicis ampliora. Et sane patriarchae ordinant metropolitanos, conc.Chalced. *can. XXVIII.*, indicunt synodum dioecesanam, eique praesunt. Item ad patriarcham a metropolitani & synodi

ſynodi prouincialis ſententia appellatur, *L.29. C. de epiſc. audient.*, *nouel.CXXIII. cap.* 22.; & ceſſantibus metropolitis patriarcha etiam in epiſcopos dioeceſis animaduertit. Nec aliquid magni momenti agere licet metropolitanis, antequam patriarcha conſulatur. Conc.Chalced. *act.V.* (a).

§. II.

(a) Quae fuerit prima patriarcharum origo, acerrime inter viros doctos concertatur. Baronius, Valeſius, Pagius ab apoſtolis inſtitutos patriarchas contendunt. Contra Dupinus moribus eccleſiarum ante ſynodum Nicaenam receptis patriarcharum inſtitutionem tribuit. Item Balſamon & recentiores Graeci in ſynodo Nicaena patriarchas inſtitutos autumant: & demum Launoius, Baſnagius & Caueus in ſynodo Conſtantinopolitana anno CCCLXXXI. id contigiſſe propugnant. In tanta virorum doctiſſimorum diſcrepantia videtur vltima ſententia praeferenda, quae patriarchas ante ſynodum Conſtantinopolitanam ignotos pronuntiat. Sane conſtans eſt canonum Nicaenorum ſententia, cauſſas omnes prouinciales in ſynodo prouinciae eſſe finiendas, qua de re plura habet Dupinus *diſſ.II. de antiq. eccleſ. diſcipl. cap.*1. & 2.: nec appellationes a ſynodis prouincialibus ad patriarchas ordinariae euaſerunt, niſi poſtquam ſynodus Conſtantinopolitana *can. II.* eccleſiam Orientalem in dioeceſes partita eſt, & Theodoſius Iunior dioeceſis concilium ordinario iure haberi permiſit, *L.* 45. *C. Th. de epiſc. & clericis*. Porro toto ferme quarto ſaeculo metropolitani ab epiſcopis comprouincialibus fuerunt ordinati, idque ſecundum canones Nicaenos. V. Beuereg. *in can. VI. conc. Nicaen. n.* 7.

Huic autem ſententiae grauiter videtur obſtare canon VI. Nicaenus, quo ex iam receptis eccleſiarum moribus confirmatur poteſtas epiſcopi Alexandrini per Aegyptum, Lybiam & Pentapolim, & ſimiliter exemplo eccleſiae Alexandrinae confirmatur iam vſu recepta epiſcopi Romani poteſtas. Sed poteſtas epiſcoporum Alexandrini & Romani tempore ſynodi Nicaenae recepta, etſi per plures prouincias diffuſa, metropolitica potius erat, quam patriarchalis. Sane per Aegyptum & prouincias Romanae dioeceſis diu nulli fuerunt metropolitani: & ita epiſcopi Alexandrinus & Romanus etiam in prouinciis ſuarum dioeceſium epiſcopos ordinabant: quod de epiſcopo Alexandrino aperte teſtatur Epiphanius *haer. LXVIII.* Tantum prouinciae amplitudine, non iuribus metropoliticis epiſcopi Romanus & Alexandrinus a ceteris metropolitanis diſtabant. Quod ſi Hieronymus

§. II. Iam vero ante synodum Chalcedonensem sex videntur fuisse in vniuersa ecclesia patriarchatus, Romanus nempe, Alexandrinus, Antiochenus, Ephesinus in dioecesi Asiana, Caesariensis in Pontica, & Heracliensis in Thracica (*b*). Sed in ipsa synodo Chalcedonensi *act.XV.* & *can.XXVIII.* ex Ephesino, Caesariensi & Heracliensi constitutus fuit Constantinopolitanus patriarchatus, idque absentibus & inde etiam repugnantibus Romanis legatis. Creuerat in ordine ciuili Constantinopolis, & noua Roma euaserat. Et ita ecclesiastica politia ciuilem imitante iustum visum fuit, etiam in ordine ecclesiastico augeri sedem Constantinopolitanam. Interim Romani pontifices prospicientes, quo erat euasura ambitio episcoporum regiae vrbis, huic nouitati aduersati sunt, canonesque Nicaenos conculcatos proclamarunt. Sed temporis lapsu Constantinopolitanus patriarchatus ab vniuersa ecclesia cognitus & probatus est.

§. II. Item in eadem Chalcedonensi synodo Hierosolymitanus patriarchatus institutus est. Hierosolymitana ecclesia merus initio fuit episcopatus; sed quia ibi iacta sunt nostrae religionis fundamenta, semper summo honore habita est. Hinc elati episcopi Hierosolymitani coeperunt cum episcopis Caesariensibus, quibus vtpote metropolitanis suberant, de primatu contendere. Nihil vero profecerunt vsque ad Theodosium iuniorem, a quo Iuuenalis episcopus Hierosolymitanus rescriptum impetrauit, quo sedi Hierosolymitanae tres Palaestinae, duae Phoeniciae & Ara-

nymus *epist.LXI. ad Pammach.* & Innocentius I. *epist. ad Alexandr. Antiochen.* aliique veteres a canonibus Nicaenis patriarchalem potestatem repetant; id dixerunt bona fide, re diligentius non expensa. Attendebant nempe ad sui temporis disciplinam, & quid simile in canonibus Nicaenis inuenientes, ab ea synodo patriarchas institutos dicere potuerunt.

(b) Episcopi Ephesinus, Caesariensis & Heracliensis veri nominis fuerunt patriarchae, licet apud veteres quandoque *exarchi* dicantur: errantque profecto, qui eis tribuunt *exarchi* dignitatem, quam patriarchali inferiorem faciunt: quod multis Dupinus *de antiq. eccles. discipl. diss. I.* §. 11. probatum dedit.

& Arabia, quae prouinciae ad Antiochenam ecclesiam pertinebant, subiiciebantur. Hinc de violatis ecclesiae suae iuribus conquestus Antiochenus patriarcha, contrario eiusdem principis rescripto in pristinum ius restitutus fuit. Contrariis rescriptis, seu potius ambitione Iuuenalis exorta controuersia vsque ad synodum Chalcedonensem perstitit, in qua ex partium consensu statutum, vt episcopus Hierosolymitanus tres Palaestinas, Antiochenus vero Phoenicias duas & Arabiam haberet. Conc. Chalced. *act. VII.* Et ita ex vno Antiocheno duo emerserunt patriarchatus (*c*).

§. IV. Potestas patriarchalis Romani pontificis origine sua per totum Occidentem non videtur extensa, sed tantum Romana dioecesi, quae decem constabat prouinciis, & Romam in metropolim habebat, includebatur. Sane Romani pontifices in Gallia, Hispania, Africa & Italica dioecesi stricte sic dicta, cuius metropolis erat Mediolanum, metropolitanos per plura saecula non ordinarunt. V. Dupin. *diss. I. de antiq. eccles. discipl.* §. 13. Porro nec ante receptos canones Sardicenses (quod sero tandem factum est) ex toto Occidente ad Romanum pontificem in caussis ecclesiasticis prouocatum fuit (*d*). Sed temporis

(c) Romani pontifices ab initio patriarchatui Hierosolymitano consenserunt, contra aduersati sunt Constantinopolitano: & tamen caussa ecclesiae regiae vrbis potior videri possit. Cur tam varie? Iam pellucebat, quo tandem erant euasuri episcopi Constantinopolitani imperatorum potentia freti. Quidquid vero huius rei sit, ab hoc tempore quinque hoc ordine numerati sunt patriarchatus, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus.

(d) Rei dignitas postulat, vt aliquid addamus de *ecclesiis suburbicariis*, quibus potestas patriarchalis pontificis olim inclusa dicebatur. Conc. Nicaen. *can. XI. ex antiqua versione*, Rufin. *lib. I. hist. cap. 6.* Ecclesias suburbicarias Salmasius, Iac. Gothofredus aliique intra centesimum ab vrbe lapidem, quae regio ad praefecti vrbi iurisdictionem pertinebat, includunt: contra Sirmondus & Dupinus per Romanam dioecesim, quae decem prouinciis vicario vrbis subiectis constabat, extendunt; nec desunt, qui ecclesias suburbicarias easdem esse cum ecclesiis

ris progreſſu, vicariis perpetuis inſtitutis, palliorum petendorum metropolitanis iniecta neceſſitate, falſis decretalibus, miſſis in prouincias frequentibus legatis ampla poteſtate inſtructis, per totum Occidentem Romanus patriarchatus productus eſt.

§. V. Fines quoque Conſtantinopolitani patriarchatus in ſynodo Chalcedonenſi poſiti & patriarcharum ambitione & imperatorum potentia longe lateque producti ſunt: quod praecipue contigit ſub Leone Iſauro, qui ira percitus in pontifices, quod impia eius edicta de frangendis ſacris imaginibus reiecerint & impugnarint, quidquid intra Siciliam & Thraciam imperii Graeci erat, throno Romano ſubtraxit, & Conſtantinopolitano addixit. Hinc nedum Illyricum, Epirus, Achaia & Macedonia; verum etiam Sicilia & pleraeque maritimae ſuburbicariae eccleſiae, quae erant in imperio Graeco (in mediterraneis regionibus imperabant Longobardi) Conſtantinopolitanam dioeceſim auxerunt. Item Bulgaria poſt multas concertationes circa noni ſaeculi medium throno Conſtantinopolitano ceſſit, quod multis Dupinus enarrat. Suburbicariae eccleſiae ſteterunt ſub Conſtantinopolitano patriarcha vſque ad Nortmannos, qui deuictis Saracenis & Graecis ſubtractas eccleſias throno Romano reſtituerunt.

eccleſiis Occidentis docent. Tot inter ambages media Sirmondi ſententia videtur praeferenda. Etenim antiqui eccleſias ſubvrbicarias eodem ſenſu, quo prouincias ſuburbicarias, dixerunt: prouinciae vero ſuburbicariae non aliae quam prouinciae Romanae dioeceſis veteribus erant, *L.* 1. *C. Th. ſi per obreptionem fuerint impetrata*. V. Dupin. *cit. diſſ.* §. 9.

Poteſtas quidem patriarchalis ſummi pontificis per totum Occidentem non extendebatur; at ſedes apoſtolica eccleſias omnes Occidentis eminenti poteſtate regebat. Verſabatur poteſtas iſta ſedis apoſtolicae in ferendis canonibus ad fidei & diſciplinae confirmationem & obſeruantiam, in relationibus accipiendis & diſcutiendis, & in maioribus cauſſis non ſine illius ſcientia finiendis. Et de hac poteſtate loqui videntur veteres patres, dum ſolidum Occidentem ſummo pontifici tribuunt: qua de re in *comment. de iure canonico par. I. cap.* 10. abunde diximus.

§. VI. Iam a patriarchis proprie sic dictis distant *primates*, qui pluribus quidem praesunt metropolitanis, sed Romano pontifici tamquam patriarchae subiecti sunt. Hoc sensu accepti primates instituti sunt in ecclesiis Occidentis, iisque instituendis falsae decretales caussam praebuerunt, quod Petrus de Marca *diss. de primatib. n. XXIII.* obseruat. Nimirum deleto Occidentis Romano imperio mutata est ciuilis politia, & tot emerserunt metropoles, quot regna fuerant instituta. Quoniam vero ecclesiastica politia ciuilem consequebatur, iustum visum est, regnorum principes ciuitates etiam in ordine ecclesiastico potestate augeri. Hanc disciplinam promouit Isidorus Mercator, qui in suis putidis mercibus passim crepat, apostolica auctoritate fuisse constitutum, vt in nobilioribus ciuitatibus instituantur *primates*, *can.* 1. *D.* 99., quos (ne quidquam de potestate sedis apostolicae deminueret) veluti medios inter metropolitanos & pontificem describit, *can.* 7. & 15. *C.* 2. *q.* 6., eosque etiam *patriarchas* appellat. Vsurpauit autem Mercator hac in re vocem *primatis* contra veterem receptam notionem: *primatis* enim nomine apud veteres metropolitanus veniebat (*e*). Receptis in Occidente falsis decretalibus ex earum formula instituti sunt primatus Bituricensis, Cantuariensis, Lugdunensis, Toletanus, Pisanus, Bariensis aliique, quibus a metropolitanis appellationes concessae, & ius anteferendae crucis datum. Sed hodie tantum primas Lugdunensis appellationis iura conseruat, ceteris vero tantum reliqua est quaedam honoris praerogatiua.

CA-

(e) Generatim *primas* is dicitur, qui primum ac praecipuum locum alicubi occupat. Sed in re ecclesiastica vsu scriptorum olim *primates* erant metropolitani, nisi adiuncta aliud innuerent. V. Dupin. *diss. I. de antiq. eccles. disciplina* §. 2. Interim mentitus Isidorus *primatis* nomen ad magnarum vrbium episcopos designandos vsurpauit. *Primas dioecesis* in *can. IX.* & *XVII.* concilii Chalcedonensis ex versione Dionysii Exigui Mercatori occasionem videtur dedisse ad primatis vocem in ampliorem sensum attollendam, quod forte crediderit *primates dioecesis* cum *primatibus* ἁπλῶς dictis eosdem esse.

CAPVT XI.

De Romano pontifice.

§. I. ROmanus pontifex episcopi, metropolitani, patriarchae & successoris S. Petri personam in ecclesia sustinet. Nos de eo tractaturi, tantum successoris S. Petri spectamus praerogatiuam, qua fit, vt in vniuersam ecclesiam primatum obtineat. Ac S. quidem Petrum eminenti supra ceteros apostolos potestate fuisse donatum, in euangelio consignatum est. Sane Christus se supra Petrum ecclesiam suam aedificaturum conceptis verbis edixit, Matth. *XVI. v.* 18.: Petro regni caelorum claues promisit, Matth. *eod. v.* 19.; eique ter rogato an se amaret, agnorum & ouium curam commisit, Ioan. *XXI. v.* 15. *seqq.*, hoc est nedum fidelium, sed etiam pastorum curam demandauit, vt eum locum patres interpretantur. Et quamuis quod Petro Christus promisit, aliis etiam apostolis reapse dederit, Ioan. *XX. v* 21. *seq.*, & ecclesiam suam supra omnes apostolos fundarit, *ad Ephes. II. v.* 20.; exploratum tamen est, aliquid praecipuum Petro fuisse collatum, quod passim ecclesiae patres adgnoscunt.

§. II. Quo igitur natura ecclesiastici primatus Petro concessi intelligatur, quid praecipuum prae reliquis apostolis Petrus habuerit, constare debet. Sunt qui putant, omnes apostolos parem honoris & potestatis gradum accepisse, sed ceterorum potestatem fuisse personalem, quae cum ipsis desineret, Petri vero *realem*, quae in successores transiret. Verum ita attolluntur pontifices supra reliquos episcopos, non Petrus super apostolos. Magis euangelio congruere videtur, omnes apostolos ratione apostolatus pares fuisse, sed Petrum positum fuisse veluti centrum ecclesiasticae vnitatis, eoque nomine ceteris fuisse praelatum. Sane apostolos pari potestate, sed ad vnam ecclesiam administrandam, Christus misit. Et ita necesse erat ad magis firmandam vnitatem, vnum constituere,

qui esset ecclesiasticae vnitatis centrum & principium. Selegit ergo Petrum, eumque totius ecclesiae fundamentum constituit, cui ratione vnitatis ceteri omnes subiicerentur. Ad rem Cyprianus *lib de vnit. ecclesiae*, *hoc vtique erant ceteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt ecclesia vna monstretur.*

§. III. Haec vero Petri supra ceteros apostolos praerogatiua dubio procul personalis non fuit, vt cum illo extingueretur. Etenim primatum non propter Petrum, sed propter vnam semperque duraturam ecclesiam Christus instituit. Ita perpetua primatus continuatio, non secus ac ipsius institutio, iuris diuini est. Verum modus successionis, seu quisnam episcoporum mortuo Petro, in primatu erat successurus, ab ipsius Petri arbitrio & ecclesiae auctoritate manauit, quod theologi adgnoscunt. Multas quidem ecclesias Petrus fundauit, sed ex omnibus ecclesiam Romanam, quae primatus praerogatiuam consequeretur, selegit: quam ecclesiae Romanae praerogativam vniuersa antiquitas, synodi nempe, patres & imperatores adgnoscunt & praedicant. V. Nat. Alexandr. *diss. IV. in* 1. *saec. hist. eccles.* §. 2. & 4. Non alienum a ratione ecclesiae & Petro visum, ibi esse centrum christianae religionis, vbi altiores radices egerat superstitio *(a)*.

§. IV.

(a) Primatus ratione pontifex Romanus iure meritoque episcopi *oecumenici* nomine donari potest. Et reapse synodus Chalcedonensis Romanum pontificem *papam* & *patriarcham oecumenicum* appellauit. V. Christ. Lupum *schol. in can. II. dictatus Gregor. VII.* Sed Romani pontifices quamuis oblatum titulum minime respuerint; non tamen eo ipsi se condecorarunt. Gregor. M. *lib. IV. ep.* 16. Metuebant pontifices, ne oecumenici titulum alii falso acciperent, eoque significari crederent, vnum esse in vniuersa ecclesia episcopum, quando primatum tantum pontificis significabat. Interim saeculo sexto Constantinopolitani patriarchae *episcopi oecumenici* titulum & ab aliis datum acceperunt, & ipsi sibi vsurparunt, in primis Ioannes IV. cognomento *Ieiunator*, non quod se totius sub caelo ecclesiae, sed quod amplissimae suae diaecesis dicerent oecumenicos,

quod

§.IV. Multa autem Romani pontificis sunt iura, quae ex primatu descendunt, aut ei labentibus annis accesserunt. Et primum (I) debent pontifices etiam ratione primatus fidem tueri, & canonum obseruantiam promouere; ecclesiae enim vnitas ex fidei integritate promanat, & canonum obseruantia promouetur. II. condunt decreta & decretales ad fidem confirmandam, & disciplinam siue instaurandam, siue mutandam. III. ex necessitate aut vtilitate ecclesiae canones de rebus mobilibus relaxant: qua potestate pontifices olim summa prudentia vsi sunt; tantumque posteriori aetate inualuit, vt etiam ex priuatis caussis canonum veniam concederent; qua de re optimi quique conqueruntur. Petr. de Marca *de C. S. & I. lib. III. cap.* 14. *seqq.* IV. synodis generalibus habendis praestant auctoritatem, & in iis per se, vel per suos legatos praesident cum relationis & suffragii praerogativa (*b*). V. appellationes ab omnibus prouinciis suscipiunt: quod ius demum post admissos canones Sardicenses receptum est.

§. V. Quanta demum cumque sit primatus eminentia, certe pontifices supra canones non extollit, vt eorum obseruantia iure soluti sint. Sane primatus ecclesiasticus potius exempli & laboris est, quam imperii, praecepitque Christus aperte, vt qui vellet inter discipulos esse maior, fieret sicut minor, & potius aliis ministrare,

 quam

quod Anastasius Bibliothecarius testatur. Verum Romani pontifices in primis Gelasius II. & Gregorius M. praeuidentes ad totius ecclesiae patriarchatum episcopos regiae vrbis spectare, eum titulum tamquam *profanum*, *temerarium* & *stultum* damnarunt. Gregor. M. *lib.IV. ep.*16. & 58. Et vt magis Graecam ambitionem Gregorius M. retunderet, *seruum seruorum Dei* seipsum inscripsit, teste Ioanne Diacono *lib.IV. vit. Greg. M. cap.* 58. Quo titulo deinceps Romani pontifices vsi sunt.

(b) Plerique iuris ecclesiastici periti etiam docent, pontificis maximi esse conciliorum generalium indictionem: quod etiam multi ex veteribus professi sunt, & vsus recentiorum synodorum in Occidente habitarum, quae a Romanis pontificibus omnes indictae sunt, confirmat. Sed hac de re alibi commodius.

quam sibi ministrari intendat, Luc. *XXII.* 26. Ipsi quoque Romani pontifices saepe professi sunt, se contra canones & patrum statuta nihil posse, *can* 7. *&* 9. *C.*25. *q.* 1. Hinc totius antiquitatis sententia fuit, pontifices in grauia crimina lapsos ipso iure excidere pontificatu, & ad laicam transire commuuionem. Christ. Lupus *in can. XIX. dictatus Gregor. VII.* Inuitis itaque sacris canonibus & ipsis etiam pontificibus docuit Gratianus, pontifices non necessitate obsequendi, sed ad exemplum subiici canonibus. Quae sententia inde magis magisque dilatata ecclesiasticae disciplinae admodum nocuit.

§. VI. Sed an pontifices iudiciis ecclesiasticis subsint? Certi iuris est, pontifices synodorum particularium iudiciis non esse subiectos. Etenim contra receptum in ecclesia ordinem est, vt inferior in superiorem sententiam dicat. Verum ea fuit pontificum humilitas, vt de criminibus accusati primatum suum synodo Romanae quandoque subiicerent, in hoc ipso monitum Christi sequentes, qui voluit, vt maior inter discipulos suos tamquam minor appareret. Et si in frequentibus & magnis mediorum saeculorum turbis synodi particulares in legitimos pontifices iudicio non consentientes sententiam dixerint; eiusmodi iudicia, vtpote vi potius, quam iure suscepta, vacua & irrita fuerunt. At si agatur de synodis generalibus, quae vniuersam ecclesiam repraesentant, non videtur posse negari, earum iudicio pontifices subesse: in quam sententiam conueniunt omnes, sed in eo dissident, vtrum synodi tantum declarent, an etiam iudicent, veluti iudices superiores, pontifices esse criminosos & poenis ecclesiasticis obnoxios (c).

CA-

(c) Ecclesiae Romana & Gallicana sexto & sequentibus saeculis videntur tenuisse, pontifices humanis iudiciis non subiacere, sed vnius Dei iudicio esse reseruatos, *can.*14. C. 9. *q.* 3., Auit. Viennens. *ep. XXXI.* Atque hinc illud, quod in suppositiis synodi Sinuessanae actis recitatur: prima sedes a nemine iudicatur.

CAPVT XII.

De Romanae ecclesiae cardinalibus.

§. I. IN monumentis ecclesiasticis inde vsque a quinto saeculo vox *cardinalis* occurrit, qua proprii & ordinarii ecclesiarum rectores videntur designati, iis oppositi, qui vel ad tempus ecclesias regebant, vel eidem ecclesiae tamquam auxiliares erant addicti. Sane Gelasius papa episcopum *cardinalem* opponit episcopo *visitatori*, *can.* 4. *D.* 24.; cumque episcopus visitator ecclesiae vacanti daretur, quousque proprius episcopus constituebatur, *can.* 16. & 19. *D.* 61.; consequitur, episcopum cardinalem fuisse proprium & ordinarium episcopum, qui perpetuo ecclesiae adstringebatur. Et apud Gregorium M. pluries sermo est de episcopis & presbyteris cardinalibus, quos tamquam proprios & ordinarios ecclesiarum rectores describit. Itaque *cardinales* dicti videntur a cardinibus, quod fixi & immobiles essent tamquam cardines, & circa eos ecclesiae, veluti valuae circa cardines, voluerentur.

§. II. Quaelibet ecclesia olim cardinales habuit suos: omnes enim habebant suos episcopos & parochos & diaconos diaconiarum rectores. Murator. *diss. LXI. antiq. Ital.* Sed inde aucta cardinalium Romanorum dignitate, sensim ceterae ecclesiae desierunt titulares suos appellare cardinales, cessitque is titulus non sine ingenti dignitatis accessione ecclesiae Romanae. Ceterum ad hunc vsque diem aliqui canonici ecclesiae Neapolitanae cardinalis titulo decorantur, licet ad nominis inuidiam declinandam sponte sua vt plurimum tanto elogio se abstineant. Mazoch. *append. ad diss. de eccles. Neap. diss. IV. par.* 1. *cap.* 2.

§. III. Romani cardinales vel episcopi, vel presbyteri, vel diaconi sunt. Et quod spectat ad cardinales episcopos, olim Romae vnus fuit episcopus cardinalis: in vna ecclesia plures esse episcopos antiquis regulis vetabatur. Sed temporis lapsu ex septem Romam adiacentibus

ciui-

ciuitatibus septem episcopi, retentis ecclesiis propriis, ecclesiae Lateranensi addicti sunt, vt quotidie per vices sacra facerent, & pontifici celebranti adsiderent, idque octauo saeculo sub Stephano IV. iam erat inductum, vt ex *libro pontificali* constat. Hinc septem isti episcopi duarum ecclesiarum erant cardinales; sed ratione Romani cardinalatus *Romani episcopi*, *episcopi collaterales* & *hebdomadarii* dicti sunt. Inde per Callistum II. duae cardinalitiae episcopales ecclesiae in vnam coaluerunt, & sex superstites fuerunt episcopi cardinales.

§. IV. Presbyteri Romani cardinales fuerunt paroeci vrbis, qui saeculo quinto videntur fuisse octo supra viginti, quot erant Romani tituli, hoc est ecclesiae paroeciales, quod Panuinius obseruat. Propriis autem titulis praeerant presbyteri cardinales, verum post saeculum decimum in quatuor collegia, singula septenum cardinalium, abierunt, vt ad exemplum basilicae Lateranensis, quae suum habebat cardinalium episcoporum collegium, in quatuor aliis patriarchalibus basilicis sacra facerent.

§. V. Demum diaconi Romani cardinales ex diaconis, qui diaconias regebant, originem habent. Erant *diaconiae* tum Romae, tum alibi domus veluti hospitales, in quibus pauperes & omnes miserabiles personae omni subsidiorum genere fouebantur. Sua singulis diaconiis erant sacella, & quia regebantur a diaconis, *diaconiarum* nomen sortitae sunt. Romae quatuordecim fuerunt diaconiae in regionibus vrbis sitae: & hinc quatuordecim diaconi cardinales, qui a regionibus diaconiarum *regionarii* initio dicti sunt, diaconi nempe *primae*, *secundae*, *tertiae regionis*. Quatuordecim his diaconis inde alii quatuor accesserunt, quorum munus erat basilicae Lateranensi & pontifici deseruire. Lapsis tandem diaconiis, nomen diaconiae oratoriis haesit: & ita post saeculum decimum diaconi cardinales de titulo diaconiae dicti sunt, nempe *cardinalis diaconus S. Theodori*, *S. Hadriani*. Addidit tandem Leo X. nouam diaconiam S. Onuphrii in Vaticano, & exorti sunt nouemdecim diaconi cardinales.

§. VI. Subductis itaque rationibus Romani omnes cardinales episcopi, presbyteri & diaconi tres supra quinquaginta fuerunt. Stetit is numerus vsque ad Honorium

II.,

II., a cuius tempore deminutus est, sensimque incertus euasit. Supra modum vero creuit numerus cardinalium in schismate Auenionensi, dum vnusquisque diffidentium pontificum adlectione cardinalium rem promouebat suam. Inde synodi Constantiensis & Basileensis decreuerunt, vt *cardinales numerum viginti quatuor non excederent*, idque ne in tanto fastu aucti numero ecclesiae graues essent. Quem modestum numerum non bono ecclesiae, sed propriae salutis conseruandae studio Leo X. supra modum ampliauit (*a*). Leonis exemplum inde secuti sunt Paulus III. & Paulus IV., quorum postremus vsque ad septuaginta cardinales auxit, quem numerum vtpote septuaginta Mosaicis senioribus respondentem Sixtus V. firmum decreuit.

§. VII. Iam vero cardinalium dignitas est amplissima, hactenus vt supra patriarchas reputentur: ad quam dignitatem sensim peruenerunt variis caussis & occasionibus. Praesertim auxerunt cardinalitiam dignitatem frequentes & amplissimae sedis apostolicae legationes cardinalibus commissae: negotia ferme omnia ex omnibus ecclesiis Romam deuoluta, & in consistorio cardinalium tractari solita: pontificis electio ad solos cardinales restricta: schisma Graecorum: & opinio melioribus temporibus inaudita, reges etiam in temporalibus pontifici subesse. Sic aucta cardinalium dignitate episcopi aliarum ecclesiarum retento episcopatu inter Romanos cardinales transierunt (*b*).

Quae-

(a) Scilicet coniuratio in pontificem detecta est, cuius princeps vnus cardinalium erat. Hinc Leo reliquorum fidem suspectam habens, multiplici cardinalium creatione sibi censuit consulendum. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par.I. lib.* 2. *cap.* 114. *n.* 13.

(b) Quo primum tempore aliarum ecclesiarum episcopi inter Romanos cardinales cooptati sunt, iis vna ex cardinaliiis episcopalibus ecclesiis dabatur, ne vno eodemque facto augescerent in cardinales, & in presbyteros aut diaconos decrescerent. Sed tempore Bonifacii VIII., si vera obseruat Barbosa *lib.I. iur. eccles. cap.*3. *n.*17., coeperunt externi episcopi, retenta propria ecclesia, ad cardinales presbyteros aut diaconos transire: qui mos praeposterus est, & in adiuncto inuoluit contradictionem.

Quaecumque vero ſit cardinalium dignitas, moribus & inſtitutis eccleſiaſticis debetur; & praepoſtere nimis factum eſt, vt dignitate epiſcopali amplior haberetur.

§. VIII. Poteſtate & dignitatis acceſſione auctos cardinales neceſſe quoque erat ſignis ſplendeſcere externis. Et quidem rubro pileo Innocentius IV. ornauit cardinales: quod factum in concilio Lugdunenſi nonnulli opinantur, vt magis in Fridericum II. incitarentur, quaſi parati eſſe deberent ad ſanguinem fundendum pro eccleſiae libertate. Tum Paulus II. eiſdem rubrum pannum conceſſit, quo equitantes ſternerent equos. Haec honoris inſignia cardinalibus ex clero ſaeculari primum data ſunt; at Gregorius XIV. *bul. ſanctiſſimus* etiam regularibus rubrum pileum conceſſit. Et ne externis ſignis tituli deeſſent convenientes, Vrbanus VIII. cardinalibus *eminentiae* titulum conceſſit, quum antea *illuſtriſſimi* dicerentur, cauitque ſub poena excommunicationis, (quaſi de enormi crimine ageretur) ne quiſquam alius praeter imperii electores eccleſiaſticos eum titulum vſurparet.

§. IX. Iam ex noua diſciplina, qua ſynodi Romanae celebrari deſierunt, cardinales ſenatum eccleſiae Romanae conſtituunt, qui dicitur *cardinalium conſiſtorium*. Negotia omnia maioris momenti antea in ſynodis tractari ſolita in hoc conſiſtorio tractata ſunt: quae diſciplina ſaeculo decimo ſecundo erat recepta: & hinc S. Bernardus *ep. LXXXIX.* ait, cardinalium eſſe *orbem iudicare*. Qua poſita diſciplina cardinales omni virtutum genere debent effulgere: recteque ſtatuit ſynodus Tridentina *ſeſ. XXIV. de ref. cap.* 1., epiſcoporum qualitates in cardinalibus requiri. Ceterum ex nouiſſima diſciplina cardinales in conſiſtorio iudices non ſunt, ſed meri conſiliarii, liberumque pontifici eſt eorum admittere, vel reiicere ſuffragium. Ex cardinalibus quoque plures compoſitae ſunt *congregationes*, vt vocantur, quae alicuius generis negotia tractant, veluti congregatio *ſacrorum rituum*, *indicis*, aliaeque tum ordinariae, tum repentinae, de quibus nouiſſime Eſpenius *part. I. tit.* 22. fuſe commentatus eſt.

CA-

CAPVT XIII.

De legatis ecclesiasticis.

§.I. SVnt legati alieni muneris vicarii. Vsus legatorum in re ciuili receptissimus in ecclesia etiam inualuit, quod necessaria alterius opera erat episcopis, qui propter absentiam rebus agendis interesse non poterant. Hinc ecclesiae omnes legationis iure donantur: & reapse in antiquis monumentis saepe occurrunt exempla legatorum ab episcopis vel synodis ad alios episcopos vel synodos missorum ad ecclesiasticam iurisdictionem exercendam, vel negotia tractanda, de quibus legatis Petrus de Marca *de C. S. & I. lib. V. cap.* 2. multa congessit.

§. II. Sed inter legatos ecclesiasticos eminent legati pontificii, ii scilicet, qui a summo pontifice mitti consueverunt. Sunt vero pontificii legati vel *missi*, vel perpetui, seu *nati*. Legati missi pro arbitrio pontificum & necessitatibus ecclesiae mittuntur vel ad negotia tractanda, vel ad explicandam iurisdictionem. Negotiorum legati non tantae sunt dignitatis, quantae legati missi ad exercendam iurisdictionem: hi enim quod vices pontificis in iurisdictione sustinent, plena donantur legatione, & iisdem praerogatiuis vtuntur, quae ipsi pontifici, si praesens esset, competerent. Eminent vero inter legatos iurisdictionis, qui ad generales synodos mittuntur.

§. III. Ad negotia quoque tractanda Romani pontifices ad imperatores & reges mittere legatos consueuerunt: suntque eiusmodi legati duplicis generis, alii enim mittuntur, prout negotia poscunt, & cum ipsis negotiis eorum officium finitur; alii adsiduam in aula ducunt moram, omnibus negotiis praefecti. Adsidui apud principes legati veteribus *apocrisarii* & *responsales* dicti, quod responsa seu mandata eorum, vnde missi erant, exsequebantur. Primus ad Marcianum imperatorem Leo M. responsalem misisse

ſiſſe videtur (*a*). Nulla autem iuriſdictione aucti erant reſponſales; tantumque eccleſiarum negotia tractabant, niſi ſpecialiter a pontifice, vel principe aliqua iuriſdictio mandaretur. Petr. de Marca *de C. S. & I. lib. V. cap.* 17. *n.*3. Moribus praeſentibus, qui ſunt apud principes, nuntii apoſtolici etiam apocriſariorum vices ſuſtinent.

§. IV. Legati perpetui, ſeu *nati* in prouinciis apoſtolicas ſuſtinent vices, quod eas tenent eccleſias, quae perpetuo adnexum habent apoſtolicum vicariatum; dictique ſunt *nati*, quod cum ipſis eccleſiis ſine noua pontificis conceſſione legationem conſequuntur. Sola eccleſia Romana legatos natos habuit, videnturque initio inducti frequentibus pontificum legationibus, quibus ampliſſimarum ciuitatum epiſcopi a pontificibus augeri ſolebant, vt exemplo eſſe poſſunt eccleſiae Theſſalonicenſis & Arelatenſis, quarum perpetuas legationes Stephanus Balutius enarrat *in addit. ad lib. V. Petri de Marca*. Quae adſidua ſunt facile abeunt in morem. Sed poſteriori aetate expreſſis priuilegiis multae eccleſiae perpetuum vicariatum ſedis apoſtolicae conſecutae ſunt.

§.V. Iura legatis perpetuis propria erant iura ipſa patriarchalia pontificis Romani, ſed quae ſaluam mittentis poteſtatem relinquerent. Ergo legati iſti ſibi ſubiectos ordinabant metropolitanos: metropolitani, niſi ipſis conſultis, epiſcopos non ordinabant, Leo M. *epiſt. IV. ad Anaſtaſ. Theſſal. edit. Queſn.*: ſynodum indicebant dioeceſanam, eique praeerant; & exortas controuerſias in ſynodo finiebant, niſi grauiores eſſent cauſſae, quas ad ſedem apoſtolicam referre oportebat, *cit. epiſt.IV. Leonis M.*: item epiſcopis & clericis ad longinqua profecturis dabant litteras formatas, *epiſt.I. Vigil. ad Auxanium*: & ſacrorum canonum

(a) Praeter Romanum pontificem ad imperatores mittebant apocriſarios alii patriarchae, non vero reliqui inferiores epiſcopi, quod ex Iuſtiniani *nouella VI. cap.* 3. aperte conſtat. Sed temporarias legationes ad principes omnes eccleſiae decernere poterant, vt videre eſt in ſynodis Africanis, a quibus contra ethnicos, haereticos, aut ob alias eccleſiarum neceſſitates ſaepe ad imperatores legati miſſi ſunt.

num obseruantiae in suis prouinciis inuigilabant.

§. VI. Iam legatis siue missis, siue natis per plura saecula Romani pontifices suam eminentem in omnem ecclesiam & patriarchalem potestatem explicarunt, integram plerumque relinquentes metropolitanorum & episcoporum iurisdictionem, *can.* 5. *& seq.* C. 25. *q.*2. Verum lapsu temporis creuit legatorum Roma missorum potestas, & ipsa iura metropolitanorum & episcoporum ad se transtulit, quod a tempore Nicolai I. incoepisse videtur. Atque ita frequentes missi sunt legati, qui etiam metropoliticam & episcopalem pontificis potestatem per vniuersam ecclesiam explicarent (*b*), praesertim quando corrupti clericorem mores potentiorem medicinam postulabant.

§. VII. Noua potestatis accessione auctis legatis, & aucta cardinalium dignitate, legati missi pontificis vel simpliciter *missi*, vel *a latere* audierunt. *Missi* ex mandato pontificis exercent legationem, sed non sunt de numero cardinalium: legati vero *a latere* sunt cardinales, qui apostolica legatione augentur. Aucta cardinalium dignitate, indignum visum fuit, vt legati ex ordine cardinalium sumti eodem cum ceteris legatis iure censerentur (*c*).

§. VIII.

(b) Inuexit huiusmodi nouas legationes plenitudo pontificiae potestatis, quae secundum opinionem aetate Nicolai I. & deinceps receptam ita residebat in pontifice, vt ceteri episcopi pontificis ministri & vicarii censerentur, vocati tantum in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. V. Espen. *par. I, tit.* 21. *cap.* 2. Qua recepta sententia summi pontifices etiam veri episcopi & metropolitani totius ecclesiae habebantur. Et ita sponte sua frequentiores factae & noua potestate auctae legationes: nam legati missi sunt, qui etiam pontificis episcopalem & metropoliticam in omnes ecclesias explicarent potestatem. Atque hinc vniuersa ferme concidit episcoporum, metropolitanorum & synodorum prouincialium potestas: quod Fleuryus *disc. IV. in histor. eccles.* obseruat.

(c) In veteri disciplina legati omnes pontificis a *latere* censebantur. At posteriori aetate legationes istae solis cardinalibus commissae sunt. Nempe cardinales nouo iure strictius adhaeserunt pontifici, eiusque *coadiutores* & *collaterales* in regenda ecclesia loco synodi Romanae euaserunt.

§. VIII. Quamuis vero pontifices aliquando mandatis peculiaribus nouos legatos adstringerent; tamen vniuersam ferme mandarunt pontificiae potestatis plenitudinem. Explicabant vero legati sibi commissam potestatem in synodis episcoporum & metropolitarum, quod dicis caussa factum videtur, ne episcopis & metropolitanis omnino ablata iurisdictio videretur, siquidem vnius legati suffragium totius synodi suffragiis aequiualebat. V. Petr. de Marca *lib. VI. de C. S. & I. cap.* 30. *n*.4. Quin potestas legatorum, quae origine sua erat delegata, euasit ordinaria, *cap*.10. *ex. de officio legati*, *cap*.11. *eod. in 6.*, institutumque fuit legationis officium propria donatum iurisdictione. Et ita deinceps tantum necesse fuit solam legati qualitatem exprimere, vt de eius iurisdictione constaret, quum antea ex legationis formulis potestas legatorum censeretur.

§. IX. Non omnes legati iure decretalium aequalem habent potestatem, nec omnia, quae pontificis absoluunt potestatem, legationis officio continentur. Sane legati a latere maiorem obtinent potestatem, minorem missi, minimam nati. Minimam tandem legatorum perpetuorum potestatem voluerunt pontifices, vt aliorum legatorum, quos pro arbitrio mittebant, amplificarent potestatem. Franc. Florens *in tit. de officio legati*. Generaliter legati caussas omnes siue per actionem, siue accusationem, siue appellationem delatas iure ordinario audiunt & definiunt in quouis loco intra legationis fines, *cap. 7. ex. de off. legati*. Sed legati a latere egressi ab vrbe ad instar proconsulum statim legationis sumunt insignia, & ante ingressam & post egressam prouinciam voluntariam exercent iurisdictionem. Ita absoluunt vbique & quoscumque excommunicatos ob violentam in clericos manuum iniectionem, *cap. 4. & 9. ex. eod.* Porro liberas & simplices beneficiorum renuntiationes admittunt, conferuntque in prouincia legationis beneficia cum ordinario collatore concurrentes, *cap.* 11. *eod. in 6.*, idque etiam inconsulto patrono ecclesiastico, *cap. 6. ex. eod.*, non tamen inconsulto patrono laico, *cap.* 28. *ex. de iurepatron.* Reseruant quoque sibi beneficia, non tamen capitulorum dignitates, *cap.* 4. *de off. leg. in 6.*, nec pendente vna reseruatione

aliam

aliam facere possunt, *cap. 3. eod. in 6.* Quae omnia ceteris legatis denegantur; tantumque missi, non item nati, in sua prouincia absoluunt sibi subditos excommunicatos ob violentam in clericos manuum iniectionem, *cap. 9. ex. eod.* Ceterum multa legatis etiam a latere fuerunt denegata, qualia translationes episcoporum, episcopatuum coadunatio, aut diuisio, primatiarum institutiones & huius generis alia. Franc. Florens. *loc. cit.* Hinc speciali concessione opus est, vt legati exerceant, quae officio legationis non continentur.

§. X. Fastus omnis abesse debet a legatis sedis apostolicae: repraesentant enim eum, qui eo ipso quo eminet super omnes episcopos, fieri debet sicut minor. Verum mediis saeculis tanto fastu, comitatu & equitatu legati prouincias circumiuere, vt fidem omnem superet. Ipsi reges legatis obuiam ibant, loco cedebant, in illorum praesentia stabant, eosque comitabantur. Quin etiam legatis exemplo episcoporum ecclesias suas visitantium decretae procurationes: quod institutum Dei vexauit ecclesiam: etenim mali legatorum mores procurationes verterunt in improbas rapinas. Certe ait Ioannes Saresberiensis *lib. V. de nugis curial. cap. 16.*, legatos *interdum in prouinciis ita debacchari, ac si ad ecclesiam flagellandam egressus sit satan a facie domini.* Hinc exciti principes statuerunt, vt ipsis non petentibus, aut saltem non consentientibus legati in sibi subiectas prouincias non intrarent.

§. XI. Dum legati Roma missi prouinciis procurationum copia graues erant, permultae legationes hereditariae fuerunt institutae, in primis vero legatio hereditaria Regum Siculorum, qui legati perpetui sedis apostolicae, & quidem summa aucti potestate, creati sunt. Saracenis per Nortmannos Sicilia expulsis, aegre tulerunt Siculi, & multo magis Rogerius Calabriae & Siciliae comes, episcopo Traynensi ad vitam in eius insulae ecclesias legationem pontificiam fuisse demandatam. Ergo Vrbanus II. Rogerium eiusque heredes sedis apostolicae vicarios perpetuos constituit (d). Ita Siculi Reges miro exemplo legati nati

(d) Legatio pontificia Regum Siculorum initio videtur spe-

ctasse

nati sedis apostolicae euaserunt, auctique sunt spirituali potestate in Siciliam vniuersam, idque Siculi *Monarchiam* vocant. Labentibus annis inuisa semper fuit pontificibus praerogatiua ista Regum Siculorum (*e*); sed magnis animis semper Reges restitere, excitosque toties motus Benedictus XIII. edita tandem bulla, quae vim concordiae habet, perpetuum videtur composuisse.

§. XII. Iam immensa legatorum potestas sensim decreuit, eoque redactae sunt legationes, vt ecclesiarum pacem non perturbent. Sane statuerunt Tridentini patres *sess. XXIV. de ref. cap.* 20., vt legati etiam a latere episcoporum iurisdictionem non impediant. Item receptis moribus legati procurationes ab ecclesiis non exigunt. Et legati, qui cum potestate *quasi legati* a latere resident apud principes, non omnes praerogatiuas possunt explicare ob limitationes publica auctoritate mandatis adiici solitas. Neapoli residens nuntius apostolicus apocrisarii speciem apud Regem sustinet, colligit reditus camerae apostolicae, & ex delegatione de reditibus camerae, itemque de iis, qui ab episcoporum iurisdictione subtracti sunt, ius dicit.

CA-

ctasse ecclesias omnes, quae in ditione comitis Rogerii positae erant. Rogerium enim eiusque heredes Vrbanus II. legatos constituit in locis eorum imperio subiectis, *in terra potestatis vestrae:* & tum praeter Siciliam aliae etiam regiones in Calabria Rogerio suberant. Sed deinceps sub Gulielmo I. Rege ad solam Siciliam regia legatio restricta est: qua *de in commen. de iure canon. par. I. cap.* 3. §. 1. fusius egimus.

(e) Magno argumentorum apparatu cardinalis Baronius *tom. XI. annalium* legationem Regum Siculorum impugnauit, bullamque Vrbani II. velut supposititiam, saltem interpolatam, traduxit. Hinc tomus iste annalium a Philippo III. graui edicto proscriptus est. Et nostro hoc saeculo Dupinus scripto peculiari opere omnia Baronii argumenta profligauit.

CAPVT XIV.

De coadiutoribus.

§. I. Senio aut mala valetudine confectos episcopos aliosque ecclesiae ministros gradu abiicere suo, ipsisque viuentibus alium constituere pastorem, inhumanum, immo iniustum visum est, *can.* 1. & 3. *C.*7. *q.*1. Ergo inde vsque a primis saeculis instituti sunt coadiutores, qui impotentium antistitum vicem sustinerent, & eorum loco ecclesias administrarent. Sunt coadiutores duplicis generis, alii enim dari consueuerunt ad tempus, scilicet quousque impotens praelatus viuit, alii vero perpetui, qui mortuo antistiti etiam succedunt. Datur vero successio coadiutoribus vel sola electione & designatione, ita vt ordinatio post impotentis episcopi mortem celebretur; vel ab initio etiam episcopus consecratur: quo casu duo in eadem ecclesia sunt episcopi.

§. II. Coadiutores etiam perpetui & qui mortuis episcopis succederent, in veteri disciplina frequentes fuerunt: nec vmquam stantibus veteribus moribus cogitatum est, eiusmodi coadiutores impotentis episcopi mortem desiderare. Tantum aliquibus minus placuerunt hereditarii successores, qui simul episcopi consecrabantur, quod ea ratione contra canones duo in vnam ecclesiam episcopi inferrentur (*a*). Sed lapsu temporis mutatis moribus omnes here-

(a) Certe toto vitae suae tempore anxius vixit Augustinus, quod nescius canonis Nicaeni Valerio Hipponensi episcopo iam seni datus esset hereditarius coadiutor, eoque viuente etiam ordinatus esset, teste Possidio *vit. August. cap. VIII.* Hinc Eradium, quem ecclesia consentiente sibi delegerat successorem, ordinare noluit. *Quod reprehensum est in me*, inquit idem Augustinus *ep. CX.*, *nolo reprehendi in filio meo. Erit presbyter, vt est; quando Deus voluerit, futurus episcopus.* Mirum inte-

 rim

hereditarii successores minus placuerunt, tum ob captandae alienae mortis votum, tum etiam quod viam ad hereditarias successiones in ecclesiis aperirent. Et profecto Tridentini patres *sess. XXV. de ref. cap.* 7. coadiutores hereditarios in omnibus beneficiis reprobarunt, tantumque episcopis & abbatibus in necessitate aut vtilitate ecclesiae a Romano pontifice caussa cognita dari permiserunt.

§. III. Iam coadiutores cum spe successionis constitutio iudicio episcopi, qui ea ope indigebat, & auctoritate synodi prouincialis, plebe etiam consentiente fiebat, prorsus eodem modo, quo episcopi eligebantur. Sed iure nouo in ecclesia Latina coadiutoris cuiuscumque generis constitutio inter caussas maiores relata est, atque ideo solius summi pontificis auctoritate fieri debet, nisi ecclesiae sint remotiores, quo casu auctoritate apostolica ipse episcopus cum adsensu capituli vnum vel plures sibi adsciscit coadiutores, vel si episcopus non possit, fortasse quod demens sit, duae capituli partes coadiutorem constituunt: & si episcopus nolit habere coadiutorem, apostolicis rescriptis ecclesiae prouidendum est, *cap.* 5. *ex. de clerico aegrotante, cap. vn. eod. in 6.* Parochis vero imperitis ad tempus ab episcopo dantur coadiutores. Trident. *sess.XXI. de ref. cap.* 6. Constitutus coadiutor ex reditibus ecclesiae, cui inseruit, alendus est; at non potest eiusdem bona alienare, *cit. cap. vn.*

CA-

---

rim videri posset, quod Augustinus, quin & ipse senex Valerius, in exiguo tum canonum numero canonem Nicaenum ignorarent. Sed non omnes episcopi exemplaria concilii Nicaeni habebant, nec in Africa tum vllae erant canonum collectiones.

CAPVT XV.

De Chorepiscopis.

§.I. PRoximum sub episcopis gradum olim obtinuerunt *chorepiscopi*, hoc est regionum & pagorum in territorio ciuitatum constitutorum episcopi, seu inspectores & rectores: χωρα enim, vnde dicti sunt, regionem significat. Nimirum vbi in pagis & vicis larga facta est ad Christum accessio, ibidemque constitutae & multiplicatae ecclesiae, e re christiana visum est, amplas parochias in minores regiones partiri, eorumque curam demandari chorepiscopis, qui sub episcopo ciuitatis sibi commissam regionem administrarent. Frequentes erant quarto ineunte saeculo in Oriente chorepiscopi; at in Occidente tardius innotuerunt, eorum enim primum meminit synodus Regiensis in Gallia anno CCCCXXXI. celebrata (*a*). Chorepiscopi vero non veri episcopi videntur fuisse, sed potius presbyteri, qui officio regendi ruris regiones augebantur (*b*).

§ II.

(a) Et sane fictitia est decretalis sub nomine Damasi papae de chorepiscopis ad Africanos: quod vsus chorepiscoporum in Africa non receptus euidenter demonstrat. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. I. lib. 2. cap. 1.*

(b) Non conuenit inter doctos, vtrum chorepiscopi fuerint meri presbyteri officio chorepiscopi aucti, an potius veri episcopi. Ant. Augustinus, Petrus de Marca, Thomassinus aliique eos ex ordine presbyterorum fuisse contendunt. Contra Beueregius, Blondellus, Caueus, Binghamus aliique chorepiscopos veri nominis episcopos faciunt, licet aliquae episcopales functiones iis per canones interdicerentur. Sed probabilius videtur, chorepiscopos fuisse sacerdotes secundi ordinis, qui officio regendi ruris regiones supra reliquos presbyteros crescebant. Et quidem chorepiscopi a solo episcopo, cui subiecti erant, constituebantur,

 conc.

§. II. Horum vero chorepiſcoporum officium erat, ſibi commiſſae regionis ſpiritualem curam habere, clericis ibi exiſtentibus praeeſſe, in ipſorum vitae rationem inquirere, & de ea re ad ciuitatis epiſcopum referre. Aucti quoque erant quibuſdam iuribus & priuilegiis, quae ceteris presbyteris eccleſiarum rectoribus denegabantur. Et quidem in ſuis eccleſiis de presbyterorum & diaconorum ſuorum teſtimonio minores clericos ordinabant. Conc. Antioch. *can. X.* Item in ciuitate coram epiſcopo & presbyteris vrbanis inuitati ſacra myſteria celebrabant, conc. Neocaeſ. *can. XIII.*, quod aliis ruralibus presbyteris denegabatur. Neophytis quoque ſeu recens baptizatis manus in confirmationem imponebant. Sedebant in conciliis generalibus & ſuffragia ferebant. Conc. Nicaen. *in ſubſcript.* Et dabant litteras pacificas. Conc. Antioch. *can. VIII.* Haec omnia pro iure ſuo chorepiſcopi faciebant, niſi ſynodorum aut epiſcoporum, ſub quibus miniſtrabant, auctoritate eorum poteſtas limitaretur. Certe vero chorepiſcopi diaconos & presbyteros non ordinabant (c), licet ex epi-

conc. Antioch. *can. X.*, contra epiſcopi a tribus ferme epiſcopis debebant conſecrari. Deinde chorepiſcopi in regionibus paroeciarum, quae ſuos habebant epiſcopos, conſtituebantur: veteres vero canones in vna ciuitate duos eſſe epiſcopos vetant, hactenus vt Nicaeni patres *can. VIII.* iuſſerint, epiſcopos Nouatianos ad fidem reuerſos pro arbitrio catholici epiſcopi vel eſſe chorepiſcopos, vel presbyteros, *ne in vna ciuitate duo epiſcopi probentur exiſtere.*

(c) Antiqui canones chorepiſcopis presbyteros & diaconos conſecrandi poteſtatem ex conſenſu epiſcopi tribuere videntur. Sane ſynodus Ancyrana *can. XIII.* habet, non licere chorepiſcopis presbyteros & diaconos creare, *niſi eis permittatur ab epiſcopo per litteras.* Et ſynodus Antiochena *can. X.* vetat, chorepiſcopos presbyteris & diaconis manus imponere *διχα του εν τη πολει επισκοπου ſine ciuitatis epiſcopo*, ſeu vt vertit Dionyſius Exiguus, *praeter ciuitatis epiſcopum.* Itaque ex conceſſione epiſcopi ciuitatis licebat chorepiſcopis presbyteros & diaconos creare.

Verum canon Ancyranus antiqua laborat corruptione, eiuſque vera ſententia haec fuiſſe videtur: chorepiſcopis non licere

episcopis creati essent. Conc. Antioch. *can.* X. (*d*).

§. III Quamuis autem chorepiscopi presbyteros & diaconos iure creare vetarentur; tamen in Occidente & praesertim in Gallia omnia episcopalia officia attentarunt: quae potestatis extensio tandem eos perdidit in Occidente. Sane vbi ea de re consultus Leo III. respondit, nullum esse & iterandum quidquid episcopalis ministerii chorepiscopi praesumsissent, ipsosque deponendos & pellendos in exilium; statuerunt Gallicani episcopi, deinceps non creari chorepiscopos, & iterari functiones episcopales ab iisdem explicatas, vt habetur in capitularibus *lib. VII. cap.*328. & *seq.* Sed tam graui sollemnique decreto non obstante retenti chorepiscopi ignauia episcoporum, qui otio & genio indulgentes, in eos sarcinam episcopalem reiiciebant, quod Hincmarus Remensis *ep. XLV.* testatur. Quod vero principes occasione chorepiscoporum, quos modica conductos stipe vacantibus ecclesiis praeficiebant, a concedendis electionibus cessarent, teste Flodoardo *lib.III. hist. Rhemens. cap.* 10., bonam mentem induerunt episcopi, & veluti ex compacto a creandis chorepiscopis cessarunt. Ita saeculo ferme decimo in Occidente nulli erant chorepiscopi; sed in Oriente diutius steterunt, aetate vero Balsamonis omnino desierant.

cere presbyteros & diaconos ordinare, sed nec presbyteris ciuitatis aliquid agere sine episcopi concessione in vnaquaque paroecia: quod liquidis argumentis Petrus de Marca *de C. S. & I. lib. II. cap.* 14. probatum dedit. Et ita restitutus canon nihil habet; vnde constet, chorepiscopis licuisse presbyteros & diaconos consecrare. Porro verba illa canonis Antiocheni *praeter ciuitatis episcopum* non ita sunt accipienda, quasi permittente episcopo liceat chorepiscopis presbyteros & diaconos ordinare, sed ne id possint sine episcopo, cui ordinanti adsint & operam praestent, vt recte Balsamon interpretatur. Et procul dubio a sensu canonis aberrat vetus Latinus interpres, qui ita habet: *praeter conscientiam episcopi ciuitatis*.

(d) Scilicet quamuis chorepiscopi secundi ordinis sacerdotes fuerint; tamen aliquando episcopi, qui vacabant, ad chorepiscopos ablegati sunt. Conc. Nicaen. *can. VIII.* Quo casu sacerdotii plenitudo quiescebat, tantumque chorepiscopalis vigebat potestas. V. Petr. de Marca *de C. S. & I. lib.II. cap.*13.

CAPVT XVI.

De praelatis inferioribus.

§. I. MEdii inter episcopos & presbyteros in noua disciplina habentur *praelati inferiores*, antistites nempe, qui ordinis episcopalis expertes, quasi episcopalem iurisdictionem in sibi subiectas ecclesias & personas exercent. Eorum tres species distingui solent. Alii habent propriam quasi dioecesim ab omni alia dioecesi prorsus separatam, in qua quasi episcopalem exercerent iurisdictionem. Alii praesunt clero & populo alicuius regionis, quae etsi subtracta ab episcopi potestate, tamen in illius dioecesi, a qua vndique circumscribitur, locata est: atque ideo ecclesia ista *in dioecesi*, non vero *de dioecesi* esse dicitur. Et demum alii ab episcopi potestate subtracti certis personis intra septa alicuius ecclesiae aut monasterii seu conuentus existentibus praesunt, quales sunt superiores regulares, & nonnulli praelati saeculares, qui monachis aut clericis alicuius ecclesiae praesunt. V. Card. Petra *ad const. IV. Callisti III. sect.* 1. *tom.* 5. & Benedict. XIV. *de synodo dioeces. lib. II. cap.* 11.

§. II. Cuiuscumque generis sint praelati inferiores, omnes iure proprio habent iurisdictionem. Ceteris vero praestant, qui separatam quasi dioecesim habent, (*dioecesis* proprie est episcoporum) & vere *praelati nullius* dicuntur, & inter locorum ordinarios censentur, vtpote qui nec in aliqua dioecesi, nec de dioecesi esse putantur. Et sane in noua disciplina *ordinarii* nomine tam episcopi, quam praelati nullius intelliguntur, *cap.* 3. *de officio ordin. in* 6., quum contra *episcopi* nomine tantum veniant antistites, qui episcopali ordine aucti sunt. Hoc discrimine vsa videtur synodus Tridentina, quae dum aliquid episcopis & praelatis nullius commune esse voluit, *ordinarios locorum* generatim appellat; vbi vero praelatos inferiores exclusos voluit, *episcopi* nomen vsurpat. Sed praelati

lati secundae speciei minus proprie dicuntur *nullius*, vtpote qui ecclesiam in alicuius episcopi dioecesi habent.

§. III. Praelati inferiores summorum pontificum privilegiis & praescriptione immemorabili, aut centenaria legitima probata constituti sunt lapsa demum ecclesiastica disciplina, nempe postquam episcopalis confirmatio veluti actus ab ordinatione distinctus habita est. Tum absonum non amplius visum, episcopali iurisdictione etiam non episcopos augeri. Et quoniam monasteria & ecclesias, immo integras regiones cum suis populis ab episcoporum potestate saepe pontifices eximebant, res ipsa veluti postulauit excitari praelatos inferiores, qui ab episcoporum potestate subtracti in personas & loca exemta exercerent iurisdictionem. Ceterum hac noua praelatorum institutione potestas episcopalis multum eneruata est, occasiones litium inductae, & res canonica intricatior & auctior facta est.

§. IV. Sunt vero praelati inferiores alii monachi & regulares, alii clerici nulla regularis vitae professione ad stricti. Item ex praelatis inferioribus alii vsu pontificalium aucti sunt, quibus externo cultu exemplar quoddam episcoporum exhibent: contra alii tanto honore carent. Vile visum praelatis quasi episcopalem iurisdictionem iure proprio exercere, & interim episcopalibus insignibus & vestibus omnino carere. Hinc multi speciali priuilegio ornamenta episcopalis dignitatis a summo pontifice impetrarunt. Qua quidem in re praelati, praesertim ex monachis adsumti, videntur contra propriam professionem peccasse: in monachis enim pontificales vestes ambitionem & adrogantiam sapiunt: quod S. Bernardus *epist. XLII.* adgnoscit. Vtuntur vero praelati inferiores concessis pontificalibus ex priuilegii forma & adhibitis limitationibus, quas sacra ritum Congregatio probante Alexandro VII. adiecit. Et vt episcoporum salua semper sit praerogatiua, praelati inferiores in conciliis diuersa ab episcopis mitra vtuntur, *cap. 6. de priuil. in 6.*

§. V. Vt vero quae sit inferiorum praelatorum potestas distinctius intelligatur, ea quae ordini episcopali insunt, ab iis, quae iurisdictioni adscribi solent, distinguenda sunt. Et quidem in compertis est, praelatis inferio-

rio-

rioribus omnino denegari functiones, quae ab ordine episcopali pendent, qualis est ordinum maiorum collatio. Verum iisdem ex priuilegio licet exercere aliquas functiones episcopis addictas & reseruatas. Et sane abbates vsu pontificalium aucti ex priuilegio in ecclesiis, quas *pleno iure*, hoc est in spiritualibus & temporalibus regunt, post missarum sollemnia & vespertinas & matutinas laudes sollemniter populo benedicunt, *cap. 3. de priuil. in 6.*, item consecrant vasa ad vsum eucharisticum, immo & altaria, & nonnulli etiam sui ordinis ecclesias. Abbates quoque regulares, qui in sacerdotio sunt, & sollemnem abbatis consecrationem acceperunt, suis subditis regularibus pro iure suo primam tonsuram & minores ordines conferunt, *can. 1. D. 69.*, *cap. 11. ex. de aetate & qualitate ordinand.*, Trident. *sess. XXIII. de ref. cap. 10.* (*a*), reliqui vero expresso priuilegio indigent.

§. VI. Quod vero spectat ad iurisdictionem quasi episcopalem, multa sunt, quae praelati inferiores etiam vere nullius vetantur exercere, etsi alias iurisdictioni insint. Et in primis vetantur indicere & habere synodum dioecesanam, nisi expresso pontificis priuilegio ad eum conventum celebrandum augeantur, & priuilegium in vsum deductum sit: itemque vetantur seligere examinatores ad conferendas per sollemne examen ecclesias paroeciales. V. Benedict. XIV. *de synodo dioeces. lib. II. cap. 11.* Atque hinc parochias in quasi dioecesi nullius separata episcopus vicinior, in ecclesia vero exemta, sed in dioecesi existente, episcopus dioecesanus ex forma a Tridentino concilio pro-

(a) In veteri disciplina ignota erat abbatum sollemnis consecratio, & quilibet abbas presbyteratu initiatus *εν ιδιῳ μοναςηριῳ in proprio monasterio*, hoc est sibi subditos monachos lectores creabat. Conc. Nicaen. II. *can. XIV.* At vbi inualuit, vt abbates sollemni ratione consecrarentur, receptum est, vt illi tum possent tonsuram & minores ordines conferre, si post susceptum sacerdotium sollemniter in abbates essent benedicti. Hinc Gratianus citatum synodi Nicaenae canonem in eum sensum traduxit, vt abbati post acceptam consecrationem liceret lectores creare.

proposita confert, & simul oeconomos, quousque vacaverint, designat. Nec ea iure exercent, quae canones novae disciplinae & praesertim Tridentini episcopis addicunt (*b*). Et porro vetantur dare litteras dimissorias ad ordines suscipiendos clericis saecularibus sibi subditis; sed horum omnium ordinationes vel ad episcopum viciniorem, si praelati quasi dioecesim ab omni alia dioecesi separatam habeant, aut ad episcopum dioecesanum, si ecclesia praelati in dioecesi alicuius episcopi existat, pertinent. Trident. *sess.XXIII. de ref. cap.*10., Benedict. XIV. *loc. cit.*

CAPVT XVII.

De presbyteris, archipresbyteris & parochis.

§. I. QVi a Graecis *presbyteri*, a Latinis *seniores* vocantur, magis sapientiae & meritorum, quam aetatis gratia, non secus ac olim Romani *senatores* dixerunt. Ita generali *presbyteri* notione episcopi, quin & reliqui clerici veniunt. Sed in re praesenti strictius presbyteri accipiuntur pro secundi ordinis sacerdotibus, quibus sub episcopo ius est ferme omnia ecclesiastica obire ministeria, praeter sacram ordinationem. Et quidem presbyteri praedicant, baptizant, praesunt, benedicunt, offerunt, & a peccatis absoluunt.

§. II. Quaecunque vero sit presbyterorum potestas, ab episcopo in omnibus officiis dependent, & nisi de eius venia

---

(b) Eiusmodi sunt caussae criminales & matrimoniales, Trident. *sess. XXIV. de ref. cap.*20., & monitoria excommunicationis ad res subtractas perditasque reuelandas, Trident. *cap.*3. Sed vsu haec inualuit sententia, quam congregatio interpretando Tridentino addicta probauit, vt primores praelati instar episcoporum de criminibus cognoscant & iudicent, non item de matrimoniis, nisi praeuia in singulis caussis summi pontificis delegatione. Card. Petra *ad const.IV. Callisti III. sect.*2. *n.*49.

venia acceptam in ordinatione poteſtatem explicare vetantur. *Sine epiſcopo*, inquit Ignatius Martyr. *ep. ad Smyrnaeos*, *nemo quidquam faciat eorum*, *quae ad eccleſiam pertinent*. Idem habent apoſtolici ſic dicti canones, Laodiceni, Arelatenſes, Toletani aliique, quorum omnium vna ſententia eſt, ſine epiſcopi conſcientia nihil quidquam presbyteris agere licere. Sane in vna eccleſia tot emergerent independentes plebes, quot eſſent presbyteri, ſi iſti ab epiſcopo non penderent.

§. III. Sed in eo magis elucet poteſtas presbyterorum, quod melioribus ſaeculis ſine eorum conſilio nihil magni momenti epiſcopi faciebant. Nimirum ſingulae epiſcopales eccleſiae ſenatum habebant, qui alias *presbyterium* & *ſynedrium* dicebatur, & ex epiſcopo, presbyteris & diaconis vrbis conſtabat. In presbyterio negotia omnia eccleſiaſtica tractabantur, & hinc presbyteri *praepoſiti*, *praeſides* & *antiſtites* in antiquis monumentis dicti. Bingham. *lib. II. orig. eccleſ. cap.* 19. §. 14. Dum cogebatur presbyterium, presbyteri & epiſcopus ſedebant, diaconi ſtabant; ſed epiſcopi ſedes erat ſublimior prae ſedibus presbyterorum: & hinc ſedes epiſcopi *thronus celſus*, & ſedes presbyterorum *throni ſecundi* dicebantur. Item ſedes iſtae ſemicirculum conficiebant, in cuius medio erat epiſcopi thronus (*a*). Sed temporis lapſu auctoritas presbyterii in capitulum canonicorum eccleſiae cathedralis tranſiit, ſenſimque ita decreuit, vt eius pauca ſuperſint veſtigia, qua de re in tractatu de canonicis.

§. IV. Ex presbyteris creantur *parochi*, qui iure proprio, ſed ſub epiſcopi auctoritate regunt ſibi demandatas eccleſias. Vbi in agris & inde in ciuitatibus inſtitutae ſunt inferiores eccleſiae, quae eccleſiam epiſcopalem veluti matrem adgnoſcunt, earum cura propriis presbyteris perpetuo demandata eſt: & hinc exortae parochiae, quae ſunt

(a) Ex forma iſta ſemicirculi, qua throni erant digeſti, Ignatius Martyr *epiſt. ad Magneſian.* presbyteros *πνευματικον ϛεφανον του πρεσβυτεριου ſpiritualem coronam presbyterii*, & auctor conſtitutionum apoſtolicarum *lib. II. cap.* 28. *της εκκλησιας ϛεφανον eccleſiae coronam* dixerunt.

ſunt veluti ſacrae quaedam viciniae, & parochi conſtituti, qui iure officii ſui, ſed dependenter ab epiſcopo animarum curam habent (*b*). In antiquis Latinis monumentis paroeciae ſaepe dicuntur *tituli*, forte quod inde nomen titulumque ſuum presbyteri ſumerent, aut a titulis martyrum, quibus eccleſiae dedicari ſolebant.

§. V. Quando autem parochis perpetuo iure competit inferiorum eccleſiarum adminiſtratio, eorum profecto eſt, *oues ſuas adgnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbi diuini praedicatione, ſacramentorum adminiſtratione, & bonorum omnium operum exemplo paſcere*, vt habent Tridentini patres *ſeſ. XXIII. de ref. cap.*1.: idque per ſe, aut alios idoneos, *ſi legitime impediti fuerint*. Trident. *ſeſ.V. de ref. cap.*2. Viciſſim tenentur parochiani ſacramenta a ſuo proprio parocho accipere, eique in cultu Dei publico adhaerere, adeo vt iubeantur parochi alienos parochianos, niſi in itinere fuerint, a praeſepibus ſuis, quo tempore miſſa celebratur, excludere, *cap.*2. *ex. de parochiis*. Eccleſia nempe paſtori ſuo debet adhaerere: nec niſi poſt inductos mendicantes ſancta haec inter parochos & parochianos vnitas diſſociata eſt.

§. VI. Ex presbyteris quoque creatur archipresbyter, presbyter ſcilicet, qui ceteris ſui ordinis praeeſt. Tribus primis ſaeculis vnus epiſcopus eccleſiae & presbyteris tamquam presbyterii princeps praefectus erat; verum ſaeculo quarto ob continua cum haereticis certamina & conciliorum celebrationem diſtractis a cura interiori, aut abſentibus epiſcopis, vnus ex presbyteris veluti ordinis princeps conſtitutus eſt, quem proinde Latini *archipresbyterum*, Graeci *πρωτοπρεσβύτερον primum presbyterum* dicunt. Apud Latinos antiquitate ordinationis, apud Graecos vero

(b) Saeculo tertio parochiae rurales in aliquibus locis erant conſtitutae. Bingham. *orig. eccleſ. lib.IX. cap.*8. §.4. Diſtabat vero inter rurales & vrbanas eccleſias inferiores; nam illae ab initio proprios presbyteros, qui eas regerent, habuerunt; iſtae diu in commune a clericis eccleſiae epiſcopalis adminiſtratae ſunt, quod contra Petauium probat Valeſius *not. in Sozomen. lib. I. cap.* 15.

ro episcopi arbitrio vt plurimum archipresbyteri creati sunt. Proxime post episcopum archipresbyter ecclesiae praeest, tamquam presbyterorum caput, & absentis episcopi vicem sustinet, *cap. 1. & seqq. ex. de officio archipresbyteri*, praesentis vero curam leuat.

§. VII. Vnus tantum in singulis dioecesibus olim archipresbyter fuit, qui ecclesiae cathedrali addictus erat. At temporis lapsu etiam ruri constituti sunt archipresbyteri, qui ad differentiam vrbanorum *rurales* dicti sunt. Nimirum amplae praesertim dioeceses in varias regiones tributae sunt, quae *decaniae*, (quod in iis decem inferiores paroeciae continebantur) & *plebes* audierunt: quae partitiones saeculo octauo in multis locis inualuerant. Singulis decaniis *archipresbyter*, alias *plebanus* dictus, praefectus est: ac proinde archipresbyteri ruralis erat non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerere, verum etiam presbyterorum, qui *minores titulos*, hoc est parochias, habitant, vitam iugi circumspectione custodire, & qua quisque cura diuina officia exercet, episcopo renuntiare, *cap. 4. ex. de off. archipresbyteri*.

CAPVT XVIII.

De diaconis, archidiaconis & diaconissis.

§. I. NOmine *diaconi* in nouo testamento generatim veniunt omnes sacro ministerio addicti, quo sensu etiam episcopi & presbyteri diaconi audiunt, *Actor. I. 25.*, *2. Cor. VI. 4.* At nunc strictiore sensu diaconi sunt tertii ordinis sacerdotes, qui episcopo & presbyteris ministrant. Diaconorum institutioni mensarum seruitium dedit occasionem; sed eos semel institutos ad ecclesiae ministeria ipsi apostoli adhibuerunt (a). Immo aucto in diem fide-

(a) Instituto apostolorum septem diaconi creati sunt, quem numerum plures ecclesiae, in primis Romana, diu retinuerunt. Et

fidelium numero ita diaconorum officia excreuerunt, vt sine iis, teste Isidoro *lib.II. de diuin. offic. cap.*8., sacerdotes nomen quidem habeant, non officium.

§. II. Officia diaconorum plura erant, eaque partim in ecclesia, partim extra explicabant: non minus enim in spiritualibus, quam in temporalibus ecclesiae ministrabant. In ecclesia oblationes ad altare factas recipiebant, offerentiumque nomina publice recitabant, Hieronym. *comment. in Ezechiel. cap.XVIII.*, quae recitatio *nominum oblatio* dicebatur. Card. Bona *lib. II. rer. liturg. cap.* 8. *n.* 7. Item in multis ecclesiis euangelium legebant, & certis sollemnibus formulis in qualibet diuini cultus parte proclamabant, catechumenos, poenitentes, fideles siue ad orandum, siue ad genua flectenda, siue ad audiendas lectiones, siue ad exeundum admonentes: & hinc diaconi *ecclesiae praecones* dicti sunt. Porro de episcopi venia baptizabant, Tertull. *de bapt. cap.XVII.*, & praedicabant, eosque, qui minus ordinate in ecclesia se gerebant, reprehendebant & castigabant, *const. apost. lib.II. cap.* 57., Chrysost. *hom. XXIV. in acta*.

§. III. Quod vero est praecipuum diaconorum officium, episcopo & presbyteris in sacra liturgia ministrarunt, vbi sanguinem Christi laicis tribuebant; corpus vero praesente presbytero tantum iussi & necessitate cogente erogabant. Conc. Carthag. IV. *can. XXXVIII.* Haec eucharistiae distributio apud veteres dici solet *oblatio*, quasi eam diaconi christianis porrigerent & offerrent. *Sollemnibus adimpletis*, inquit Cyprianus *de lapsis*, *calicem diaconus offerre praesentibus coepit*. Ex qua obseruatione recte explicatur canon secundus Ancyranus, quo diaconi, qui immolauerant, prohibentur offerre. Nec enim recte Grotius *diss. de administr. sacrae coenae vbi presbyteri non sunt*, nomine *oblationis* in canone Ancyrano intelligit consecrationem, quasi diaconis absentibus presby-

Et synodus Neocaesariensis *can. XV.* statuit, diaconos septem esse oportere, etiamsi magna ciuitas sit. Sed *apud alios*, inquit Sozomenus *lib. VII. cap.* 19., *haudquaquam definitus est numerus diaconorum*.

presbyteris corpus & sanguinem Christi consecrare licuerit. Vniuersa enim antiquitas diaconis denegat consecrandi potestatem (*b*).

§. IV. Extra ecclesiam diaconi iussu episcopi bona ecclesiastica tribuebant, erantque episcoporum subeleemosynarii, inquirebantque in pauperum egestates, & episcopo referebant, & acceptas eleemosynas illis erogabant. Item inquirebant in populi mores, indicabantque episcopo mala, quibus ipsi mederi non poterant. *Const. apost. lib. II. cap.*44. Mandata episcoporum ad presbyteros vel alios episcopos deferebant; suos episcopos comitabantur praesertim in synodis generalibus, vbi scribas & disputatores agebant. Atque ex his omnibus factum, vt diaconi *oculi, aures, os, dextra & cor episcopi* dicerentur. *Const. apost. loc. cit.*, Isidor. Pelusiota *lib.I. ep.* 29. Sed moribus praesentibus longo saeculorum cursu firmatis collapsa sunt diaconorum officia, & ferme tantum in sollemni missa ministrant, vbi canunt euangelium.

§. V. Inter diaconos vnus fuit reliquis superior, dictus propterea *archidiaconus*. Quando enim in vna ecclesia plures erant diaconi, recta regiminis ratio postulauit, vt vnus arbitrio episcopi electus, reliquis praeponeretur. Tho-

(b) Exstat apud Ambrosium *lib.I. de offic. cap.*41. locus quidam, vnde colligi videtur, diaconos in ecclesia Romana sacra mysteria consecrasse. Ibi enim Laurentius diaconus ita Sixtum episcopum suum ad martyrium properantem adloquitur: *Quo sancte sacerdos sine diacono properas? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueueras. Quid in me ergo displicuit pater? Cui commisisti dominici sanguinis consecrationem*. Sed *sanguinis consecratio* in hoc loco est sanguinis distributio, quod ex ipso contextu constat, vt iam vidit cardinalis Bona *lib.I. rer. liturgic. cap.* 25. Cui interpretationi liceat mihi addere, verba *sanguinis consecrationem* ex vsu Latinorum recte exponi *sanguinem consecratum*. Saepe enim apud Latinos nomine substantiva vim habent adiectiuorum. Et certe *colli longitudo ap.* Phaedrum *lib. I. fab.* 8. est collum longum, item iurisconsultis in definitione thesauri *depositio pecuniae* est pecunia deposita: & quae sexcenta sunt huius generis alia.

Thomass. *de veteri & noua eccles. discipl. par. I. lib. 2. cap.* 17. Episcopi ministerio archidiaconi negotia ferme omnia explicabant: & hinc quum diaconi episcopi oculi essent, archidiaconus ὅλος ὀφθαλμὸς *totus oculus* esse debebat, vt Isidorus Pelusiota *lib. I. ep.* 29. obseruat. Quo fiebat, vt archidiaconi magnae essent auctoritatis & industrii ad negotia ecclesiastica procuranda: & hinc posthabitis presbyteris saepe episcopi ex illis electi sunt, cuius rei exempla Caecilianus, Athanasius aliique plures suppeditant.

§. VI. Tanta archidiaconi potestas primis quinque saeculis ecclesiae cathedralis ambitu inclusa stetit. Bingham. *lib. II. orig. eccles. cap.* 21. §. 9. At inde distractiores a rebus sacris episcopi facti, totius ferme dioecesis sollicitudinem archidiaconis coeperunt demandare. Hinc facti sunt archidiaconi vicarii quidam generales in depromenda omni episcopali iurisdictione. Competebat autem archidiacono potestas haec episcopi delegatione, at temporis decursu creuit in ordinariam, idque adsiduis delegationibus & episcoporum oscitantia videtur contigisse. Ita inualuit, vt a sententiis archidiaconi non metropolitanus, sed episcopus appellaretur, quasi archidiaconi & episcopi audientiae distinctae essent, *cap.*3. *de appellationibus in 6.* Sed tandem saeculo decimo tertio insolentia & auaritia archidiaconorum exciti episcopi paullatim iurisdictionem reuocarunt suam, & nouos ad eam explicandam constituerunt officiales, quos pro arbitrio repellerent. Ita sensim decreuit archidiaconorum ordinaria iurisdictio: & in locis, in quibus supererat, ex decretis Tridentinis *sess. XXIV. de ref. cap.* 20. illi vetiti sunt in caussis *matrimonialibus & criminalibus* cognoscere: quo decreto & beneficiariae & maiores omnes caussas contineri tradunt canonistae. Barbosa *collect. VI.*

§. VII. Quanta demum cumque fuit archidiaconi potestas, per plura saecula in presbyteros, multo magis in archipresbyterum non extendebatur. Certe praeposterum visum est, non presbyterum presbyteris praeesse, & de iis iudicare. Sed tempore addito in ipsos presbyteros & archipresbyteros rebus spiritualibus tantum intentos archidiaconi potestas extensa est: quae disciplina decreto Gra-

tiani & decretalibus Gregorii IX. publicatis conualuit (c).

§. VIII. Iam archidiaconi erant ex diaconorum ordine, & si presbyteri ordinabantur, quaesita cadebant potestate. Hinc iniuriam sibi fieri putabant, si presbyteri crearentur, quod Hieronymus *comment. in Ezechiel. cap. XLVIII.* testatur. Sed deinceps officio & potestate archidiaconi retentis, archidiaconi presbyteratu initiati sunt, occurruntque saeculo nono apud Hincmarum Rhemensem *archidiaconi presbyteri*. Vbi coeperunt archidiaconi etiam presbyteris praeesse, indignum fortasse visum est, non presbyterum presbyteris superiorem esse. Et ab hoc demum tempore archidiaconis cura animarum interna addi potuit.

§. IX. Praeter diaconos fuerunt olim in ecclesia etiam diaconissae, piae nempe vetulae sollemni ritu inter clericos cooptatae (d), vt ea explicarent officia, quae magis

(c) Gratianus *can. 1. D. 25.* ex epistola Isidori ad Ludifredum & Raymundus *cap. 1. ex. de off. archidiaconi* ex concilio Toletano exhibent fragmentum, quo dicitur, archipresbyterum archidiacono esse subiectum. Est quidem hoc fragmentum suppositiiium; abest enim ab Isidori epistola, vnde acceptum refertur, nec in vllo conciliorum Toletanorum exstat: at saeculo decimo secundo & sequenti huius fragmenti auctoritate potestas archidiaconi supra presbyteros confirmata est.

(d) Sollemnis ritus, quo consecrabantur diaconissae, erat manuum impositio, *const. apostol. lib. VIII. cap. 19.*, conc. Chalced. *can. XV.*, conc. Trull. *can. XIV.* Hinc earum ordinatio saepe dicta est *χειροτονια* & *χειροθεσια manuum impositio*. Et si in canone Nicaeno XIX. dicatur, diaconissas nullam accepisse manuum impositionem, id tantum de iis diaconissis dictum videtur, quae habitum sine vlla manuum impositione inter Paulianistas receperant, & inde in ecclesiam catholicam redierant. Verum ea manuum impositio non erat sacramentalis, quae aliquem sacerdotii gradum conferret, sed pia caerimonia, qua mulieres illae certo muneri in ecclesia obeundo addicebantur. Incapaces prorsus ad christianum sacerdotium mulieres sunt: nec ex manuum impositione aliquis ordo datus infertur: quis enim ignorat, ferme in quouis sacro ritu & benedictione manuum impositiones fuisse vsurpatas?

magis feminarum esse videbantur. Ipsi apostoli diaconissas instituerunt, *ad Rom. XVI. v.1.* Quod vt plurimum ex viduis ecclesiae eligebantur, Ignatius martyr aliique veteres eas *viduas*, & earum officium *viduatum* appellant. Eligebantur vero in viduarum vnius viri viduae, sexaginta annos natae, quae liberos enixae fuerant & educauerant: quas qualitates ab ipso apostolo praescriptas Tertullianus *de veland. virginib. cap. IX* recenset, quamuis hisce regulis ecclesia non semper adhaeserit. Bingham. *lib. II. orig. eccles. cap.* 22. § 2. *seqq.*

§. X. Iam diaconissae adsistebant baptismo feminarum olim per immersionem dari solito, easque sacro oleo ante baptismum vngebant, baptizatas vero suscipiebant, & abstergebant: feminas quoque catechumenas priuatim instituebant, qualiter tempore baptismi interrogatae responderent, & qualiter accepto baptismo viuerent: feminas aegrotantes, vt & confessores & martyres in custodia detentos, visitabant, iisque omnibus seruiebant: portas ecclesiae, per quas alicubi feminae tantum ingrediebantur, seruabant: in ecclesia locum proprium feminis adsignabant, & reliquis viduis praesidebant. Quae omnia diaconissarum officia veterum adductis testimoniis Binghamus *lib.II. orig. eccles. cap.* 22. recenset & illustrat. Sed iam inde a multis saeculis diaconissae, quod eorum officia ferme nullius vsus euaserant, in vtraque ecclesia esse desierunt.

CAPVT XIX.

De clericis minoribus & attonsis.

§.I. PRimis ferme duobus saeculis praeter diaconos nulli alii fuerunt clerici minores. Scripta apostolica & reliqua primorum saeculorum monumenta episcopos, presbyteros & diaconos tantum memorant. Et ministeria, quae inde clericis minoribus demandata sunt, diaconi aut christiani omnes peragebant. Sed inde satis aucto fide-

H 2 lium

lium numero, nec sufficientibus diaconis ad omnia obeunda ministeria, diuersa officia diuersis personis tributa sunt, exortique initio tertii saeculi ex diaconatu clerici minores institutis potius ecclesiarum, quam aliquo ecclesiae generali decreto (a). Hinc pro varietate ecclesiarum varius fuit clericorum minorum numerus; at in ecclesia Romana quinque instituti sunt gradus inferiores, *hypodiaconi* nempe, *acolythi*, *exorcistae*, *lectores* & *ostiarii*.

§. II. Hypodiaconi in veteri disciplina clerici minores fuerunt, ita dicti quod extra sanctuarium proxime ministrabant diaconis; sanctuarium enim solis maioribus clericis videtur patuisse. Conc. Laodic *can. XXI.* Ergo hypodiaconi sacra altaris vasa & reliqua vtensilia extra sanctuarium aptabant & disponebant, eaque diuini cultus tempore diaconis tradebant. Verum inde hypodiaconis permissum ingredi sanctuarium, & calicem & patenam ad altare Christi deferre, & diaconis tradere, & pro lavandis ante altare manibus episcopo, presbytero & diaconis aquam praebere, *can.* 1. *D.* 25. Item hypodiaconi fuerunt episcopis a secretis, consiliis & missionibus. In vtraque ecclesia olim hypodiaconi inter minores clericos censebantur; sed a multis saeculis in ecclesia Latina creuerunt inter maiores (b): & in praesenti disciplina in altari mi-

(a) Nec tantum instituti clerici minores, verum etiam nonnulla officia tamquam cumulus propriis presbyterorum, diaconorum & clericorum ministeriis accesserunt, exortique inde sunt multae clericorum appellationes, veluti *catechistae*, *oeconomi*, *notarii*, *apocrisarii*, *cimeliarchae*, *interpretes*, *paramonarii*, *ecclesiae defensores*. Scilicet plura erant officia quam ordines, & pro numero officiorum instituere clericos e re ecclesiasticae visum non est. Sed aliqua ex his officiis etiam laici exercuerunt.

(b) Opinantur interpretes decretalium hypodiaconos inter maiores clericos numeratos fuisse, quo primum tempore illis lex continentiae indicta fuit. Indicta autem fuit continentia hypodiaconis in Occidente a Gregorio M.: & tamen vsque ad nonum saeculum clerici isti inter minores fuerunt. Itaque magis est dicere, a nono saeculo in nonnullis ecclesiis hypodiaconos inter maiores clericos creuisse; tum sub finem saeculi vndecimi ab Vr-

ministrant diaconis, dum sollemnis missa celebratur, & in eadem etiam canunt epistolam.

§. III. Hypodiaconis Latini scriptores adiungunt acolythos. Est *acolythus* Hesichio interprete seruus iuuenis siue pedissequus, qui aliquem continuo comitatur, eique ministrat. Hinc opinatur Franc. Duarenus *de sacr. minister. & benefic. lib.I. cap.*14., acolythos in ecclesia fuisse institutos, vt episcopos, quocumque irent, comitarentur, eisque ministrarent. Itaque aetate Cypriani acolythi ab episcopis ad episcopos ecclesiasticas litteras deferebant. At deinceps etiam acolythis in ecclesia datum, vt luminaria accenderent & deferrent, vnde *ceroferarii* dicti sunt, *can.*1. *D.* 21., & vinum in eucharistiam ministris suggererent. Conc. Chartag. IV. *can.* 6.

§. V. Exorcistae, Latine *adiuratores*, malos daemones impositis manibus & adhibitis adiurationibus ab obsessis expellebant: quod proprio vocabulo dicebatur *exorcizare* (c). Primis tribus saeculis exorcizandi donum omnibus christianis commune fuit. Orig. *lib. VII. contra Celsum*, Tertull. *apolog. cap.XXIII.* Sed eo dono sensim cessante institutus fuit peculiaris ordo *exorcistarum*, quorum munus fuit adhibitis exorcismis malos daemones adiurare, & curare energumenos. Successu temporis potestas expellendo-

H 3 rum

Vrbano II. inter sacratos clericos generatim fuisse relatos, *cap.* 9. *ex. de aetate & qualit. ordinand.* Continentia apud Latinos hypodiaconis imposita, permissio iis facta ad altare diaconis ministrandi, in primis vero facultas ab Vrbano II. indulta, vt saltem concedente pontifice vel metropolitano in episcopos eligi possent, *can.*4. *D.* 60., sensim ad maiorem gradum hypodiaconos euexerunt. Ceterum superest adhuc aliquid de antiqua disciplina; nam etiam hodie hypodiaconi, veluti si essent minores clerici, sine manuum impositione creantur.

(c) Ipsis ethnicis notum erat, christianos in adiurandis malis daemonibus verbo *exorcizo* vti consueuisse. *Si incantauit*, inquit Vlpianus *L.* 1. *D. de tribunalib.*, *si imprecatus est*, *si*, *vt vulgari verbo impostorum vtar*, *exorcizauit*. Quo loco iurisconsultus christianis infensus de more ethnicorum eos *impostores* appellat.

rum daemonum ad maiores clericos deuoluta est, & exorcistae ferme sine officio remanserunt.

§. VI. Lectores clerici minores sunt, qui ex sacris libris aliquid in ecclesia legunt. Sacri codices apud lectores erant, & hinc vrgentibus persecutoribus, vt sibi eos episcopi traderent, saepe ab episcopis responsum, *scripturas lectores habent*. V. Baron. *ad annum* 303. *n.* 7. 12. *& seq.* Legebant vero lectores de pulpito seu suggesto, loco nempe eleuato in ecclesiae naui constituto. Antequam lectioni initium fieret, ecclesiae praeco sollemni verbo *attendamus* silentium indicebat. Chrysost. *hom. XIX. in acta*.

§. VII. Ostiarii, alias *ianitores* & *aeditui* dicti, clerici etiam minores sunt, qui ecclesiae ianuas custodiebant. Ergo ad ostiarium pertinent claues ecclesiae, vt claudat & aperiat templum Dei, & omnia, quae intus & extra sunt, custodiat; fideles recipiat, excommunicatos & infideles eiiciat, *can.* 1. *D.* 25. (*d*).

§. VIII. Iam vero per plura saecula longe maior in ecclesiis fuit diaconorum & minorum clericorum, quam presbyterorum numerus, *epist. Cornelii papae ad Fabium ap. Euseb. lib. VI. cap.* 43. *& Nouel. III. Iustin. cap.* 1. Nimirum magno caerimoniarum apparatu olim sacra mysteria

(d) Atque hi fuerunt minores ordines, quos ab antiquissimis temporibus ecclesia Romana habet. Ceterae ecclesiae & praesertim Orientales non habuerunt quidem omnes minores clericos Romae receptos; at alios instituerunt ad aliquot officia exercenda. Scilicet ex diaconatu ecclesia minores clericos decerpsit, & hinc nihil mirum si pro varietate ecclesiarum varii diversique fuerint; libertate enim donatae erant ecclesiae, quae pertinent ad disciplinam, aequius melius ordinandi. Sane in multis ecclesiis distincti clericorum ordines erant *Psaltae*, *Copiatae*, *Parabolani*. V. Bingham. *lib. III. orig. ecclesiast. cap.* 7. *& seqq.* Psaltae, Latinis *cantores*, erant, qui in cantu ceteris praeibant, vt psalmodia modulatior esset. Copiatae, Latinis *laborantes*, defunctorum corpora efferebant & sepeliebant. Parabolani demum curabant infirmos, ita dicti quod παράβολον ἔργον *rem periculi plenam* tractarent, vt Duarenus & Gothofredus interpretantur.

ſteria explicabantur, & exteriores functiones non presbyteris, ſed miniſtris erant demandatae. Hinc copioſo miniſtrorum numero opus erat, quum contra interior animarum cura, quae in ſacramentis adminiſtrandis praecipue conſiſtit, paucos poterat occupare presbyteros. Fleurius *par. I. inſtit. iur eccleſ. cap. 6. n.* 5. Sed inde imminuto ſacrorum rituum apparatu, bonis eccleſiaſticis non amplius de veteri more communiter adminiſtratis, & ſupra modum aucto miſſarum priuatarum numero, deminutus eſt numerus miniſtrorum, contra presbyterorum creuit.

§. IX. Porro diaconorum & clericorum minorum dignitas in eccleſia diu praeclare ſtetit. Quilibet enim eorum propria obibat officia, ac vnus vni, non ſimul vni plures minores ordines conferebantur. Qua ſtante diſciplina non omnes minores ordines maioribus praemitti ſolebant; vnus enim ex minoribus ordinibus idoneam probationem ſufficiebat ad maiores; & plures in diaconatu vel in aliquo ordine minore, vnde alimenta ſuſcipiebant, totam vitam tranſegerunt. Sed ab hac diſciplina iampridem deſciuimus, miniſtrorum officia non amplius omnia a propriis clericis exercentur, omnes minores ordines neceſſario maioribus praemittuntur, & nemo in diaconatu vel minoribus ordinibus perſeuerat (*e*). Et quamuis ſynodus Tridentina *ſeſ. XXIII. de ref. cap.* 17. minorum ordinum functiones reſtitui praeceperit, fructuum parte etiam fabricae in eam rem impenſa; non tamen priſtini mores adhuc fuerunt reſtituti; immo ſtante recepta diſciplina non videntur per omnia poſſe reſtitui.

§. X. Supereſt, vt de ſolius tonſurae clericis agamus, qui

(e) Dignitas & officia diaconatus & minorum ordinum ex duabus ferme cauſſis ceciderunt. Vna eſt mutatio, quae facta eſt in caerimoniis & apparatu ſacrae liturgiae; vbi enim plures ex antiquis ritibus deſueuerunt, neceſſario etiam cadere debebant minorum ordinum officia. Altera eſt inſtitutio beneficiorum, quae fere ſublimioribus officiis proprios reditus addixit: & ita qui fieri poterat, vt clerici minores in ſuis officiis perſeuerarent, eaque magni facerent, quando eorum ratione de eccleſiae reditibus non participabant?

qui nullo proprio officio demandato fiunt per sollemnem habitus clericalis susceptionem & capillorum detonsionem. Primis octo saeculis solius tonsurae clerici ignoti: qui in clerum cooptabantur, simul vnum ex minoribus ordinibus suscipiebant (f). Inde tonsura clericalis veluti quidam ordo ab aliis separatim conferri coepta, eaque sola patuit aditus ad clericatum: qui mores saeculo nono iam recepti erant. Hinc prima tonsura inter sollemnes preces a solis episcopis data, & attonsi clerici priuilegiis clericalibus vti coeperunt. Non ergo mirum si ingens talium clericorum numerus creatus est. Sed Tridentini patres *sess. XXIII. de ref. cap.* 4. statuerunt, neminem prima tonsura initiandum, nisi constet, non lucri studio, sed propter Deum hoc vitae genus elegisse. Quam regulam vtinam episcopi in vsum vertissent!

§. XI. Iam clerici omnes inferiores vnum componebant collegium, cui praeerat *primicerius*. Generatim qui princeps erat inter plures eiusdem officii siue sacri, siue ciuilis, *primicerius* dicebatur, idque quia eius nomen primum in *cera* seu catalogo inscribebatur. Iac. Gothof. *ad L.* 19. *C. Th. de palatin. sacrar. largit.* Erat itaque in ecclesia primicerius, qui sub se habebat clericos omnes inferiores, eorumque regebat officia, excessusque vice episcopi castigabat, *can.* 1. *D.*25. Demandata quidem primitus fuit archidiacono inferioris cleri praefectura; verum quod decursu temporis admodum archidiaconi potestas creuisset, ei primicerius veluti vicarius fuit substitutus, qui clerum regeret inferiorem. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. I. lib.* 2. *cap.* 103. *n.* 10. Eligebatur vero

(f) Impuberes, immo infantes, ecclesiasticis officiis instituendi a parentibus ecclesiae oblati primum vestem clericalem sine ordine aliquo videntur accepisse; (nec enim per aetatem ostiarii aut lectoris officio fungi poterant) idque ne prorsus saeculares & profani viderentur. Longo post tempore quod in pueris fiebat propter aetatis infirmitatem, in aetate valentibus vsurpatum est, sensimque tonsura velut quidam ordo ab aliis separatus omnibus collata est. V. Morin. *de sacr. ordinat. par. III. exerc.* 15. *cap.* 3.

vero in primicerium vnus ex clericis inferioribus, & in ecclesia Romana *notariorum primicerius* (erant notarii clerici magnae auctoritatis ex hypodiaconis ferme adsumti) etiam omnium clericorum princeps erat. Successu temporis etiam diaconis praefuerunt primicerii, *cap. vn. ex. de off. primicerii*, & absente episcopo archidiaconus, archipresbyter & primicerius regere solebant ecclesiam.

CAPVT XX.

De canonicis.

§. I. VOx *canonici*, qua olim veniebant clerici omnes, vtpote qui in *canone* seu ecclesiae matricula erant inscripti, mediis saeculis ad eos tantum clericos restricta est, qui in commune & secundum propriam regulam viuerent. Hoc sensu canonicos tempore Pipini primus Chrodogangus episcopus Metensis instituit. Vixit quidem Augustinus vitam communem cum clericis suis; at Augustiniani clerici praeter euangelium nullam aliam regulam habebant, quod recte Thomassinus *de vet. & noua eccles. discipl. par. I. lib. 3. cap.* 4. obseruat. Nihil melius esse vidit Chrodogangus ad clericalis vitae emendationem, quam clericos nullis nuncupatis votis in vnam societatem sub certa regula adunare. Hoc vitae genus auide admiserunt ecclesiae, & Carolus M. & Ludouicus Pius promouerunt; synodus vero Aquisgranensis anno ↀCCCXVI. ad institutionem vitae canonicalis regulam edidit pleniorem.

§. II. Ita nati & breui propagati proprie sic dicti canonici, qui pro diuersa ecclesiarum conditione vel sub episcopo, vel sub praeposito, vel sub abbate agebant. Et quoniam vitam viuebant communem, omnium vestis vna, domus vna, mensa vna: omnes seruiebant ecclesiae. Vitam vero profitebantur canonicam *obseruantia ordinis*, non sollemni professione: quin nec omnem eiurabant proprietatem, quando ipsa regula aliquid proprii eos habe-

re

re permittebat, conc. Aquisgr. *can. CXV.* Hinc canonici diuersi erant a monachis, qui ferme erant laici, & sollemni vitae monasticae & trium votorum professione monachi fiebant.

§. III. Feliciter in promouenda communi clericorum vita cesserunt episcoporum & principum curae; at hoc sanctum institutum non diu stetit. Canonici enim bonis aucti in summa saeculi decimi confusione vitam communem relinquere coeperunt, non quidem ecclesiae auctoritate, sed desidia episcoporum & sua ipsorum cupiditate. Et ita vnius ferme saeculi spatio paene in omnibus ecclesiis vita communis clericorum defecit, quod Iuo Carnotensis *ep. LX.* testatur. In saeculum autem reuersi canonici omni vitiorum genere seipsos conspurcarunt, euaseruntque ipsis laicis peiores. Espen. *part. I. tit.7. cap.3.*

§. IV. Interim non defuere viri ecclesiae bono nati, qui lapsam canonicam vitam instaurandam susceperunt. Saeculo vndecimo in Italia tantum opus adgressus est Petrus Damianus, in Gallia Iuo Carnotensis. Verum novi isti canonici votis monasticis adstricti sunt, & sub regula Augustini inclaruerunt: quo nomine proprietatis abdicatio videtur indigitata; nam alioquin constat, Augustinum nullam specialem regulam clericis dedisse suis. Thomass. *de veteri & noua eccles. discipl. par. I. lib. 3. cap.11.* Ita distat inter antiquos & nouos canonicos, nam illi ex canonibus Aquisgranensibus aliquid proprii habere poterant, non item isti. Atque ex hoc demum tempore duplicis generis fuere canonici, *regulares* nempe, & *saeculares*, quorum illi sub praeposito communem vitam & votis adstrictam agunt, hi vero propriis reditibus aucti seorsum viuunt, seruantque canonicum institutum, quatenus patitur vita singularis (*a*).

§. V. Iam vbi ad saeculum canonici saeculares redierunt,

(a) Non itaque *canonici saeculares* ita vocantur, quod ad saeculi mores viuere possunt, sed vt a regularibus distinguantur. Et ita acceptae voces *canonicus regularis* tautologiam non continent, vt nec *canonicus saecularis* contradictionem habet in adiecto; vtique ex vsu loquendi.

runt, quaecumque ex vita communi oriebantur, immutari necesse fuit. Relicta ergo claustra, communia dormitoria, vestis & mensa non amplius communes. Vniversa bona inter canonicos tributa, & singulis officiis addicta, quae portiones non secus ac in vita communi *praebendae* dictae sunt. Sed non desierunt canonici saeculares vnum corpus componere, non adeo tamen arctum ac in vita communi. Canonicorum collegium *capituli* nomine venire solet. Et quoniam canonici vel sunt in cathedralibus, vel aliis inferioribus ecclesiis; hinc capitula duplicis generis sunt, alia ecclesiae cathedralis, alia ecclesiarum collegiatarum. Habent vero capitula praepositos suos, qui in multis ecclesiis decani sunt.

§. VI. Ex canonicis alii merum canonicatum, alii obtinent dignitatem. Inter dignitates censentur archidiaconi, praepositi, decani, archipresbyteri, primicerii, cantores, similes. Dignitas generatim est quaedam amplitudo, quae merita consequitur & potestatem: at in hac caussa venit beneficium, cui cum praeeminentia adhaeret etiam iurisdictio. Stante vita communi officia canonicorum erant merae delegationes, quae nullam propriam habebant iurisdictionem. Espen. *par. II. tit.* 18. *cap.* 2. At excussa vita communi merae illae delegationes episcoporum negligentia & canonicorum ambitione perpetuae & propriae euaserunt. Ita in capitulis primum dignitates exortae, inde in nouis capitulis fundatione fuerunt institutae. Variant autem in numero & ordine dignitatum ecclesiarum mores: quin moribus praesentibus iurisdictio dignitatum ferme defecit, iisque tantum in choro digniora loca competunt; & hinc canonistis *ventosae* & *inanes* audiunt. Fagnan. *ad cap.* ad haec *ex. de praebend.*

§. VII. Quod vero spectat ad canonicorum officia, ea vel sunt singulorum propria, vel omnibus communia. Vnusquisque canonicus tenetur fungi ministerio ordinis praebendae suae addicti, aliudue proprium explicare officium, cuius ratione vel decani, vel cantoris nomen inter canonicos sustinet. Omnes vero canonici tenentur ad vitae integritatem, castitatem & litterarum studia; haec enim omnia non ex communi vita, quam reliquerunt, proficiscuntur, sed clericorum officiis sunt intrinseca. I-

tem

tem canonici omnes tenentur ad horarum canonicarum recitationem, quae etiam ex natura clericatus deriuatur; adsiduis enim orationibus clerici vacare debent. Et hinc etiam post abiectam communem vitam ecclesia canonicis inculcat, *vt in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reuerenter, distincte deuoteque laudent.* Trident. *sess. XXIV. de ref. cap.* 12.

§. VIII. Vt vero labiorum sacrificium rite canonici obirent, *distributiones quotidianas* ecclesia instituit, hoc est certas specierum vel pecuniae praestationes, quae statis horis addictae, cedunt solis canonicis, qui horis canonicis intersunt. Primus Iuo Carnotensis quotidianas distributiones instituit, sed deinceps aliae ecclesiae eas receperunt, intermissasque restitui statuerunt Tridentini patres *sess. XXII. de ref. cap.* 3. Pane autem instituto quotidiano psalmodiam ecclesia promotum iuit, vt ad quas horas *panis interni refectio non mouebat, panis corporei refectio prouocaret*, vt loquitur Iuo Carnotensis (*b*): iure enim verendum erat, ne canonici ad saeculum reuersi & bonis aucti sollemnem etiam psalmodiam abiicerent. Et hinc distributionum hoc est ingenium, vt praesentibus in choro tantum accrescant, & pro ea parte, qua praesentes sunt.

§. IX. Omnes autem canonici in ecclesiis suis debent immorari; nec enim alias muneri suo possunt satisfacere, Trident. *sess. XXIV. de ref. cap.* 12., vbi nulli canonico per-

(b) Ecclesia institutione quotidianarum distributionum imitata videtur piae matris exemplum, quae suorum filiorum infirmitati cedens, eos qua demum cumque ratione impellit ad officium. Certe a mente ecclesiae alienum est, vt canonici tantum status horas frequentent ad lucrandas distributiones. Nempe voluntarie & ex corde puro offerri debet laudis sacrificium, & superstitiosus est cultus propter temporalia Deo exhibitus. Itaque si quae ex statis horis proueniunt temporalia, ea tamquam medium vitae sustentandae canonici habere debent, alias paratissimi Deo gratis deseruire. Quamuis, quae est hominum malitia, canonici plerumque ad lucrandas distributiones quotidianas frequentent statas horas, alias non frequentaturi.

permittitur vltra tres menses quolibet anno propriam ecclesiam relinquere. Quo canone non arbitrio canonicorum datur, vt quotannis tribus mensibus possint abesse; sed eorum conscientiae committitur, vt ex honestis caussis absque superioris venia pro eo tempore absint, Deo tantum absentiae suae rationes redditurі; nec enim veri speciem habet, voluisse synodum genio canonicorum indulgere. Espen *par. I. tit. 7. cap. 9.* At licet canonicis vltra tres menses abesse ex iusta caussa, veluti si absint propter episcopi seruitium ea curaturi, quae spectant ad ecclesiam, *cap. 7. ex. de clericis non residentib.*, modo non sint vltra duos, *cap. XV. ex. eod.*; aut si ex episcopi venia absint theologiae & sacris canonibus in aliquo probato gymnasio operam daturi, *cap. fin. ex. de magistris*, *cap. 12. ex de cleric. non residentibus*. Ex iustis caussis absentes praebendarum fructus faciunt suos, at non exigunt distributiones, quae tantum in choro praesentibus accrescunt, *cap. vn. de cleric. non residentib. in 6.*

§. X. Negotia ad canonicos pertinentia in capitulo, hoc est in collegio canonicorum, sunt expedienda. Sunt autem capitula vel *legitima*, vel *indicta*, quorum illa statis certisque diebus habentur, haec vero pro re nata indicuntur. Suffragium in capitulo canonici habent sacris ordinibus initiati, *Clement. 2. de aetat. & qualit. praefic.* Indicitur autem capitulum a decano, aut alio canonicorum principe, idque consueto campanae signo; modo absentes vocandi non sint, quos litteris vel nuntio aduocare oportet. Etenim qui suffragii ius habent, etiam absentes in eadem prouincia vocari debent, adeo vt si vnus ex iis, qui suffragium habent, siue praesens, siue absens non vocetur, instantia sua capituli actum nullum reddat, *cap. 38. ex. de elect.* Absentes vero ex legitima caussa vices suas vni, aut pluribus canonicis in solidum committere possunt, quorum primi occupantis potior erit conditio; & si omnes simul concurrant, vnus a capitulo electus, aut capitulo non conueniente, primus in scriptura nominatus suffragium feret, *cap. 42. ex. de electione*, & *cap. 47. eod. in 6.* Coactis inde canonicis negotium expediendum proponitur, habitoque de more tractatu, feruntur suffragia, quibus omnibus simul collatis *ex maio-*

ri

ri & saniori parte capituli concluditur, *cap. 1. & 4. ex. de his, quae fiunt a maiori parte capituli*. Sed receptis moribus tantum maior pars attenditur, nisi speciali lege aut fundatione aliud caueatur.

§. XI. Inter collegia canonicorum eminet collegium ecclesiae cathedralis, quod in noua disciplina senatum ecclesiae constituit. Per plura saecula presbyteri & diaconi vrbis presbyterium constituerunt, in quo negotia ecclesiastica tractabantur. At inde instituta canonicorum communi vita, clerici domus episcopalis strictius episcopo adhaeserunt, eosque in regenda ecclesia episcopi adhibuerunt in consilium: quam praerogatiuam relicta communi vita canonici isti, quod essent ceteris ditiores & honoratiores, non amiserunt. Ita factum, vt vnum corpus excluso reliquo clero soli canonici ecclesiae cathedralis cum capite episcopo constituerent, nouique huius senatus auctoritate negotia ecclesiastica tractarentur: quae disciplina ab Alexandro III. proponitur, *cap. 4. ex. de his, quae fiunt a prael. sine cons. capituli*. Sed lapsu temporis multum dissociata est vnitas capitis & membrorum: & hinc invaluit, vt pleraque negotia a solo episcopo pendeant, alia consensum, alia tantum consilium capituli requirant: qua de re plura habent interpretes (*c*).

§. XII. Potestas capituli ecclesiae cathedralis sede vacante summa est. Antiquis moribus vacans ecclesia a clero regebatur: & inde clerici Romani, qui mortuo Fabiano pontifice ecclesiam administrabant, se *praepositos* dixerunt, *ep. III. al.VIII. ad cler. Carthag. inter Cyprian.* At inde in Occidente instituti sunt *interuentores* seu *visitatores*, qui erant episcopi a metropolitano ad ecclesias vacantes missi, vt electionem noui episcopi promouerent & dirigerent, interim vero eas administrarent, *can. 16. & 19. D.61.* Ita auctoritas cleri in regenda ecclesia vacante

(c) Interpretes requirunt capituli consensum in caussis, quarum capituli interest, *cap. vlt. ex. de his, quae fiunt a praelato sine cons. capituli*, in alienandis rebus ecclesiasticis, *cap.8. & seq. ex. eod.*, & in coniungendis ecclesiis & beneficiis, *Clement. vnic. de reb. eccles. non alienand.*

cante oblanguit, donec tandem abolitis interuentoribus iterum restituta est. Exercet autem capitulum ecclesiae cathedralis sede vacante propriam iurisdictionem: & antiqua potius presbyterii auctoritas reuiuiscit, quam aliquid de nouo accedit.

§. XIII. Origine sua ecclesiae vacantis regimen ad vniuersum capitulum, in quod senatus ecclesiastici potestas transfusa est, spectat. Verum vt eo melius vacans ecclesia administretur, (segnius administrant commissa negotia plures) statuerunt Tridentini patres *sess. XXIV. de ref. cap.* 16., vt capitulum sede vacante, si cura temporalium ad ipsum pertineat, vnum aut duos eligat oeconomos, qui interim mensam episcopalem procurent; & ad explicandam iurisdictionem infra octo dies vicarium seu officialem constituat, aut existentem confirmet, qui sit iuris canonici peritus, vel alias idoneus; alias capitulo negligente vicarii deputatio ad metropolitanum deuoluatur; & si ecclesia vacans metropolitana fuerit, aut exemta, tum antiquior episcopus suffraganeus in metropolitana, & propinquior episcopus in exemta oeconomum & vicarium idoneos possint constituere. Vicario electo adhuc capitulum remanet ecclesiae rector, tantumque exercitium iurisdictionis in vicarium deuoluitur. Espen. *par. I. tit.* 9. *cap.* 4. Sed vicarius & oeconomus regiminis & procurationis suae episcopo poscenti rationem reddent, etsi a capitulo absoluti & liberati sint.

§. XIV. Multa vero sunt, quae dum vacat ecclesia, capitulum eiusue vicarius non facit, vel quod non habet, vel quod canones eius potestatem intra modum coërcent. Non facit, quae sunt ordinis episcopalis, *cap. vn. ne sede vacante in* 6., licet ad explicanda pontificalia recte exteros episcopos aduocet: nec porro facit, quae ex mera pontificis delegatione episcopo competunt. Nihil quoque sede vacante capitulum potest innouare, nec de iuribus episcopalibus deminuere, *tit. decretalium ne sede vacante aliquid innouetur:* quod ex interregni natura dimanat, in quo nihil innouant, nihil deminuunt, qui gubernant. Ita sede vacante aliquid alienare, beneficia vnire, aut diuidere capitulum prohibetur. Praeterea ex regulis Tridentinis quo primo anno sedes vacat, capitulum

lum coactos tantum beneficio iam adepto, vel mox adepturo, post annum vero omnes ad ordines suscipiendos dimittit. Trident. *sess.VII. de ref. cap.*10. Apud nos vero pactis conuentis in Benedictum XIV. & Carolum olim regem nostrum *cap.IV. n.*9. capitulum infra annum a sede vacante de adsensu pleni capituli secretis suffragiis expresso concedit tantum dimissorias ad tonsuram laicis beneficio mox recipiendo coactis, & clericis ad beneficium actu certum ordinem requirens praesentatis, modo vtrique ad episcopo defuncto ab ordinibus reiecti non sint; post annum vero de sacra congregationis concilii expressa venia ad ordines recipiendos dimittit. Demum capitulum sede vacante non confert beneficia, quorum libera collatio ad solum episcopum pertinet, *cap.* 2. *ex. ne sede vacante*; moram enim ferre potest collatio beneficiorum: & beneficiarii summo episcopi & ecclesiae iudicio sunt eligendi: quae germana huius iuris ratio videtur.

C A P V T XXI.

De irregularitatibus.

§. I. HActenus de singulis clericis eorumque propriis officiis disseruimus; nunc de iisdem tractationem instituemus generalem, quae omnibus communia complectatur, veluti irregularitates, electiones, ordinationes & omnibus communia officia. Nomine *irregularitatis* veniunt canonica impedimenta personalia (*a*), quae vetant quo minus quis ordinetur, aut si iam ordinatus sit, quo minus in susceptis ordinibus ministret. Scilicet inde vsque ab

(a) Personalia, inquam, impedimenta irregularitatis nomine veniunt, veluti si quis sit criminosus, digamus; nam si ex aliis caussis quis ordinari vetetur, veluti quod episcopus proprius non sit, aut quod tempora ordinationibus habendis apta non sint, nulla irregularitas intelligitur.

ab initio chriſtianae religionis eccleſia regulas condere coepit, quae qualitates & virtutes ordinandorum praeſcriberent, praeciperentque, quomodo clerici ipſi viuere deberent. Quibus qualitatibus deſtituti in veteri diſciplina *αλλοτριοι των κανονος alieni a canone* ſeu regula dicebantur: ſed iure nouo barbara voce *irregulares*, & qualitatum canonicarum defectus *irregularitas* audierunt (*b*).

§. II. Veteris eccleſiae patres ferme hac vna apoſtolica & generali regula, quae *irreprehenſibiles & ſine crimine* altaris miniſtros eſſe iubet, de irregularitate iudicaſſe videntur. Conc. Nicaen. *can. IX.* Sed labentibus annis vbi de veteri clericorum ſanctitate multum deceſſit; eccleſia veluti tempori & hominum infirmitati cedens, nonnulla crimina defectuſque adnotauit, in quibus poenitentia reſtituit quidem chriſtianos ſacramentorum communioni; at ſimul eos ad ordines ſuſcipiendos, aut ad ſuſceptorum ordinum vſum habiles non reddit. Hinc regula nouae diſciplinae, irregularitatem tantum in caſibus iure expreſſis contractam cenſeri, *cap.* 28. *de ſentent. excommunic. in 6.*

§. III. Qualitates, quarum defectus facit a canone alienos, vel ſunt animi, vel corporis, vel externae in ſaeculo conditionis. Ratione vitiorum animi a canone ſunt alieni omnes criminoſi, ſeu qui crimen aliquod admiſerunt: quae eſt regula apoſtolica, quae epiſcopos & diaconos irreprehenſibiles & ſine crimine eſſe iubet. Summa ſcilicet animi puritas in chriſtiano ſacerdote requiritur. Criminis vero nomine veniebant omnia grauia delicta poſt baptiſmum admiſſa (*c*), tam eccleſiaſtica, quam ciuilia, quae

(b) Primus Innocentius III. *irregularitatis* vocem videtur vſurpaſſe. V. Gonzalez *ad cap.* 4. *de clerico excomm.*

(c) Crimina ante baptiſmum admiſſa abſtergebantur vnda ſalutari, nec vlla ſupererat macula, quae regeneratos reprehenſibiles redderet. Verum ſi baptiſmo aliquid eccleſiae regulis contrarium ineſſet, macula iſta irregularitatem importabat; ſane *clinici*, hoc eſt in lecto & infirmitate baptizati, a canone erant alieni; eorum enim fides non erat ex inſtituto, niſi in hominum raritate eorum eſſet virtus eximia. Conc. Neocaeſar. *can.*

quae publicae subiiciebant poenitentiae : parumque interat, num palam, an clam admitterentur : lex enim ista conscientiam adficiebat, adeo vt qui criminis alicuius conscientia tenebatur, ipse sponte sua a Christi sacerdotio se debebat abstinere. Quin nec publica de crimine peracta poenitentia idoneum ad ordines faciebat, Siric. papa *ep.* 1. *ad Himer. Tarracon.*, nec semel amissum restituebat sacerdotium, *can.* 1. *9. &* 25. *D.* 50. Nimirum publica poenitentia abstergebat quidem crimina, at notam quamdam videtur reliquisse, quae praeteritorum criminum memoriam refricabat.

§.IV. Disciplina, quae criminosos omnes, etiam occultos, a canone excludebat, per decem & amplius saecula ferme stetit; at inde apud Latinos sensim mutata est, & ferme solis publicis criminibus irregularitas adhaesit. Saeculis septimo & octauo ingens erat clericorum criminosorum numerus, vt disciplinae rigor molliendus videretur. Ergo ex Isidori Mercatoris officina tres prodierunt epistolae, vna sub nomine Callisti I. ad episcopos Galliarum, altera Gregorii M. ad Secundinum, & tertia Isidori Hispalensis ad Massanum, *can.*14. *16. &* 28. *D.* 50., quibus contra generalem canonum regulam inculcatur, clericos in crimina lapsos post condignam poenitentiam ordinibus restituendos esse suis. In tanta sacrorum canonum & falsarum decretalium varietate distinctio excogitata est, qua canones ad publica crimina, decretales vero ad occulta referebantur. Thomassin. *de vet. & noua eccl. discipl. par. II. lib.* 1. *cap.* 60. Noua haec doctrina non statim vsu recepta est; sed tandem quum eam Gratianus post *can.* 23. *D.* 50. ad canones discordantes conciliandos probasset, sensim conualuit: atque ita recepta doctrina, clericos, quorum publica erant crimina, perpetuo ab ordinibus reiiciendos; contra, quorum crimina erant occulta, post peractam poenitentiam in propriis ordinibus posse permanere. V. Espen. *par. II. tit.* 10. *cap.* 6. Non tamen canones per omnia desueti, nam etiam in noua disciplina
sunt

can.XII. Ex eadem ratione apud haereticos tincti ferme ab ordinibus excludebantur. Innocent. I. *ep. XXII.*

ſunt crimina occulta, quae a canone excludunt. Trident. *ſeſ. XXIV. de ref. cap.* 1.

§. V. Verum enimuero ſecundum praeſentem diſciplinam publica crimina, praeſertim quae infamiam irrogant, itemque crimina etiam occulta, quae in iuris noui regulis exprimuntur, perpetuum a canone excludunt. Et quidem infamibus aditum ad ſacerdotium non patere, trita eſt noui iuris regula, *cap.* 87. *de reg. iur. in 6.* Infamia intelligitur, non tantum quae iure irrogatur, ſed & ea quae in facto conſiſtit, ſeu quae oritur ex vulgato crimine, etiamſi iudex ſententiam non tulerit. Itaque hoc nomine a canone ſunt alieni haeretici, ſchiſmatici, apoſtatae, & ii, quorum pater auuſque haeretici ſunt, vel haeretici deceſſerunt, *cap.* 15. *de haereticis in 6.*, item ſcenici, comoedi, foeneratores, ſeditioſi, publici concubini & eiuſdem generis alii.

§. VI. Item ſecundum praeſentem diſciplinam ea crimina a canone excludunt, quibus iure nouo irregularitatis nota inuritur, etiamſi occulta ſint, & nulla infamia notentur. Eiuſmodi in iure expreſſi crimінoſi ſunt baptiſmum iterantes, & qui palam baptiſmi iterationi miniſterium impenderint, *cap.* 2. *ex. de apoſtatis*: qui nec vocati, nec probati ad ordines furtim obrepſerint, *cap.* 1. *& ſeq. ex. de eo, qui furtiue ordinem ſuſcepit*: qui maiore excommunicatione vel alia cenſura obſtricti ordines ſuſceperint, vel ordinum iam ſuſceptorum officia exercuerint, *cap.*22. *ex. de ſententia excomm.*, *cap.*3. *ex. de clerico excomm. miniſtr.*, qui in ordine non ſuſcepto veluti ex officio & ſollemniter miniſtrauerit, *cap.*1. *& ſeq. ex. de clerico non ordinato miniſtrante:* clerici per ſaltum promoti, *cap. vn. ex. de clerico per ſaltum promoto*, itemque ſimoniaci & homicidae, *cap.*21. *ex. de accuſationib.* Quod ſi alia crimina aequalis aut maioris grauitatis admiſſa dicantur, ea tum irregularitatem inducere dicuntur, ſi in iure inueniantur expreſſa, nec valet ab vna expreſſa ſpecie ad aliam argumentatio, *cap.*18. *de ſent. excomm. in 6.*

§.VII. Inter crimina, quae hodie a canone excludunt, praecipuum eſt homicidium & illicita humani membri mutilatio, idque ſiue publice, ſiue occulte admittantur. Sunt vero irregulares non tantum homicidae voluntarii,

verum etiam qui non ex voluntate occidunt, modo rei vetitae, aut illicitae operam dederint, puta si clericus chirurgiam exerceat, & inde homo periisse dicatur. Quin si rei licitae opera detur, sed non ex debita diligentia, aut ex artis imperitia, & homicidium admittatur, etiam irregularitas intelligitur: quod de eo responsum est, qui puerum, quem instituebat, ita percussit, vt ex ea percussione exspirauerit, vel ex ea in infirmitatem inciderit, ex qua compertum fuit expirasse, *cap. 7 ex. de homicidio.* Item in veteri disciplina erant irregulares, qui ad iustam sui defensionem hominem occiderent, *can. 7. D. 50.*, adeo christianum sacerdotium a sanguine abhorret; at ex regula Clementis v., qui ad sui defensionem occidunt, irregulares non censentur, *Clement. vn. de homic.* Quod si homicidium omnino casu acciderit, & sine vlla culpa, nulla est irregularitas, *cap. 23. ex. de homicidio.*

§. VIII. Immites quoque, qui scilicet iudicia capitalia vmquam exercuerint, aut militiae cingulum susceperint, aut alias ad legitimam sanguinis effusionem aliqua ratione cooperati sint, veluti milites, iudices criminales, carnifices, accusatores, testes & scribae in caussa sanguinis, & generatim quotquot in cruentas exsecutiones concurrunt, a canone censentur alieni. Etenim non patitur christianorum mitissima disciplina, vt sacerdotio fungantur, qui vel iuste humanum sanguinem effuderint, vel alias in iudiciis criminalibus ad illius effusionem caussam aliquam praebuerint (*d*). Quin adeo mite est ingenium ecclesiae, vt non permittat, clericos in loco, vbi iudicium sanguinis exercetur, interesse, *cap. 9. ex. ne clerici vel monachi.* Nescio quid seueritatis contrahunt, quotquot cruentas exsecutiones inspectant (*e*).

§. IX.

(d) Apud gentes etiam religione & sacrorum ministerio indignum visum fuit, vt sacerdotes capitali iudicio homines damnarent. Et inde Titus imperator puras a sanguine manus servare intendens, pontificatum maximum accepit, ne scilicet alicuius morti subscribere cogeretur. Sueton. *in Tit. cap. IX.*

(e) Ea mansuetudine & humanitate christiani primis saeculis fuerunt, vt iussu magistratus admissa homicidia & gladiatorum spe-

§. IX. Verum moribus praesentibus non omnes, qui legitimae sanguinis effusioni concurrunt & caussam praebent, irregulares habentur. Sane episcopi, qui iurisdictionem criminalem habent, sine metu irregularitatis caussas criminales iudicibus suis committunt, *cap. fin. ne clerici vel monachi in 6.*: quod primus Bonifacius VIII. constituit, vt ecclesiae feuda & regalia possent retinere. Veteres certe episcopi potius pro reis apud magistratus intercedebant, quam eos ad iustitiae exsecutionem impellebant. Porro in noua disciplina a canone alieni non censentur clerici, qui sibi illatas persequuntur iniurias, & reos in capitalibus delictis ad iudices deferunt, modo expresse edicant, quod eos poena sanguinis affici non intendant: quod etiam Bonifacius VIII. constituit, ne alias clerici malitia laicorum, quae in clericos valde creuerat, passim caederentur & compilarentur, *cap. 2. de homic. in 6.* Item non censentur irregulares episcopi, qui clericos degradatos iudici saeculari tradunt puniendos, modo efficaciter intercedant, vt citra mortis periculum sententia moderetur, *cap. 27. ex. de verbor. significat.* (f). Et demum in multis ecclesiis non censentur irregulares testes & scribae in caussa sanguinis, quod remote tantum ad

 mortem

spectacula vel inspectare nefas ducerent. Tertull. *de spectacul.*, Athenagor. *in legat. pro christian.*, Lactant. *lib. VII. cap. 20.* Et qui quaeso homines ad humanitatem facti interesse poterant spectaculis, in quibus Romani ex principiis propriae ciuitatis ad bellum institutae ex aliorum miseria & sanguine immaniter effuso summam capiebant voluptatem? Inde christianae religionis apologistae refellebant ethnicorum calumnias, qui coenas Thyesteas christianis obiiciebant.

(f) Clerici per plura saecula a criminali magistratuum iurisdictione exemti non fuerunt. Hinc euenire non poterat, vt episcopi eos sponte sua magistratibus puniendos traderent. At inde inducta clericorum fere in omnibus criminibus a potestate magistratuum exemtione, necessitas ipsa coegit, vt episcopi traderent clericos degradatos magistratibus puniendos; idque ne crimina remanerent impunita, & ne quidquam de ecclesiastica immunitate decederet; creditumque fuit euitari irregularitatem efficaci proposita intercessione, ne ad sanguinem vsque procedatur.

mortem concurrunt. Nat. Alexander *theol. dogm. & mor. de sacram. ordinis cap. IV. art. 4.*

§. X. Animi quoque vitio a canone sunt alieni *digami*, seu plurium vxorum mariti: quod ex doctrina apostolica descendit: praecepit enim apostolus, episcopum & diaconum vnius vxoris esse virum, 1. *ad Timoth. III.* 2. & 12., non quod necessario vnius vxoris maritos altaris ministros esse vellet, sed quod ex iis eligi praeceperit, qui vnam vxorem haberent aut habuissent, si mariti ad sacerdotium promouerentur (*g*). Vna vero haec videtur fuisse ratio, cur apostolus & ex apostoli verbis antiquiores ecclesiae patres a canone digamos eiecerint, quod macula incontinentiae, quam praeseferebant secundae nuptiae, conspersi essent, quod Thomassinus *de vet. & noua eccles. discipl. par. II. lib.* 1. *cap.* 58. *n.* 8. adgnoscit. Quin ecclesia irregularitatem ab incontinentia manantem produxit longius, eosque a canone etiam eiecit, qui aliqua labe & infamia ex nuptiis redundante erant adspersi, etsi duas vxores non duxissent, quales viduae, repudiatae, meretricis, ancillae & scenicae mulieris mariti, *can. XVIII. apostol.* Nimirum ex eiusmodi nuptiis nota quaedam infamiae & incontinentiae in maritum redundabat.

§. XI. Ecclesia Graeca ex ratione incontinentiae irregularitatem digamorum metiri perrexit; at apud Latinos praesertim opera Augustini mystica quaedam ratio tamquam caussa irregularitatis digamorum excogitata est, nempe *defectus sacramenti*, quod digami pluribus acceptis vxoribus sacramentum coniunctionis Christum inter & ecclesiam (quod maxime in nuptiis sacerdotum erat demonstrandum) non exprimerent. August. *de bono coniug. cap. XVIII.*

(g) Chrysostomus & Theodoretus tenent, ex apostoli sententia tantum polygamos, seu qui plures simul vxores alebant, & diuortia facientes sacerdotio eiectos fuisse, non item digamos succedaneos, qui defuncta prima vxore alteram duxerant. Sed praevaluit sententia, quae habet, etiam eos, qui mortua prima vxore secundas nuptias contraxissent, ab apostolo indignos fuisse habitos, qui inter ecclesiae ministros censerentur: qua de re plura diximus *in comment. de iure canonico par. I. tit.* 21. §. 14.

XVIII. (*h*). Mystica haec ratio temporis decursu vtpote ab Augustino profecta conualuit, & deinceps ecclesia Latina ex defectu isto sacramenti irregularitatem digamorum metita est. Exprimitur vero sacramentum coniunctionis Christum inter & ecclesiam in vnius cum vna nuptiis, quae vsu corporis consummatae & perfectae sunt. Et hinc qui viduam a viro suo cognitam ducit, tamquam verus digamus a canone excluditur: contra non censetur irregularis, qui alterius viduam, sed non cognitam sibi copulauit, quod commistio carnis in plures diuisa sacramenti adimit rationem, *cap. 5. ex. de bigam. non ordinand.*

§. XII. Sed in multis speciebus, vbi vera digamia non deprehenditur, eam vel interpretati sunt, vel per similitudinem excogitarunt multi decretalium interpretes & rei moralis scriptores. Censentur digami ab interpretatione clerici sacris ordinibus initiati, qui secundas nuptias aut cum vidua matrimonium attentant, item qui cum vnica, sed ab alio corrupta, puta meretrice, nuptias contrahunt: hi enim omnes huiusmodi coniunctionibus repetendi matrimonii animum prodere visi sunt: atque ideo quasi per interpretationem digami, a canone censentur alieni (*i*). Di-

(h) Non conueniebat inter veteres, num is tamquam digamus ab altari esset remouendus, qui duas vxores ante baptismum, aut vnam ante, alteram post illius susceptionem duxisset. Graeci patres & ex Latinis Hieronymus constanter tenuerunt, non esse a canone alienum, quia baptismi vnda maculae omnes abstergebantur, *can. XVI. apostol.*, Hieronym. *apol. aduers. Rufin.* & *epist. LXXXIII. ad Ocean.* Contra Latini patres Ambrosius & Innocentius exclusum dixerunt ab altaris ministerio, quasi apostolus cuiuscumque generis digamos a sacerdotio prohiberet. Cui sententiae inde accessit Augustinus *de bono viduit. cap. XVIII.*, vbi ex mystica sacramenti ratione eum a canone facit alienum, qui vel duas ante, vel vnam ante, alteram post baptismum vxorem duxisset.

(i) Hos omnes vetus ecclesia a canone excludebat, non quidem quod digamos haberet, sed potius quod essent criminosi, aut reprehensione digni. At interpretes lapsa iam ecclesiastica disciplina, veras rationes non adsequentes, digamiam ab interpretatione excogitarunt, iisque fraudi videntur fuisse Innocentii

Digami vero a similitudine, atque ideo a canone alieni, dicuntur, qui in sacris ordinibus constituti, aut voto sollemni castitatis obstricti virgines sibi in matrimonium copulare audent: itemque qui cum virginibus Deo dicatis matrimonium attentant, ducta nempe a carnali ad spirituale matrimonium similitudine.

§. XIII. Propter animi vitium item alieni sunt a canone *inscii litterarum*. Conc. Tolet. IV. *can.* 19. Qui enim fieri potest, vt in cathedra doctrinae sedeat & doceat, qui ante non didicerit? Scientia autem, qua praediti sint oportet ad clerum promouendi, praecipue est sacrarum litterarum & canonum, & cuique gradui debet respondere. Episcoporum & presbyterorum debet esse omnium eminentissima. Et quia clerici minores in suis gradibus paullatim ad maiores ordines veluti manu ducuntur; hinc ex noua disciplina minoribus ordinibus initiandi saltem Latine scire debent, & ad primam tonsuram sufficit legendi & scribendi peritia.

§. XIV. Demum animi vitio irregulares censentur *neophyti*, hoc est nuper baptizati, 1. *ad Timoth. III.* 3. Pro humana conditione fit, vt recens in aliquam societatem adsciti intumescant, si statim ad summas eius euadant dignitates. Ita non generatim ab omnibus ordinibus, sed tantum a maioribus neophyti excluduntur. Conc. Nicaen. *can. II.*, Sardic. *can. X.* Quod si neophytorum aliquos vberior gratia illustret, etiam ad ipsum episcopatum promouentur. Censebantur christiani neophyti per annum a baptismo, & post *pascha annotinum* (quod festum recurrente anno a suscepto baptismo christiani solebant celebrare) neophyti esse desinebant. Chardon. *in hist. sacrament. lib. I. sect.* 1. *par* 2. *cap.* 11. Inde a multis saeculis, quod ab infantia datur baptismus, irregularitas neophytorum desueuit: & in praesenti disciplina iure neophytorum censentur laici, qui licet dudum baptizati, ab ipso tamen clericatu festinant ad summas in ecclesia dignitates.

§. XV.

---

111. verba, quibus docet, maioribus clericis, qui more nuptiali secundas mulieres sibi in contubernium adiunxerunt, *tamquam digamis* non licere veniam indulgere, *cap.* 4. *ex. de bigam.*

§. XV. Vitia quoque corporis a canone excludunt, sed quae sacro ministerio obeundo impares faciunt, aut alias horrori sunt adspicientibus, *cap.1. & vlt. ex. de corpore vitiatis*, *cap.2. ex. de clerico aegrot.* Distamus enim a veteris testamentis regulis, quae omnino corpore integros & sine macula sacerdotes & Leuitas esse iubebant. Levit. *cap. XXI. v.* 18. *seq.* Et hinc ex antiquissima disciplina claudi etiam ad episcopatum promoti sunt, modo alias essent idonei. Vitio corporis etiam censentur a canone alieni dementes, energumeni & epileptici. Conc. Tolet. XI. *can.* 13. (*k*) Verum si quis iam clericus epilepsia coepit laborare, non semper vsu ordinis debet prohiberi. V. Iuenin. *diss. de censur. quaest. VI. cap.* 1.

§. XVI. Inter corporis vitia, quae alienos faciunt a canone, censeri potest aetas immatura. Varia fuit ecclesiae disciplina de aetate ordinandorum, quam more suo Thomassinus illustrat: sed praesentibus ecclesiae Latinae regulis hypodiaconi anno aetatis vicesimo secundo, diaconi vicesimo tertio, & presbyteri vicesimo quinto initiantur, sufficitque annum esse incoeptum. Trident. *sess. XXII. de ref. cap.*12. Et prima tonsura & minores ordines pueris adhuc infirmi iudicii conferri non debent, iamque multi episcopi ex mente synodi Tridentinae statuerunt, pueros ante decimum quartum aut certe decimum secundum aetatis annum prima tonsura non initiari. V.Nat.Alexand. *theolog. lib.II. de sacram. ordinis cap.*3. Apud nos vero prima tonsura ante decimum tertium aetatis annum non datur, nisi quis ad eam ratione beneficii ecclesiastici obtinendi, quod reditu saltem patrimonii dimidium exaequet, adigatur: quod pactis conuentis inter Benedictum XIV. & Carolum olim regem nostrum *cap. III. n.* 1. comprehensum est.

§. XVII. Externa demum conditio in saeculo & exercita

(k) Videntur Toletani patres epilepticos cum energumenis seu daemoniacis confudisse, quasi epileptici iidem essent ac energumeni: quam doctrinam videntur ex euangelio hausisse, vbi exitiales quaedam corporis aegritudines & epilepsia malignorum spirituum adflatui, quin & insinuationi imputantur. V. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par.II. lib.1. cap.79.* §.4.

ercita munera a canone faciunt alienos. Scilicet non omnis conditio in ciuitate cum clericorum officiis bene conuenit. Itaque ferui funt irregulares, nifi domini eos manumittant, aut earum ordinationi confentiant, *can. LXXXII. apoft.*, item milites, etiam poftquam militia foluti fint, Innoc. I. *epift.XXIII. cap.6.*, & generaliter omnes, qui officia publica reddendis rationibus obnoxia exercent, quales tutores, curatores aliique publicis adminiftrationibus implicati, quos ante redditas rationes ordinari canones vetant, ne ecclefià infametur. Conc. Carthag. I. *can.* 8., Gregor. M. *lib.II. epift.* 62., *cap.* I. *ex. de oblig. ad ratiocinia.* (*l*).

§. XVIII. Porro ratione fimplicis in faeculo conditionis extra nuptias quaefiti a canone funt alieni. Olim illegitimos, modo alias digni effent, a clericatu ecclefia non reiecit: quod patrum dictis Gratianus probat *D.LVI.* Sed lapfu temporis in fumma clericorum incontinentia, qui filios fuos ex concubinis fufceptos altaribus admouebant, ecclefia illegitimos irregulares fecit, *can.* I. *cit. D.* 56., *cap.*I. *ex. de filiis presbyterorum*, vt ita parentum comprimeretur incontinentia, & ab ecclefia tollerentur fucceffiones.

(l) Ratione externae conditionis in ciuitate fecundum veterem difciplinam alieni a canone erant decuriones, alias *curiales* dicti, qui curiam feu fenatum ciuitatum inferiorum componebant, cuius muneribus & expenfis vna cum facultatibus fuis perpetuo erant obnoxii, atque ideo fuae ciuitatis quodammodo fervi. Quo fiebat, vt decurionum conditio & clericatus fibi inuicem obftarent, quod diuerfa & perpetua effent vtriufque conditionis officia. Primus Conftantinus M. decuriones ordinari vetuit, *L.*3. *C. Th. de epifcopis*, idque a fequentibus imperatoribus faepe repetitum eft, & ab ecclefia fuis canonibus confirmatum. V. Bingham. *orig. ecclef. lib.IV. cap.* 4. §.4. Facultates vero idoneae ad conditionem curialem ad tercentum folidos adfcendebant: quam fummam qui poffidebant, etiam inter clericos cooptari prohibebantur. Itaque in veteri difciplina tantum *fortuna tenues*, vt loquitur Conftantinus *cit. L.* 3., poterant clericorum confortio fociari. Sed deinceps mutata ciuitatum externa politia, decuriones effe defierunt, liberumque fuit diuitibus chriftiano facerdotio dedicari.

ſiones. Sed ſi illegitimi *aut monachi fiant*, *vel in congregatione canonica regulariter viuant*, pro ſacris ordinibus, non vero pro praelaturis ceſſat impedimentum, *cit. cap.* 1.

§. XIX. Effectus iam contractae irregularitatis proprius eſt, vt directe & primario ordinum ſuſceptionem & eorum iam ſuſceptorum vſum impediat, & quidem in totum & aliquando etiam ex parte, prout in iis ſacris canonibus cautum reperitur. Sane aliquando irregularitas tantum ad maiores ordines aditum praecludebat, non item ad minores. Conc. Toletan. I. *can.* 3. 4. & 8. Et aliquando cadebant ordine ſuo irregulares, & in inferiorem gradum, in quo miniſtrare non vetabantur, recidebant, conc. Nicaen. *can. VIII.*, Toletan. IV. *can.* 4. idque *regradari* dicebatur vocabulo a militia deſumto, vbi regradari dicebantur milites, qui in inferiorem militiae gradum deiiciebantur. Ordinum vero ſuſceptionem aut eorumdem vſum irregularitas proprie & directe impedit, quatenus ſcilicet ſunt ordines, aut eorumdem proprie ſic dictae functiones. Quo ex regulis nouae diſciplinae irregularitates a cenſuris diſtare dicuntur (*m*). V. Eſpen. *par. II. tit.* 10. *cap.* 1.

§. XX. Quocumque tandem modo naſcantur irregularitates, fere tolli poſſunt vel ipſo iure, vel ſuperioris indulgentia. Quae ex temporario & extrinſeco vitio ſunt, quales ex defectu aetatis, ſcientiae, libertatis, ſublato vitio ſtatim deſinunt. Sed irregularitates, quae ex perpetuo vitio ſunt, ſola indulgentia tolluntur. Auctoritas canones relaxandi in cauſſa irregularitatis olim erat apud epiſcopos & prouinciae ſynodum; at ex noua diſciplina in pontifices translata eſt; tantumque in caſibus iure expreſſis licet epiſcopis veniam a canone alienis indulgere. Ita epiſcopi indulgentiam concedunt illegitimis, ſed tantum ad

(m) Nimirum cenſura ordinum ſuſceptionem & eorum iam ſuſceptorum vſum tantum indirecte impedit & veluti per conſequentiam. Vt ecce excommunicatio impedit ordinum functiones, quatenus ſpecies quaedam eccleſiaſticae communionis ſunt: ſuſpenſio quatenus ſunt officia a clericis exercenda: & interdictum quatenus ſunt ſacramentorum vſus.

ad minores ordines & ſimplicia beneficia, *cap. I. de filiis presbyter. in 6.*; item veniam dare poſſunt in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto, excepta ea, quae eſt ex homicidio voluntario, exceptiſque aliis apud iudicem deductis. Trident. *ſeſ. XXIV. de ref. cap. 6.* Verum non in omnibus irregularitatibus licet veniam indulgere, in homicidio enim voluntario venia dari non ſolet: & locus non eſt veniae, vbi aliquis animi vel corporis vitio omnino impar eſt ad ordinum functiones, aut alias ad ordines omnino inhabilis eſt. Et in caſibus, vbi licita eſt indulgentia, iuſta cauſſa requiritur.

CAPVT XXII.

De ſacrorum miniſtrorum electione.

§. I. SVmma cura & diligentia adhibenda eſt, vt optimi quique & canonicis qualitatibus donati in clerum cooptentur. Hinc eccleſia multos ſeruauit praeſcripſitque modos, quibus de ordinandorum qualitatibus conſtaret. Ordinarius vero ſacros miniſtros eligendi modus electio fuit, quae propria notione eſt deſignatio idoneae perſonae plurium ſuffragiis ex regulis canonicis peracta. Inde vſque ab apoſtolis per plura ſaecula nedum epiſcopi, ſed etiam presbyteri & ipſi inferiores clerici cleri & populi ſuffragiis deſignari conſueuerunt. Tertull. *apol. cap. XXXIX.*, Cyprian. *ep. LXXIII. edit. Rigaltii (a).* Spe-

(a) Num in clericorum electionibus populus tamquam iudex verum ſuffragium laturus conuenerit, an tantum ad bonum electae parti dandum teſtimonium, magnis animis inter doctos controuertitur. Sed magis eſt, populum in electionibus non verum ſuffragium habuiſſe, ſed tantum conueniſſe ad merita detegenda, & ne epiſcopus daretur inuitis. Sane Tertullianus *apolog. cap. XXXIX.* teſtatur, epiſcopos tantum honorem populi *teſtimonio* adeptos fuiſſe. Et Origenes *hom. VI. in Leuit.* populi

Spectabat haec disciplina, vt optimi quique eligerentur, (nec enim hominum vitia omnibus latere possunt) & ne episcopus daretur inuitis. Ergo ad eligendos episcopos & populus & metropolitanus & prouinciae episcopi in ecclesiam vacantem conueniebant: ille vota & testimonia daturus (b): hi vero iudicaturi & electum consecraturi.

§. II. Modus iste suffragiis & votis totius ecclesiae sacerdotia conferendi sanctus erat; at vbi ecclesia a persecutionibus libera diuitiis & honoribus creuit, hominum malitia in turbas & factiones degenerauit (c). Eiusmodi tumultus & factiones semper ecclesia odio habuit. Exortis vero dissidiis metropolitanus & episcopi debebant populum docere non sequi, *can.* 2. *D.* 62.: atque ideo eum praeferre, qui maioribus studiis & meritis iuuabatur, *can.* 36. *D.* 63., aut aliquem non expetitum, meritis tamen clarum in episcopum inflatae plebi offerre & ordinare. Sidon. Apollin. *lib. IV. ep.* 25.

§.III. Quod vero turbis & populi factionibus electiones episcoporum saepe in longum differri solerent, incommodumque esset metropolitanum & episcopos prouinciae diu in ecclesia vacante immorari; in ecclesiis Occidentis institutus

populi praesentiam adhibitam scribit, vt constaret optimos quosque ad sacerdotia promoueri. Et Cyprianus *ep.LXVIII.* ait, episcopum *eligi plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime nouit.* Sed labentibus annis praesertim in Occidente populi testimonia maiorem vim videntur habuisse.

(b) Si omnes vnanimes erant, aliquem dignum vel indignum existimantes, tum sententiam suam vniuersali acclamatione declarare solebant; vna omnes voce clamantes, *ἄξιος dignus*, vel *ἀνάξιος indignus:* & simul manus extendebant. Quo factum, vt electiones apud veteres saepe *χειροτονίας eleuationis manus* nomine dicantur.

(c) Certe Chrysostomus *de sacerd. lib. III. cap.* 15. conuentus cleri & populi ad eligendos episcopos tamquam meras turbas & contentiones describit. Sane haereses, quarum in vna ecclesia plures & diuersi erant fautores, candidatorum ambitus, & inconstans iudicium plebis, quae sibi similem appetit sacerdotem, saepe turbarunt electiones, & praesertim in amplioribus ecclesiis aliquando sanguine effuso polluerunt sanctuarium.

ſtitutus fuit epiſcopus *interuentor* ſeu *viſitator*, qui a metropolitano curam & cuſtodiam eccleſiae vacantis interim accipiebat, & electionis negotium procurabat, *can.* 16. *&* 19. *D.* 61. Ita vbi inter eligentes de certa perſona conueniebat, electionis fiebat decretum, quod ab ipſo interuentore & eligentibus ſubſcriptum ad metropolitanum pro confirmatione mittebatur. Viſitator vero non vltra annum poterat officium continuare, nec ei licebat populi ſtudiis ad ſibi commendatam eccleſiam adſpirare, *can.* 22. C. 17. *q.* 1.

§. IV. Populares electiones diu in vtraque eccleſia ſteterunt, ſed tandem ceſſarunt, praecipuamque ceſſationis cauſſam factiones & ſeditiones videntur dediſſe. In primis Iuſtinianus *nouel.CXXIII. cap.*1. *&* *nouel.CXXVII. cap.* 2. plebem ab electionibus penitus excluſit, eaſque clericis & optimatibus dedit, ita tamen vt tres eligerent, ex quibus metropolitanus ordinaret digniorem: & ſi tres tantae dignitati pares non occurrerent, permiſit, vt duos, quin & vnum eligerent: qui eligendi modus vſu eccleſiarum non videtur receptus. Inde ſynodi ſeptima & octaua generales clerum & populum vniuerſum ſuffragio ſpoliarunt, electioneſque epiſcoporum metropolitano & prouinciae epiſcopis dederunt. Conc.VII. *can.*3., conc.VIII. *can.*22. Ita decretis eccleſiae ſaeculo nono in Oriente populi ſuffragia in conſtituendis epiſcopis ceſſarunt, totumque electionis negotium metropolitano & prouinciae epiſcopis ceſſit.

§. V. Verum in Occidentis eccleſiis cleri & populi ſuffragia in eligendis epiſcopis, licet nominationibus & codicillis regiis ſaepe impedita, etiam poſt ſeptimae & octauae ſynodi canones ſteterunt: quin ſaeculo decimo ſecundo etiam epiſcopi a populo electi inueniuntur: quod ex S Bernardo *epiſt.XII. &* *XVII.* conſtat. At hoc ipſo ſaeculo etiam in eccleſiis Occidentis ceſſarunt populares epiſcoporum electiones: & ſummi pontificis electio ad ſolos cardinales, epiſcoporum vero ad collegia canonicorum eccleſiarum cathedralium deuoluta eſt. Et longo ante tempore ceſſauerant populares electiones in cooptandis presbyteris aliiſque clericis inferioribus, eorumque loco ſucceſſerunt ad populum denuntiationes, quibus cuique imponitur, vt manifeſtet, quae nouerit, impedimenta:

quae

quae disciplina in *Ordine Romano* proponitur, & praesentibus moribus obtinet.

§. VI. Deuolutis ad collegia canonicorum ecclesiarum cathedralium electionibus episcoporum multi prodierunt canones & pontificum decretales, quibus formae & sollemnitates electionis a capitulis celebrandae constituuntur, & exortae deciduntur controuersiae. Electionis formae plures esse possunt, sed in eligendis praelatis, quorum morte viduae & sine pastore censentur ecclesiae, iure decretalium tres sunt, *scrutinium*, *compromissum*, & diuinitus facta *inspiratio*, *cap.* quia propter 42. *ex. de elect.*

§. VII. Et scrutinium quidem modus eligendi ordinarius est, ita dictus a scrutatione siue diligenti suffragiorum inuestigatione. Celebratur scrutinium si praesentibus omnibus, qui debent, volunt & commode possunt interesse, tres de collegio fide digni scrutatores electione nullis sollemnibus adstricta adsumuntur, qui ab omnibus etiam a se ipsis secrete & singillatim, & diligenter suffragia seu voce, seu schedulis exquirunt: quae mox in scripturam redacta in commune publicent, ita scilicet vt tantum numerum eligentium exprimant. Quo facto collatione habita ille censetur electus, *in quem vel omnes*, *vel maior* & *sanior pars capituli consentit*, *cap.*42. *ex. de elect.* Sed ne in rixas & turbas suffragiorum ponderatione euaderent electiones, moribus receptis ille censetur electus, in quem maior collegii pars consentit. Caballut. *theor. & prax. iur. canon. lib. II cap.*24. *n.*14.

§. VIII. Per compromissum electio celebratur, si nemine discrepante a capitulo designentur vnus vel plures idonei clerici, quibus facultas eligendi demandatur, *cap.*8. 30. *&* 42. *ex. de elect.* Electi compromissarii leges compromisso adiectas seruare tenentur, alias electio irrita erit, *cap.* 32. *ex eodem*; & si nullae expressae sint leges, eae censentur appositae, quae secundum canones omnibus electionibus insunt. Si in plures compromissum est, ille censetur electus, qui maiorem suffragiorum numerum meruit: in quo a scrutinio differt compromissum. Inductum est compromissum in electionibus, ne frequentibus inter eligentes dissensionibus, electiones in longum traherentur.

§. IX. Electio demum per inspirationem facta censetur,

tur, si suffragia omnia nullo praecedente speciali tractatu veluti a diuino spiritu excitata in vnam personam conveniant, *cap.* 42. *ex. de elect.* Hinc inspiratio nulla requirit sollemnia, nullam suffragiorum numerationem. Hac forma multi ex veteribus episcopis electi sunt: verum peccatis nostris inspirationes factae sunt rariores: nec hodie facile debent admitti, ne praetextu diuini impulsus, electionum regulis neglectis, aditus tumultuosis electionibus aperiatur. V. Espen. *par. II. tit.* 21. *cap.* 4.

§. X. Vna ex tribus formis etiam Romani pontifices eligendi sunt; at eorum electio multa habet peculiaria in eum finem inducta, vt celeriter & sine turbis episcopus omnium princeps constituatur. Et quidem electio pontificis facienda est a cardinalibus vno conclaui inclusis: in quod praesentes cardinales, vbi decem dies exspectauerint absentes, ingrediuntur, ibique habitare & certa ratione viuere debent, donec pontificem elegerint, *cap.*3. *de elect. in* 6., *Clement.* 2. *de elect.* Interim absentibus cardinalibus licet re integra conclaue ingredi, vt & egressis reuerti; at nondum ingressis, aut egressis in absentia nullum est suffragium. Item pontificis electio tum rata erit, si duae cardinalium partes in unum conueniant, *cap. 6. ex. de elect.* Nullus quoque ex cardinalibus etiam excommunicatus, suspensus, aut interdictus ab electione excluditur, vt omnis discordiarum vitetur occasio, *cit. Clement.* 2. Quin etiam vnus ex clericis non cardinalibus & alienigenis eligi potest in pontificem: quamuis ab Vrbano II. ad haec tempora semper ex cardinalibus electus fuerit.

§. XI. Quacumque vero forma electio celebretur, ante omnia praelato iusta persoluenda sunt, & inde ad electionem potest deueniri, *cap. 36. ex. de elect.* Hoc facto conuocandi omnes, qui sunt de capitulo, si suffragium habeant, itemque omnes, qui ex consuetudine suffragii ius sibi quaesiuerunt, *cap.*3. *ex. de caussa possess. & propriet.*, modo excommunicatione, aut alia censura obstricti non sint, *cap.*9. *ex. de consuetud.*, *cap.*39. *ex. de elect.* Vocandi vero sunt non tantum praesentes, sed & in eadem prouincia absentes, *cap.* 35. *ex. eod.* Absentes vero si ex iusta caussa venire impediantur, vni aut pluribus de capitulo in solidum vices suas possunt demandare, & ex consensu capituli

pituli etiam extraneum fibi in procuratorem conſtituunt. *cap.* 42. *ex. eod.*, *cap.* 46. *eod. in* 6. Quod ſi eligentium aliquot, immo & vnus non vocentur, electio nulla eſt, *cap.*36. *ex. eod.*, modo contemti contemtuſue reclamauerint, *cap.* 38. *ex. eod.*

§. XII. Facta vero conuocatione deinceps dicto die in eccleſia ipſa, cui paſtor praeficiendus eſt, aut alio loco conſueto, & quidem libere & palam electio celebrari debet, *cap.*42. §. *vlt. ex. de electione*, minus enim liberae & clandeſtinae electiones nomen electionis non merentur, vtpote quae ſpontanea voluntate & palam fieri debet. Vocantur electiones clandeſtinae, quae celandi animo in priuatis conuenticulis importuno loco & tempore celebrantur.

§. XIII. Porro electionis celebratio in longum differri non debet, ne ex diutina vacatione eccleſia damnum ſentiat. Iure veteri intra tres menſes electiones epiſcoporum debebant celebrari, niſi ineuitabilis neceſſitas differre electionem coëgiſſet, quod ſynodus Chalcedonenſis *can. XXV.* ſtatuit: quo trium menſium ſpatio etiam electus debebat conſecrari. Similiter iure decretalium electio epiſcopi & maiorum dignitatum regularium etiam trium menſium ſpatio facienda eſt, *cap.*41. *ex. de electione;* at neceſſe non eſt, vt hoc eodem tempore electus conſecretur. Si abſque legitima cauſſa tempore praeſcripto electio non fiat, eligentes pro ea vice cadunt electione, & paſtoris conſtitutio deuoluitur ad ſuperiorem, *cit. cap.* 41., quod eſt negligentiam praelatorum ſupplere.

§. XIV. Species electionis, ſed extraordinariae, iure decretalium *poſtulatio* cenſetur: quae eſt capituli petitio ad ſuperiorem directa, vt ex indulgentia eum in epiſcopatum aut dignitatem admittat, qui canonico vetatur impedimento, veluti ſi in epiſcopum poſtuletur triginta annis minor, aut alienae eccleſiae epiſcopus. Ergo in poſtulatione ante omnia celebratur electio, inde preces diriguntur ad ſuperiorem, vt per indulgentiam poſtulatum admittat. Si epiſcopi poſtulentur, ſuperior, qui veniam debet indulgere, eſt ſummus pontifex, *cap.*4. *ex. de poſtul. praelatorum;* proximi vero ſuperiores, ſi poſtulentur inferiores praelati. Quoniam vero a ſuperioris venia pen-

det admiſſio poſtulationis, poſtulatus ante impetratam veniam nullum ius adquirit, & re integra capitulum mutare ſententiam non vetatur.

§.XV. Poſt electionem celebratam electi oportet conſenſum exquirere, *cap.34. ex. de electione*; daturque vnius menſis ſpatium ab electione praeſentata, vt electus conſentiat; quo elapſo iure per electionem quaeſito cadit, *cap. 6. eod. in 6.* Electione ab electo admiſſa, electores amplius non poſſunt reſilire, *cap. 21. ex. eodem*, poteſtque electoribus etiam inuitis petere a ſuperiore electionis confirmationem. Interim vero electus vetatur adminiſtrationi eccleſiae ſe immiſcere, exceptis epiſcopis & abbatibus extra Italiam, qui a pontifice confirmari debent; ob locorum enim diſtantiam iis benigne indultum eſt, vt omnibus ſuffragiis electi interim eccleſias adminiſtrent, *cap. 44. ex. de elect.*, *cap. 5. eod. in 6.*

§. XVI. Penes capitula eccleſiarum cathedralium diu ſteterunt epiſcoporum electiones, at labentibus annis collationes paene omnium beneficiorum & electiones epiſcoporum in ſedem apoſtolicam deuolutae ſunt. Electionibus ad pontificem deuoluendis viam videntur muniiſſe frequentes inter eligentes electoſque diſcordiae ad ſupremum pontificis iudicium referri ſolitae, quibus decretales redundant. Primus Clemens v. ſuae collationi reſeruauit cathedrales eccleſias, quae apud Romanam curiam tempore ſui pontificatus vacarent, *extrauag.3. de praebend. in comm.* Inde idem pontifex collationi pontificiae addixit eccleſias, quae clero & populo chriſtiano carerent, *Clement.5. de elect.* Succeſſerunt alii pontifices in primis Benedictus XII., qui diſpoſitioni pontificis reſeruauit omnes parochiales, epiſcopales & archiepiſcopales eccleſias apud ſedem apoſtolicam quandocumque vacantes, *extrauag.13. de praeb. in comm.* Deinceps vero ſequentes pontifices ſuis cancellariae regulis generatim ſibi reſeruarunt eccleſias epiſcopales, quocumque loco vacarent.

§. XVII. Canonicae epiſcoporum electiones & beneficiorum collationes in pontificem translatae auxerunt quidem Romanae ſedis dignitatem, at ordinem in eccleſia receptum turbarunt, aliiſque incommodis viam aperuerunt. Hinc in ſynodo Conſtantienſi anno CIƆCCCCXIV. legati

gati

gati ecclesiae Gallicanae instanter petierunt, canonicas electiones collegiis canonicorum restitui. Sed synodus extinguendo schismati vnice intenta, articulum de episcoporum electionibus & beneficiorum reseruationibus futuro pontifici & synodo commisit; at inde electo Martino v. re infecta discessum. Itaque paucis post annis in synodo Basileensi exclamarunt episcopi, rescindi ecclesiarum & beneficiorum reseruationes. Et reapse synodus omnes pontificias ecclesiarum & beneficiorum reseruationes excidit, excepta ea, quae sexto decretalium libro inserta, pontifici reseruabat beneficia, quae in curia vacarent, itemque exceptis illis, quas pontifices in dominio temporali sedis apostolicae facere vellent. Conc. Basileen. *sess. XXII. & XXIII. cap. 5. & 6.*

§. XVIII. Decretum synodi Basileensis, quo ecclesiarum & beneficiorum reseruationes excisae sunt, lubens excepit ecclesia Gallicana: illud enim in comitiis Bituricensibus anno CIƆCCCCXXXVIII. probatum, mox regia auctoritate sub nomine *pragmaticae sanctionis* publicatum est. Ita in Gallia canonicae electiones & liberae beneficiorum collationes restitutae. Sed in aliis prouinciis decreta synodi Basileensis non pari veneratione excepta sunt, atque ideo reseruationes ecclesiarum & beneficiorum in statu suo perstiterunt. Interim pontifices aegre ferebant pragmaticam sanctionem: contra principes male habebat, sibi subditos canonicos electionibus excidisse, & ecclesiis suorum regnorum episcopos a pontifice pro arbitrio dari. Ergo pactis conuentis vel apostolicis indultis nominationes episcoporum vel regibus concessae, vel capitulis restitutae; at confirmationes pontificibus reseruatae.

CAPVT XXIII.

De regia in electiones episcoporum potestate.

§. I. Suffragiis populi, quibus eligebantur episcopi, principum consensus accedere debebat, quo non impetrato non poterant consecrari. Sunt principes reipublicae capita, & iura populi exercent vniuersa; ac proinde iure meritoque in episcoporum electionibus praecipuum summorum imperantium debet esse suffragium: quod ipsa ecclesia iustum & aequum esse vidit. *Vt cum voluntate Regis*, inquit synodus Aurelianensis v. anno IↃXLIX. celebrata *can. X.*, *iuxta electionem cleri & plebis, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, a metropolitano pontifex*, hoc est episcopus, *consecretur*. Id tamen verum est, initio christianos imperatores integras ferme electiones populo reliquisse (*a*); at sexto & sequentibus saeculis in Occidente sic inualuit regius adsensus, vt omnibus ferme electionibus adsentiri deberent (*b*).

§. II.

(a) Imperatores christiani aliquando populi electionibus se immiscuerunt, saltem si necessitas tuendae ecclesiasticae disciplinae, aut personae electae qualitas, aut subortae turbae imperium principis explicari postulabant.

(b) Et sane in multis Occidentis ecclesiis saeculis sexto & sequentibus regius adsensus veluti ordinario iure in omnibus ferme episcoporum & abbatum electionibus erat necessarius. Nouae per Europam ex ruinis Romani imperii constitutae & aliquando minus firmae dominationes id profecto postulabant, episcopos & abbates, quorum magna apud populos erat auctoritas, sine regum consensu non constitui. Eo quoque contulerunt feuda, quibus ex regum munificentia ecclesiae & monasteria aucta fuerunt: itemque mos in multis Europae regnis receptus adhibendi in regum consilia & reipublicae administrationem cum reliquis proceribus etiam episcopos. Scilicet necessarium visum est, feudorum administratores & reipublicae administros sine suffragio principum non creari.

§. II. Ipsa quoque summi pontificis electio etiam imperatoris consensu & confirmatione indigebat: cuius disciplinae primordia ad compescendos tumultus ex ipsorum pontificum admonitione vulgata sunt, *can.*1. *D.* 98. Deinceps a Gothis Italiae regibus aliquando pontifices electi sunt. Cassiod. *lib.VIII. ep.*15., Anastas. Biblioth. *in Silverio*. Sed vbi Italia, euerso per Narsetem Gothorum regno, iterum imperio Romano consolidata est, electio summi pontificis confirmationi imperatoris euasit obnoxia. Et ita inter pontificum electiones & consecrationes saepe morae interiectae longiores. Ea tempestate Romani pontificis auctoritas in Occidente summa erat: atque ideo interfuit imperatorum tam longe ab Italia degentium, neminem, quem ipsi non probassent, in pontificem ordinari. Sed a tempore Leonis Isauri imperatorius in pontificis electionem adsensus variam habuit fortunam: desiit tandem saeculo vndecimo, quum de inuestituris ardebant controuersiae: quod Ioannes Mabillonius *Mus. Ital. tom. I. par.* 2. *p.* 42. obseruat.

§. III. Consensus vero regius electioni episcoporum accedens non nuda erat caerimonia, sed potius ex caussis facta confirmatio, licebatque ideo regibus factam electionem expendere & ex caussis reiicere: quod etiam in pontificum electione imperatores faciebant. Ioan. Diac. *vit. Greg. M. lib.I. cap.*39. Caussae vero, quibus licebat regibus electiones excludere, erant illae ipsae, quae eas minus legitimas faciebant vel vitio personarum, vel electionis: eratque etiam inter caussas exclusionis, *si electus minus aptus esset seruitio Regis*. Quod vero ex caussis licebat regibus electiones reiicere, factum est, vt regius in factam electionem adsensus *concessio* vel *donatio* episcopatus diceretur. V. Christ. Lup. *diss. III. prooem. de regia antist. nominat. cap. 6.*

§. IV. Regia potestas, cuius adsensu probari debebant electiones, in Occidente vlterius processit, & ablata clero & populo electionum libertate codicillis suis episcopos designauit, quod ecclesia aegre tulit (*c*). Sane sub Merouingiis in

(c) Christiani imperatores ad turbas in electionibus frequentes

in Gallia & sub Wisigothis in Hispania principum diplomatis vt plurimum episcopi electi sunt (*d*). Et quamuis Carolus M. & Ludouicus Pius electiones populo restituerint, *can.* 34. *D.63.*, Hinc. Remen. *epist.XII. cap.3.*; tamen principes isti suas egressi leges, saepe episcopos nominarunt. Vsurpatae etiam regiae nominationes in Anglia & Germania: quin in Germania postquam in abusionem degenerarunt inuestiturae, episcopis & abbatibus dari solitae (*e*), electiones veluti iura regia habitae sunt. Sed Italiae ecclesiae sub Gothis & Longobardis principibus, praesertim quae a metropoli Romana pendebant, integram ferme electionum libertatem retinuerunt: quod Florus Magister *de elect. cap. VI.* testatur. Toto autem hoc tempore, quo in vsum abierant regiae episcoporum nominationes, principes de suo iure saepe remittebant, & vacantibus ecclesiis concedebant electiones (*f*).

§. V.

---

tes euitandas, aut consopiendas vel sponte, vel ab episcopis & populis interpellati saepe episcopos nominarunt. Deinceps quinto & sequentibus saeculis in Oriente electiones patriarcharum praesertim Constantinopolitani ab imperatoribus factae sunt: quae quando sine vi & ex ecclesiae vtilitate fiebant, ab ecclesia improbatae non sunt, Gregor. M. *lib. VI. epist.6.*, Nicol. I. *epist. ad Michael. III. imperator.*: quin potius petentibus synodis & episcopis inualuerunt. Distant vero ab his electionibus illae, quibus manu militari populis repugnantibus & inuitis imperatores Constantius, Leo Isaurus & Constantinus Caballinus ad Arianam & Iconoclasticam haeresim constabiliendas episcopos dederunt.

(d) In Hispania concilium Toletanum XII. anno IↃCLXXXI. habitum *can.6.* Regi concessit nominationem episcoporum Hispaniae, ea tamen lege vt omnes nominati ab episcopo Toletano probarentur & consecrarentur. Et ita Hispaniae reges deinceps episcopos nominarunt optimo iure, hoc est iure regio & ecclesiae concessione. Quo distabant a Galliae regibus, qui ecclesia ferme reluctante & tolerante nominare solebant.

(e) Nomine inuestiturae proprie veniebat concessio feudorum & reliquorum regalium sollemni baculi & annuli traditione a principibus facta.

(f) Iam vero regiis episcoporum nominationibus synodus septima

§. V. Sic episcoporum nominationes in Occidentis ecclesiis processerant: at saeculis vndecimo & sequenti eas abolendas pontifices Leo IX., Gregorius VII. aliique magnis animis susceperunt. Ergo multae synodi celebratae, in quibus statutum, ne sine electione cleri & populi episcopi constituantur: & simul damnantur episcoporum electiones a regibus factae. His decretis vinci passi sunt reges Galliae & Hispaniae, qui electiones ecclesiis restituerunt. Et in Germania post diuturna de inuestituris bella episcoporum electiones pactis conuentis inter Callistum II. pontificem & Henricum V. imperatorem ecclesiis cesserunt: tantumque datum imperatori, vt episcoporum & abbatum Teutonici regni electiones in praesentia illius sine vi & simonia fierent.

§. VI. Quamuis vero Romani pontifices regias episcoporum nominationes sublatas euersasque voluerint; tamen iidem probarunt & admiserunt regium in electionem adsensum, sed post celebratam electionem interponendum: regius enim post factam electionem adsensus non officiebat electionum libertati, & porro regiae dignitati inerat. Itaque reges abdicatis nominationibus, deinceps factas electiones confirmarunt: quod ius regium decretales pontificum frequenter proponunt, *cap.* 14. 20. *&* 28. *ex. de elect.* Verum non defuerunt reges, qui aliquid ex antiquo iure retinuerunt: nam in regno Galliae saeculo decimo secundo & sequenti electiones ex praeuia regis concessione fiebant: quod idem in Anglia obtinuisse videtur, *cap.* 5. *de electione in* 1. *collect.*

§. VII. Iam vero hac ipsa aetate, qua restitutis ca-

 nonicis

prima generalis *can. III.* videtur obstare, quae damnat electiones, quae saecularium principum auctoritate fiunt, innouatque canonem apostolicum aduersus eos, qui terrenorum principum fauore grassantur ad episcopales sedes, & porro statuit, vt electiones episcoporum ab episcopis ex regulis Nicaenis fiant. Sed hoc canone tantum prohibentur electiones episcoporum, quas vi ac potentia principes faciebant, quales sub iconoclastis imperatoribus plures fuerunt: quod Balsamon in *cit. can. III.* obseruat.

nonicis electionibus Reges optimo iure probandi factas episcoporum electiones fruebantur, regnum Siciliae a Normannis institutnm est. Ergo Reges nostri iure regio & pactis conuentis cum sede apostolica factas episcoporum electiones expendebant, easque ex caussis reiicere & probare poterant (g). Et pupillo adhuc Friderico II. Innocentius III. illius tutor *vice regia* episcoporum electiones confirmabat, *cap.* 18. *ex. de electione*. Sed eo rem redegit Innocentius, vt tantum in speciem regium adsensum servasse videatur: etenim ea lege Constantiae Friderici matri ipsique puero Friderico dedit regni inuestituram, vt Rex requisitus omnino factae electioni consentiret. Nimirum ademit regibus nostris electiones expendendi & ex caussis etiam reiiciendi facultatem. Qua de re grandior factus Fridericus ipse conquaestus est.

§. VIII. Sed Siciliae regno ad Andegauos opera & studiis summorum pontificum translato, regius in factas electiones adsensus omnino desiit adhiberi: idque pactis inuestiturae a Clemente IV. pontifice Carolo I. Regi datae comprehensum est, tantumque integrum ius patronatus regibus nostris competens remansit. Parum fuit Carolo Andegauorum comiti aliquid de regni iuribus perdere, & regnum tum ceterorum florentissimum adquirere. Abdicato regio in electiones adsensu, integrum Reges nostri vetandi ius retinuere, ne qui sibi suspecti, aut alias minus probati essent, in episcopos eligerentur, aut eosdem non admittere, si iam electi & consecrati essent. Hinc emersit *regium placitum*, vt vulgo dicitur, sine quo Reges nostri passi non sunt, vt electi & consecrati episcopi ecclesiarum suarum regimen susciperent.

§. IX. Regius vero in episcoporum electiones adsensus generatim infirmari debuit, vbi electiones in Romanos

(g) Sane inter Hadrianum IV. pontificem Beneuenti obsessum & Gulielmum I. Siciliae regem inita pace, inter alios articulos de electionibus episcoporum placuit, clericos personam idoneam eligere, factam electionem omnibus aliis ignotam Regi offerre, Regem vero electionem expendere & probare, si electus nullas pateretur exceptiones.

nos pontifices transierunt. Indignum scilicet visum est, electiones episcoporum a pontifice factas laico regum iudicio subiacere. Et quamuis Reges electionibus adsentientes, suo iudicio minime subiicerent peractas a pontifice electiones, sed potius regia iura, quae non patiuntur episcopos ipsis inuitis constitui, exercerent; tamen vbi pontifices sibi electiones episcoporum reseruarunt, veluti oblanguit regia illarum confirmatio, satiusque visum regibus pati, vt regia iura interquiescerent, quam cum pontificibus manus conserere.

§. X. Ceterum postquam summi pontifices bullis suis & cancellariae regulis electiones episcoporum sedi apostolicae addixerunt, regiae episcoporum nominationes in plerisque regnis restitutae sunt. Nimirum pontificiae ecclesiarum cathedralium, vt & ceterorum beneficiorum reservationes, non minus collegiis canonicorum & ordinariis collatoribus, quam ipsis regibus odio fuere. Ergo pactis conuentis, vel apostolicis indultis, vel iure patronatus nominationes episcoporum vel regibus datae, vel capitulis restitutae; at confirmationes pontificibus reseruatae sunt. Apud nos vero viginti quatuor tantum episcopatus sunt regiae nominationis (*h*): quod Clemens VII. Carolo V. eiusque in regno successoribus concessit.

CA-

(h) In Gallia post diuturnas de pragmatica sanctione inter reges & pontifices controuersias tandem pactis conuentis inter Leonem X. & Franciscum I. Regem nominatio episcoporum & abbatum & priorum conuentualium, quorum morte vidua censetur ecclesia, Regi cessit, pontifici vero confirmatio: tantumque excepti episcopatus, abbatiae & prioratus priuilegio pontificio sibi eligendi praelatos aucti, in quibus canonicae electiones sublatae non sunt. Et in Hispania Rex catholicus episcopos nominat ex iure patronatus, aut potius summorum pontificum priuilegiis. Mariana *hist. Hisp. lib. XXIV. cap.* 16. & *lib. XXVI. cap.* 5. Pari quoque iure plerique alii reges in nominandis sibi subiectis episcopis vtuntur: quod Michaël Rousselius *hist. pontif. iurisdict. lib. II. cap.* 7. late persequitur. Sed in Germania pactis conuentis inter Nicolaum V. pontificem & Fridericum III. imperatorem & nonnullos alios principes capitulis electiones restitutae sunt.

CAPVT XXIV.

De ordinandorum examine & electionis confirmatione.

§. I. Electi & probati ad ſacrum miniſterium tum debent conſecrari, ſi inſtituto examine, ſeu *ſcrutinio*, vt appellant decretales, conſtet, eos tanto honore dignos eſſe. Nec enim cito manus ſunt imponendae, 1. *ad Timoth. V.* 22., hoc eſt nemo debet ſine diuturna diſcuſſione & examine inter ſacros miniſtros cooptari. Chryſoſt. *hom. XVI. in* 1. *ad Timoth.* Valebant quidem in eligendis clericis populi ſuffragia ad bonorum merita & malorum crimina detegenda; at in re tanti momenti vlteriorem diligentiam adhibitam eccleſia voluit, vt factis ipſis conſtaret, aptos & idoneos eſſe, qui eligebantur, *can.* 2. *D.* 24. Qui examine non praemiſſo ordinantur, *furtiue* ordinari dicuntur. Tales olim a clero abiiciebantur, *can.* 4. *D.* 81.; at iure decretalium ante ordinationem ſub excommunicatione propoſito interdicto, ne aliquis per furtum accedat, ſunt irregulares, tantumque habitu regulari ſuſcepto per pontificem reſtituuntur; ſed interdicto illo omiſſo, ex venia epiſcopi in ordinibus ſuſceptis miniſtrabunt, & ad maiores ordines promouentur, *cap.* 1. *& ſeqq. ex. de eo, qui furtiue ordinem ſuſcepit.*

§. II. Ordinationi praecedens examen ſpectat canonicas ordinandorum qualitates, ac praecipue mores & ſcientiam, cuique gradui propriam. Et boni quidem mores ferme probantur aliorum teſtimoniis, quae tum ſunt idonea, ſi teſtes probati & diligentes viri ſint, & vitam eius, de quo teſtantur, cognitam & perſpectam habeant. Hinc ſynodus Meldenſis apud Reginonem *lib. I. cap.* 369. ſtatuit, vt nemo ordinetur, niſi in ciuitate, vbi examen inſtituitur, ad minimum vno moretur anno. Scientia vero exploratur propoſitis interrogationibus de iis, quae ſcire clericos oportet, theologiam nempe & ſacros canones.

Gradus

Gradus academici in vile abierunt mercimonium, & vix idoneam fidem de disciplinis faciunt.

§. III. Instituitur autem examen ab eo, cuius est manuum impositio, *cap.* 24. *ex. de electione*. Et ita episcoporum examen spectabat ad metropolitanum & episcopos prouinciae, metropolitanorum ad patriarchas, & in dioecesibus, vbi nulli erant patriarchae, ad ipsos episcopos prouinciales. Presbyterorum vero & aliorum inferiorum clericorum examen episcopus, cui eorum ordinandorum ius est, debet instituere. Id autem facere debet episcopus accitis sacerdotibus & aliis prudentibus viris, qui legis diuinae & sacrarum functionum peritia censentur. Gregor. M. *lib.II. ep.* 48., Trident. *sess.XXIII. de ref. cap.* 7.

§. IV. Examine absoluto minus idonei reiiciuntur, electores, qui scientes indignum elegerunt, pro ea vice ipso iure eligendi potestate cadunt, & electio deuoluitur ad superiorem, modo omnes scienter indignum elegerint: nam si maior pars indignum, minor vero dignum eligat, minoris partis electio admittitur, *cap.* 22. *&* *seq. ex. de electione*. Quod si in ipsis electionum sollemnibus peccatum sit, sententia opus est, vt eligendi iure capitulum cadat, *cap.*42. *&* 50. *ex. eodem;* nisi confirmatio ad pontificem pertineat, vel electio per appellationem ad ipsum deferatur, quibus casibus ius omne ad pontificem deuolvitur, qui aliquando ad ipsos electores remittere consuevit. Franc. Florens *ad tit. de elect.*

§.V. Quicumque per inquisitionem idonei reperti sunt, ad sacrum ministerium admitti debent. Ita presbyteri & reliqui inferiores clerici stato tempore ordinantur; episcopi vero confirmantur, & inde manuum accipiunt impositionem. Vt vero nunc de episcoporum confirmatione agamus, ea est ipsa concessio episcopatus per superiorem facta, qua ex praeuia caussae cognitione probatur facta electio, & electus pastor ecclesiae constituitur, manus impositione in aliud tempus dilata. Per decem ferme saecula episcopi sola manuum impositione constituti sunt, vnoque ferme actu confirmabantur & ordinabantur. Inde confirmatio episcoporum a consecratione distincta est, eodem ferme modo, quo collatio beneficii ab ordinatione inse-

inferiorum clericorum separata est. V. Espen. *par. I. tit. 14. cap. 1.* Et ita iure decretalium, vt episcopus constituatur & omni sacra potestate instructus sit, tres actus, electio nempe, confirmatio & consecratio requiruntur: contra in veteri disciplina episcopi electi tantum solebant consecrari.

§. VI. Sic autem accepta episcoporum confirmatio iure decretalium ad solum metropolitanum spectat: separata enim ab ordinatione confirmatio praesentiam plurium episcoporum minus necessariam fecit. Confirmat vero metropolitanus electiones praeuia caussae cognitione, qua in electi qualitates & electionis sollemnia inquirit. At iudicium examinis iure decretalium ad formulas forenses, quae iam ecclesiasticum forum occupauerant, accommodatum est. Ergo metropolitanus specialiter electos & contradicentes vocat, ceteros vero per edictum, *cap. vlt. de electione in 6.*, terminoque citationis elapso in electi qualitates & modum electionis inquirit: & lata sententia ad pontificem prouocatur, vnde noua iudicia, quibus libri decretalium abundant.

§. VII. Electionis autem confirmationem electus ipse siue solus, siue cum eligentibus petere debet trium mensium spatio a consensu in electione praestito: quo tempore exacto irrita censetur electio, nisi iusta caussa petendae confirmationis fuerit impedimento, *cap. 6. de elect. in 6.* Et deinceps intra tres menses a die confirmationis episcopi debent consecrari: quibus elapsis perceptos fructus restituent, & si intra totidem menses id facere negligant, ecclesiis ipso iure priuantur. Trident. *sess. XXIII. de ref. cap. 2.* Ita contra regulas veteris disciplinae, quae trium mensium spatio episcopos eligi & consecrari praecipiebant, conc. Chalced. *can. XXV.*, diutius sine pastore ecclesiae esse coguntur.

§. VIII. Plures & insignes confirmationis episcopalis effectus sunt. Nexus inter episcopum & ecclesiam, seu spirituale coniugium electione initiatum, ratum fit confirmatione, & manuum impositione completur, *cap. 4. ex. de translat. episc.* Item episcopus in confirmatione omnem sacram accipit iurisdictionem, *cap. 7. ex. de electione*, non vero ea, quae *ἀμέσως* ordinationi adhaerent.

Epi-

Episcopus quoque confirmatus statim episcopalibus priuilegiis & insignibus vtitur, *cap. 27. ex. eodem:* statimque ecclesiae poterat administrationem suscipere. Quae omnia antiquae aduersantur disciplinae, quae episcopi iurisdictionem & omnem sacram potestatem ab ordinatione repetebat, nec inter ordinis & iurisdictionis potestatem distinguebat. Id tantum superest de antiqua disciplina, quod ante consecrationem confirmatus simpliciter non dicitur *episcopus*, sed cum adiuncto *electus*.

§. IX. Sed tandem confirmationes episcoporum in Occidente vna cum episcopatuum reseruationibus ad pontificem Romanum delatae sunt; indignum profecto visum, pontificis iudicium episcopum eligentis a metropolitano confirmari. Et quamuis ex nouissimis institutis nominationes in multis prouinciis cesserint summis imperantibus, & in Germania capitulis electiones restitutae sint; tamen ius confirmandi episcopos omnes penes pontificem remansit. Expediunt vero pontifices confirmationes in consistorio cardinalium praeuia caussae cognitione: at sic confirmati ex nouis decretis non possunt suarum ecclesiarum administrationi se immiscere, nisi post acceptas a pontifice litteras, quae de confirmatione, aut consecratione testentur, *extrauag. 1. de elect. inter comm.* Quin apud nos nec possunt se immiscere ecclesiarum administrationi, nisi litterae pontificis sollemni regis decreto donatae sint.

CAPVT XXV.

De sacris ordinationibus, & primo de materia & forma, aliisque adnexis sollemnibus.

§. I. IAm electi & probati ad sacrum ministerium proprio sollemnique ritu initiantur, & spiritualem potestatem accipiunt: qui ritus a Latinis ecclesiasticis scriptoribus saepe dicitur *ordinatio*, *consecratio* & *benedictio*, a Graecis vero χειροτονια a ritu eleuandarum & imponendarum manuum, qui praecipuus est in maioribus clericis

creandis

creandis. Est vero ordinatio proprie sic dicta christianae religionis sacramentum, quo sollemni inauguratione potestas spiritualis ad obeunda sacra ministeria non sine gratiae effusione confertur: quod catholicae fidei dogma est. V. Hallier. *de sacr. elect. & ordinat. par. II. sect. 2. cap. 1.*

§. II. Hoc sensu accepta ordinatio distat ab ordine; nam illa est ipsa sacra caerimonia, iste vero ipsa potestas data, & hinc vulgatum illud *ordines conferre* (a). Plures vero sunt ordines, quorum alii maiores, alii minores. Et maiores quidem sunt episcopatus, presbyteratus, diaconatus, & ex noua disciplina etiam hypodiaconatus. Minores vero in ecclesia Latina sunt acolytatus, exorcistatus, lectoratus & ostiariatus: quorum omnium officia ex superioribus satis constant.

§. III. Sacramentum ordinationis ex communi & certa ecclesiae doctrina positum est in creandis episcopis, presbyteris & diaconis. Nam quod spectat ad hypodiaconos & inferiores clericos, magis est, vt ritus, quibus creantur, veri nominis sacramenta dici non possint: quod Ioannes Morinus *de sacris ordinat. par. III. exercit. 11. cap. 1. & seqq.* pluribus demonstrat. Nimirum ritus isti potius ab ecclesia, quam diuina auctoritate instituti sunt: & sacramenta rebus & verbis a Deo institutis constant. Interim etsi saltem tres sint ordines, quibus ratio sacramenti omnino conuenit; non tamen tria sunt ordinationis sacramenta, sed vnum. Omnes enim ordines ad sacerdotium referuntur: atque ideo in illo vnum quodammodo sunt: quod S. Thomas *quaest. XXXVII. supplem. art. 1. ad 2.* obseruat.

§. IV. Ordinatio autem, vtpote veri nominis sacramentum, rebus & verbis, seu vt recentiores theologi dicunt, *materia* & *forma* tamquam elementis constat. Et res quidem seu signum externum, quibus maiores ordines conferuntur, ex apostolica traditione est manuum impositio.

(a) Nomine *ordinis* ex natura adiunctorum aliquando ipsa ordinatio designatur, vt in titulo decretalium *de scrutinio in ordine faciendo*: qua notione ordo etiam recte vnum ex sacramentis esse dicitur. Trident. *sess. XXIII. cap. 3. & can. 3.*

positio. Sane apostoli impositis manibus crearunt diaconos, *Actor. VI. 6.* Patres quoque semper maiores ordines per manuum impositionem datos adserunt: & libri rituales Graeci & Latini cuiusque aetatis in consecrandis sacris ministris semper manuum impositionem praescribunt (*b*). Minores vero ordines, quibus ratio sacramenti non convenit, apud Latinos instrumentorum traditione, non vlla impositione manuum collati sunt. Conc. Carthag. IV. *can.* 5. *& seqq.*

§. V. Verba vero, quae elemento addita sacramentum constituunt, ex apostolica traditione preces sunt, quibus rogatur Deus, vt spiritum gratiae suae infundat; & potestatem det ad ministeria commissa obeunda. Certe apostoli ieiunantes & orantes diaconos crearunt: & antiqui patres precibus ordinationes factas describunt (*c*). Quod si praesentibus moribus apud Latinos in creandis maioribus clericis verba, quae ipsam manuum impositionem comitantur, preces non continent, sed potius indicant dari potestatem & Spiritum sanctum, veluti in consecrandis episcopis consecrator dicit: *accipe spiritum sanctum;* id non facit, vt verba ista essentialem ordinationis formulam constituant. Etenim in compertis esse debet, etiam in noua disciplina essentiales ordinationis formulas esse

(b) Ritus imponendarum manuum in creandis sacris ministris ab Iudaeis in ecclesiam videtur deriuatus. Sane sollemnis & peruetustus est apud Iudaeos ritus imponendarum manuum in benedictionibus impertiendis. Genes. *cap. XLVIII. v.* 13. *& seqq.* Moyses extensis impositisque manibus miracula patrabat, & diuinam virtutem & potentiam, cum iis, quibus manum imponebat, communicabat. Et Iudaei presbyteros manibus impositis crearunt. V. Selden. *de synedr. lib. II. cap.* 7. §. 1.

(c) Plures manuum impositiones & preces adhibentur in consecrandis presbyteris, sed illae tantum ad intimam ordinationis naturam pertinent, quae apostolicae sunt institutionis, & per omnem ecclesiam seruatae sunt, qualis profecto est illa, qua tam episcopus, quam sacerdotes manum dexteram super ordinandum extensam tenent, & episcopus stans cum mitra recitat orationem antiquissimam, quae etiam hodie in Pontificali exhibetur. V. Morin. *de sacris ordinat. par. III. exercit.* 7. *cap.* 2.

esse preces, quae manuum impositioni respondent, eique olim adhaerebant, formulas vero indicantes vsu accessisse ad preces necessarias. V. Nat. Alexandr. *theol. lib.II. de sacram. ordinis cap.*1. *art.* 6. Et quî quaeso ad ordinationis intimam constitutionem pertinere possunt formulae, quas antiquitas ignorauit?

§. VI. Sollemnis quoque in consecrandis ecclesiae ministris est traditio instrumentorum, quae fit sub certis formulis, quae potestati cuiusque ordinis propriae respondent. Ita presbytero traditur patena cum pane & calix cum vino sub formula, *accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro viuis & mortuis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Et diacono traditur euangelium sub formula, *accipe potestatem legendi euangelium in ecclesia Dei &c.* & ita porro reliquis inferioribus clericis propria instrumenta conceptis verbis traduntur. In ecclesia Latina minores ordines semper traditis instrumentis videntur fuisse collati. Conc. Carthag. IV. *can. V. seqq.* Sed in creandis clericis maioribus per decem priora saecula nulla apud Latinos vsurpata fuerunt instrumenta, quae post saeculum decimum adhiberi coepta sunt: apud Graecos vero semper ignota fuerunt, & nunc etiam ignorantur. Morin. *de sacris ordinat. par.II. exercit.* 2. 7. *&* 9.

§. VII. Quae quum ita sint, instrumentorum istae traditiones cum adiectis formulis ad intimam ordinationis naturam iure diuino non videntur pertinere. In veteri enim disciplina tantum per manuum impositionem clerici maiores creabantur, & ecclesia Graeca adhuc ignorat instrumenta. Et si Eugenius IV. *in decreto* ordinationis materiam dixit esse instrumenta, quorum traditione ordines conferuntur, formam vero verba traditionibus respondentia; non propriam & intimam ordinationis materiam & formam voluit indicare, sed peculiares ritus, quos ecclesia Romana addiderat ritui apostolico, hoc est manuum impositioni. Interim adsiduo ecclesiae Latinae vsu videntur instrumenta eorumque formulae ad materiae & formae integritatem pertinere, quod viri docti Morinus, Espenius aliique obseruant. Scitum est, posse ecclesiam sacramentis ritus & conditiones addere, quibus omissis illa nullius effectus sint,

§. VIII.

§. VIII. Praeterea in sacris ordinationibus apud Latinos vnctio adhibetur, qua episcopi caput & manus sacro chrismate, manus vero presbyteri oleo catechumenorum precibus adhibitis vnguntur. Ritus iste non est apostolicae institutionis (*d*), nec vmquam a Graecis adhibitus est: & in ecclesia Latina post quintum saeculum sensim invaluit, exemplo fortasse sacerdotum veteris legis, qui dum creabantur, oleo inungi debebant: quod apertis verbis Deus *Leuit. VIII. v.* 12. praecepit (*e*). V. Morin. *de sacr. ordinat. par. III. exercit. 6. cap.* 2.

§. IX. Celebrari autem debent sacrae ordinationes in ecclesia, & quidem in publico Dei cultu tempore sacrae liturgiae. Et ex veteris disciplinae regulis ordines maiores in altari & sanctuario, minores vero extra sanctuarium conferebantur: qui mores apud Graecos adhuc vigent. V. Morin. *loc. cit. cap. 6.* Scilicet creabantur clerici in locis, vbi tempore liturgiae inseruiebant. At ex praesenti ecclesiae Latinae vsu minores ordines & primam tonsuram etiam extra ecclesiam conferre licet.

(d) Innocentius III. in *cap. vn. ex. de sacra vnctione* vsum vnctionis in consecrandis episcopis & presbyteris ab exemplo apostolorum arcessit & deriuat, idque auctoritate decretalis sub nomine Anacleti papae in *can.* 1. *D.*75. Sed decretalis ista posterioris aetatis figmentum est, ex officina Mercatoris vulgata.

(e) Sollemnis apud Iudaeos & ethnicos in sacris olei vsus fuit: & ita quidquid Deo diisue dicabant, oleo adspergebant. V. Spencer. *de legib. Hebraeor. ritualibus* & Ioan. Cleric. *not. ad Iudic. IX. 9.* Hinc Iudaei oleo inungebant sacerdotes, qui Deo consecrabantur. Sed gentes indifferenti ritu in stupidam proruerunt superstitionem, siquidem res omnes, quas vngebant, adorabant: quod ethnicae superstitionis caput Reinerus Verwey *de vnctionibus gentilium* pluribus illustrat. Interim quamuis ecclesia multos Iudaeorum ritus suos fecerit; non tamen in consecrandis sacerdotibus initio oleum adhibuit, fortasse quod ex vetusta disciplina christiani omnes in baptismo oleo vngi solerent: qua vnctione late dictum sacerdotium consequebantur. Tertull. *de bapt. cap. VII.*

CAPVT XXVI.

De sacrae ordinationis ministro.

§. I. **M**Inister sacrae ordinationis, praesertim si de maioribus clericis creandis agatur, solus episcopus est, quae est ecclesiae doctrina. Presbyteri simul cum episcopo in creandis aliis presbyteris tantum manus imponunt; at ipsi ordinationes maiorum clericorum omnino facere vetantur. *Quid facit, excepta ordinatione, episcopus,* inquit Hieronymus *ep. LXXXV. ad Euagr., quod presbyter non faciat?* Et ad episcopum consecrandum ferme tres episcopi requiruntur, quod pluribus illustrat Thomassinus *de vet. & noua eccles. disciplina par. II. lib. 2. cap.* 12., sed ad creandos presbyteros & ceteros inferiores clericos vnus episcopus sufficit. Quod vero spectat ad clericos minores, ii saltem extra ordinem a presbyteris creari possunt: quo iure vtuntur presbyteri cardinales in parochiis, quas Romae tenent, & ordinum abbates consecrati, si ordinandi subditi sint & regulares. Conc. Nicaen. II. *can. XIV.*, Trident. *sess. XXIII. de ref. cap.* 10.

§. II. Sed episcopi non promiscue omnes possunt ordinare, sed tantum sibi subditos, itemque eos, qui sui ordinis & conuentus principes sunt, vt quilibet a proprio episcopo ordinetur. Itaque ius ordinandi episcopos prouinciae erat penes metropolitanum & episcopos prouinciales. Conc. Nicaen. *can. IV.* Et institutis patriarchis ius ordinandi metropolitanos intra fines dioecesis illis cessit. Conc. Chalced. *can. XXVIII.* Patriarchae autem ab episcopis & metropolitanis propriae dioecesis ordinabantur. *Nouell. Iustin. CXXXI. cap.* 3. Ipsum quoque episcopum Romanum finitimi episcopi consecrabant, inter quos episcopus Ostiensis primas partes tenebat. Sed tandem in Occidente ius episcoporum consecrandorum vna cum electionum confirmationibus ad Romanum pontificem deuolutum est.

§. III.

§.III. Porro quod ſpectat ordinationes inferiorum miniſtrorum & primam clericatus dationem, inter veterem & nouam diſciplinam diſtat. Et veteri quidem diſciplina in promouendis ad altiorem gradum clericis, proprius epiſcopus erat, qui primus clericatum contuliſſet. Conc. Nicaen *can. XVI.*, Sardic. *can. XV.*, Chalced. *can.XX.* Sane clerici omnes in ordinatione epiſcopo ordinanti, & eccleſiae, cui eos addixerat ordinatio, perpetuum erant adſtricti, ac proinde ſine proprii epiſcopi venia nec ad aliam eccleſiam tranſire, nec ab alio epiſcopo poterant ordinari. Sed laici a quocumque epiſcopo poterant ordinari, modo de eorum integra vita conſtaret. Conc. Illiber. *can. XXIV.* V. Hallier. *de ſacris electionib. & ordinationib. par. II. ſect.* 5. *cap.* 3. *art.* 1. Conſtabat vero de moribus peregrinorum aut diutina eorum in aliquibus locis praeſentia, aut fama, quae de eorum moribus increbuerat, aut litteris formatis, quas laici a ſuis epiſcopis acceptas ſecum deferebant.

§. IV. Per decem & amplius ſaecula ſtetit haec diſciplina, inde mutata eſt, receptumque, vt quadruplici titulo proprius ad dandos ordines epiſcopus eſſet, *origine* nempe, *beneficio*, *domicilio*, *cap.*3. *de tempor. ordinat. in* 6., itemque *familiaritate* (*a*). Epiſcopus originis eſt ille, in cuius dioeceſi ordinandus natus eſt: epiſcopus beneficii eſt, in cuius dioeceſi ordinandus habet beneficium, mo-

(a) Poſt ſaeculum decimum inuitis ſacris canonibus frequentes euaſerunt ordinationes ſine titulo, hoc eſt ſine certa eccleſia: atque inde ingens numerus clericorum inertium & vagantium emerſit, qui ab alienis epiſcopis ad maiores ordines curabant promoueri. Intermiſſus quoque eſt litterarum formatarum vſus, & ſaepe laici nullo teſtimonio de bene acta vita proprias relinquebant eccleſias: epiſcopi vero ſine delectu tonſuram dabant, tantum ad clericorum numerum augendum. Fleuryus *diſc. VII. in hiſt. eccleſ. n.* 8. Et ita ad euitandam confuſionem neceſſe fuit nouas praeſcribere regulas de epiſcopis, qui ordines & ipſam tonſuram conferrent, ſenſimque proprius ad ordines conferendos epiſcopus quadruplici titulo eſſe incoepit, *origine* nempe, *beneficio*, *domicilio* & *familiaritate*.

do in fraudem declinandi proprii episcopi collatum non sit : episcopus domicilii est, in cuius dioecesi domicilium ordinandus constituit, quod ex animo & coniecturis perpetuo in loco commorandi constitutum intelligebatur, *L. 7. C. de incolis*. Et demum episcopus familiaritatis est, qui alienum subditum integro triennio inter suos familiares habet, eique sine vlla fraude statim beneficium confert, Trident. *sess. XXIII. de ref. cap. 9.*

§. V. Noua haec disciplina, qua quadruplici titulo episcopus proprius ad ordines conferendos censetur, licet ad euitandam confusionem inducta sit; non tamen ordinem omnino restituit, nec incommoda omnia sustulit (*b*). Ergo Innocentius XII. edita decretali *speculatores* talibus regulis episcopi proprii coëgit potestatem, quibus ordinem in ecclesia necessarium tantisper restituit. Statuit nimirum, vt clericus tum demum titulo beneficii in aliena dioecesi impetrati possit ad maiores ordines promoueri, si proprii episcopi tam originis, quam domicilii bono testimonio idoneus probetur; & beneficium, quod in pace possidetur, tanti sit reditus, vt per se secundum summam in dioecesi definitam ad honestam sustentationem sufficiat. Subditum quoque ratione originis illum Innocentius intelligi voluit, qui naturali natiuitate, quae fortuita non sit, in dioecesi, vbi ad ordines promoueri desiderat, natus est: attendi vero originem patris, si quis ex accidenti in aliquo loco nascatur. Et domicilium in caus-
sa

(b) Sane origo, beneficium, domicilium, familiaritas simul concurrebant, non se inuicem excludebant: atque ideo vnus idemque laicus aut clericus poterat a pluribus episcopis ordinari, nec requirebatur, vt episcopus, qui ex vno titulo ordines conferebat, ab aliis episcopis itidem propriis consensum haberet. Inepti ergo ad ordines conuolabant, examen episcopi, cui eorum vita cognita erat, declinabatur, cogebanturque ipsi episcopi in propria ecclesia eos pati clericos, quos numquam ordinauerant. Ipse titulus beneficii, qui ab antiqua disciplina non est alienus (siquidem beneficia vi sua adligant ecclesiae) in noua disciplina promouit confusionem, quando in pluribus dioecesibus facile potest vnus plura obtinere beneficia.

ſa ordinationis conſtitutum intelligi ad minimum decennii in aliquo loco mora, vel translatione maioris partis fortunarum in locum cum inſtructis aedibus, & idonea mora, qua animus perpetuae habitationis manifeſtetur, addito in vtroque caſu iureiurando ad perpetuae habitationis confirmationem. Qua ratione conſtituto domicilio neceſſarium eſſe voluit epiſcopi originis proprium teſtimonium, ſi ordinandus ea aetate a patria diſceſſerit, vt ibi aliquod impedimentum contrahere potuerit.

§. VI. Iam vero clerici Graeci eccleſiae catholicae addicti, qui Latinis epiſcopis in Italia & inſulis adiacentibus ſubiecti ſunt, & *Italo-Graeci* dicuntur, ordinantur ab vno ex duobus epiſcopis Graeci ritus, quorum vnus Romae, alter in oppido S. Benedicti Beſidiarum dioeceſis in Calabria citeriori moratur (c). Qui quidem epiſcopi pontificia auctoritate conſtituti ſunt ad Italo-Graecos, qui a propriis Latinis epiſcopis ordinari non poterant (d), ordinandos. Et ita Graeci ritus clerici neceſſariis documentis inſtructi ad vnum ex duobus Graecis epiſcopis pro iure ſuo ad recipiendos ordines accedunt.

§. VII. Et haec quidem ſpectant clericos & laicos, nam ratione regularium is eorum epiſcopus in cauſſa ordinationis proprius eſt, in cuius dioeceſi exſtat monaſterium, vbi ſtabiles tanquam de familia commorantur, atque ita ab eo debent ordinari: quam regulam, abrogatis regularium priuilegiis, Tridentini patres *ſeſ. XXIII. de ref. cap.* 8. confirmarunt: qui itidem ex regula veteris iuris permiſerunt abbatibus conſecratis, vt regularibus ſibi ſubditis primam tonſuram & minores ordines conferre poſſent. Trident. *loc.cit cap.*10. Inde hoc ius variam habuit fortunam variis editis pontificum decretalibus, quae vel libertati regularium vel eccleſiaſticae diſciplinae fauerent. Sed tandem prodiit declaratio ſacrae congregationis concilio interpretando addictae a Clemente VIII. probata,

 qua-

(c) Clemens VIII. Romae Graecum epiſcopum, & Clemens XII. alterum Graecum epiſcopum, qui in oppido S. Benedicti reſidet, inſtituit.

(d) Vetantur epiſcopi Latini Graeco ritu clericos creare.

qua cauetur, vt regularium superiores dimittant subditos suos regulares tantum ad proprios episcopos, qui praesentes sint, & ordinationes habeant; iis vero absentibus, aut ordinationes non habentibus, ad quemcumque episcopum, modo ab ipso ordinatore circa scientiam examinentur, & superiores regulares consulto non differant ordinationes suorum subditorum ad tempus, quo proprius episcopus absit, vel nullas ordinationes habeat.

§.VIII. Quod si episcopus proprius ex iusta caussa, quominus habeat ordinationes, impediatur, potest suis subditis dare litteras dimissorias, vt ab alienis episcopis ordinentur; & ordinati ad dimittentem reuertantur (e). Concedi debent litterae dimissoriae tantum dignis, atque ideo praeuio examine probatis. Trident. *sess. XXIII. de ref. cap.* 3. Integrum vero est episcopis ad se dimissos & a proprio episcopo probatos nouo examini subiicere. V. Fagnan. *ad cap.* cum secundum *ex. de praebend. n.*56. Concessae vero dimissoriae, nisi certo tempore includantur, concedentis morte vim suam non amittunt, quamuis qui dedit, re integra datas litteras recte reuocabit. Barbosa *de offic. episc. par. II. alleg.* 7. *n.* 25.

§.IX. Litteras dimissorias ad ordines pro iure suo episcopi concedunt, etiamsi tantum confirmati sint, non item consecrati, modo ecclesiarum sibi commissarum administrationem susceperint. Vicarius vero generalis tantum ex speciali episcopi delegatione ad ordines suscipiendos dimittit, aut si episcopus in longinquis regionibus diu moretur, *cap.* 3. *de temporib. ordin. in 6.* Et capitulum sede vacante certo modo etiam dimissorias litteras concedit, quod supra *cap. XX.* §. 14. explicatum est. Et demum inferiores praelati etiam nullius vetantur dare litteras dimissorias clericis saecularibus; & horum omnium ordinatio vel ad viciniores episcopos, vel ad dioecesanos per-

(e) Hoc sensu in noua disciplina litterae dimissoriae accipiuntur. Nam ex veteribus regulis illae dabantur clericis, quos episcopus a vinculo ecclesiae suae omnino soluebat, eosque a se dimissos ad alias ecclesias perpetuo transire permittebat. Conc. Trullan. *can. XVII.*

pertinet. Trident. *sess. XXIII. de ref. cap.* 10. V. Benedict. XIV. *de synodo dioeces. lib. II. can.* 11.

§.X. Quod si alienus episcopus, inuito aut inscio proprio episcopo, clericalem tonsuram aut ordines conferat, iure nouissimo a collatione ordinum per annum, ordinati vero a susceptorum ordinum exercitio, quamdiu proprio ordinario expedire videbitur, suspensi dicuntur. Trident. *loc. cap.* 8. (f).

CAPVT XXVII.

De ordinum susceptoribus.

§. I. Soli homines & quidem mares secundum institutionis legem & oeconomiam ordinibus possunt initiari (*a*), si nullo canonico impedimento laborent, & porro iis qualitatibus instructi sint, quae altaris ministros decent. Et quidem ordinibus initiandi debent esse baptiza-

 ti,

(f) In veteri disciplina si quis alienum clericum vsurparet & ad ordines promoueret, *ακυρος irrita* & *infirma* erat ordinatio. Conc. Nicaen. *can. XVI.*

(a) Mulieres a Deo ad subiectionem factae censentur: sacerdos vero ecclesiae praeest: & natiuo quodam pudore a docendo publicisque functionibus, quales sunt sacerdotales, mulieres repelluntur, adeo vt turpe duxerit apostolus, eas in ecclesia loqui & docere, *ad Hebr. V. v.* 1. *seq.* Hinc recte obseruat auctor sic dictarum constitutionum apostolicarum *lib.III. cap.9.*, apud ethnicos in vsu esse diis feminas sacerdotes creare. Et si in veteribus monumentis occurrant *episcopae*, *presbyterae*, *diaconissae*, non inde sequitur, apud christianos mulieres sacerdotio dedicari consueuisse. Sane *episcopae* & *presbyterae* erant vxores eorum, qui ad episcopatum vel presbyteratum promoti erant. Et diaconissae vel erant diaconorum vxores, vel piae quaedam feminae, quae officio, non ordinatione proprie sic dicta inter clericos censebantur.

ti, *cap.* 3. *ex de presbyt. non baptiz.* (*b*), itemque confirmati, & in legitima aetate constituti (*c*), item morum innocentia & sanctitate praediti (*d*), & porro sanctorum scientia cuique ordini propria sufficienter imbuti (*e*). Nimirum Christi sacerdotium status quidam caelestis est, cui grauia munera incumbunt; ac proinde tantum perfecti christiani & scientia sanctorum imbuti eo debent initiari.

§. II. Sed qui alias ordini suscipiendo idoneus censetur, is promotioni suae debet consentire, repugnatque profecto christianis institutis, vt omnino repugnantes & inviti ad ordines promoueantur. Consensus autem ad ordines suscipiendos requisitus ille est, qui ex libera voluntate

---

(b) Certe pro monstro est, vt altari ministrent, qui nondum aquis salutaribus regenerati sunt: & hinc ante baptismum dati ordines nullius effectus reputantur. Conc. Nicaen. *can. XIX.*, *cap.* 3. *ex. de presbytero non baptizato*. Et deinde perfecti tantum christiani ad ordines promouendi: & ante confirmationem christiani ex antiquis regulis perfecti non censentur: quod Albaspinaeus *obser. lib. I, cap.* 15. multis docet. Sed non eadem qua baptismus necessitate in ordinandis confirmatio requiritur: nam conuenit inter theologos, male quidem agere, qui non praemissa confirmatione ad ordines festinant, at non propterea infirmam & nullam esse ordinationem.

(c) De aetate ad ordines secundum praesentem disciplinam necessaria *cap. XXI.* §. 16. dictum est.

(d) Veteres patres ipsam ferme baptismalem innocentiam in sacris ministris requirebant: & ipsa occulta crimina ab ordinibus excludebant. Et quamuis lapsa ecclesiastica disciplina occulti peccatores ad ordines ferme promoti sunt; tamen ex mente ecclesiae tantum inculpatae vitae viri Christi sacerdotio initiari debent. Et procul dubio sacrilegii rei sunt, qui grauioribus criminibus polluti ordines suscipiunt.

(e) Scientia praesertim in clericis necessaria est diuinarum scripturarum & sacrorum canonum. Inde enim dogmatum nostrorum habetur plena cognitio: inde apta concionibus suppeditatur materies: inde regulae pro componendis moribus, pro ecclesiae regimine & pro curandis animorum morbis hauriuntur. Plura de clericorum disciplinis diximus *in comm. de iure canonico par. I. cap.* 36.

tate procedit: sufficitque etiam coactus, puta si quis metu poenae, aut alterius mali consentiat, alias non consensurus, modo externa vis absit omnis. Voluntas enim coacta voluntas est. Et officia ecclesiastica pro modo suo etiam publica censentur, ac proinde saltem clerici ad maiores ordines suscipiendos etiam metu poenae cogi posse videntur, *can.* 31. *C. Afric.* At vbi nullus omnino consensus est, & ordinandi prorsus inuiti sunt & actibus externis repugnant, ordines conferri non debent, & collati omnino nulli sunt & inanes, *cap.* 3. *ex. de baptismo*.

§. III. Iam vero in veteri disciplina multi siue laici, siue clerici non sponte sua, sed potius aperta vi inflatae plebis, aut ab ipsis episcopis facta, & obtorto collo rapti ordines acceperunt. August. *ep. CCIV. al. CLXXIII. ad Donat.*, Origen. *lib.VIII. contra Celsum*. Quin ii sacro ministerio praecipue digni censebantur, qui ordinabantur inuiti, *L.*31. *C de episcop. & clericis* (f). At qui ita obtorto collo ad sacerdotia rapiebantur, non quidem omnino erant inviti, & ex contemtu sacri ministerii ordines refugiebant, etsi externis actibus & in contraria repugnarent, ordinationem euitaturi; sed potius ordinari nolebant, quod se tanto ministerio impares reputarent, vel quod vitae solitariae addicti quiete delectarentur. Deinceps minime placuerunt coactae ordinationes, & non minus legibus ciuilibus, quam sacris canonibus ab ordinationibus vis omnis sublata est, *nouel. II. Leonis & Maiorani in append. C. Th.*, Simplic. papa *epist.II. ad Ioan. Rauennat.*, conc. Aurelian. III. *can.*7., inualuitque disciplina, vt tantum libere consentientes ordinentur.

§. IV. Porro perfecti christiani, qui canonicis donantur qualitatibus, tum recte ad ordines promouentur, si diuina

(f) Vnum tantum videtur fuisse effugium ad vim declinandam, si nempe vi correpti per Iesu Christi nomen iurassent, se ordinationi non consentire. Basil. *epist. canon. ad Amphil. can. X.* Et hinc intelligitur, cur eorum, qui obtorto collo ad sacerdotia rapiebantur, os teneri solebat, ne iureiurando testarentur, se ordinari nolle. Epiph. *epist. ad Ioan. Hierosolym.*

diuina vocatio praecedat. Sane sacerdotium est status caelestis, tribuitque gratiae auxilia tanto muneri consentanea, nec recte hunc statum induimus, nisi Deus vocatione sua sancta nos eligat inter altaris ministros. Vocat autem Deus ad ordines vel peculiaribus apertisque signis, quemadmodum apostoli aliique apostolici viri vocati sunt, vel signis, quae rebus ipsis intexta sunt, qualia conscientiae puritas, animus lenis, alienatio a rebus terrenis, recta intentio Deo seruiendi, oblectatio in lectione scripturarum, aliaque huius generis signa. Scilicet variis inditis inclinationibus Deus ad varia munera homines effingit. Vt vero haec non aperta signa euadant certiora, exorandus Deus, vt quales nos esse iussit, manifestet. Quod si quis nulla praecedente vocatione ad ordines irrepserit, is adsiduis orationibus & bonis operibus curare debet, vt diuina vocatio saltem subsequatur, & si non plantatus in domo domini, apte tamen translatus videatur.

CAPVT XXVIII.

De sacrae ordinationis effectibus.

§. I. Effectus sacrae ordinationis, qui propria illius vi producuntur, duo ferme sunt, *gratia* & *character:* quem duplicem effectum sacris ordinationibus tribuendum catholicae fidei doctrina est. Trident. *sess. XXIII. can.* 3. Et gratia quidem, quae per manus impositionem effunditur, vi sua ministrum sanctitate auget, eumque aptum & idoneum ad ecclesiae ministeria obeunda efficit, tantoque muneri vires suppeditat. Sane Chrysostomus *hom. I. in Timoth.* gratiam, quam iubente apostolo excitare Timotheus debebat, ita interpretatur: *hoc est gratiam, quam accepisti ad ecclesiae institutionem & ad omne religionis obsequium.*

§. II. Alter ordinationis effectus *character est*, cuius nomine venit nota quaedam spiritualis & indelebilis in anima impressa, qua ordinatus acceptam retinet potestatem.

tem. Intima characteris constitutio ignoratur, at reapse ordinatione, non minus quam baptismo, notam in anima imprimi, veteres patres tenuerunt, eamque comparant signis, quae in monetis principum insculpta erant, & notis militaribus, quae in manibus militum imprimi consueuerant. August. *contra epist. Parmen. lib.II. cap.*13. Semel vero vi sacramentorum impressus character numquam deletur.: & hinc ordines iterum eidem dari non possunt. Conc. Carthag. III. *can.* 38., *can.* 97. C.1. *q.*1. Quamvis ecclesia pro potestate sua characteris ordinatione impressi efficaciam possit comprimere & omni vi spoliare.

§. III. Christiani ordinibus siue maioribus, siue minoribus semel initiati perpetuo ecclesiae ministerio erant adstricti, nec poterant renuntiare clericatui, & vitam saecularem amplecti. Conc.Chalced. *can.VII.*, Turon.1. *can.V.*, Triburien. *can.XXVII.* (*a*). Stetit per duodecim & amplius saecula obligatio perpetua ad clericatum, quod obseruat Thomassinus *de vet. & noua eccles. discipl. par.II. lib.*1. *cap.* 14.; at inde paullatim inualuit, vt clerici minores impune ad saeculum redirent, tantumque perpetua stabilitate maiores tenerentur. Auctus clericorum numerus, desueta ferme minorum clericorum officia, & reditus ecclesiastici maioribus ferme clericis addicti disciplinae induxerunt mutationem. Ceterum etiam in noua disciplina praecipit ecclesia, vt ii tantum tonsura clericali initientur, quorum spes est, clericatum elegisse, vt perpetuum Deo seruiant, Trident. *ses.XXIII. de ref. cap.*4. & *vlt.*; vt hinc constet, ecclesiam etiam hodie omnium clericorum desiderare stabilitatem.

CA-

(a) Ordinatio species erat consecrationis, quae clericos Deo dicabat, & sacrilegii quoddam genus erat, quod Deo sacrum habebatur, profanare. Hinc excommunicabantur clerici, qui eiurassent clericatum, & ad sanctum propositum non redirent; & ex legibus ciuilibus curiae addicebantur, *L.* 39. *C. Th. de episcopis*, & eorum bona in ecclesiam, cui erant addicti, transcribebantur, *L.* 55. *C. de episcopis*.

CAPVT XXIX.

De ordinibus gradatim suscipiendis & eorumdem interstitiis.

§. I. Antiqua est ecclesiae disciplina moribus recepta, quae initio facto ab inferioribus ordinibus per progressionem ad sacerdotium iubet adscendere. Cyprian. *ep. LII. al. LV. ad Antonian.* Etenim inferiora ministeria rudem sensim expoliunt animum, instillantque morum sanctitatem, & veluti manu ducunt ad scientiam sacerdotio necessariam. Quam disciplinam synodus Sardicensis *can. X.* confirmauit, quo cauetur, vt diuites & scholastici de foro, qui erant ex ordine aduocatorum, per gradus ad episcopatum promoueantur, vt nempe prius lectores, tum diaconi, inde presbyteri creentur.

§. II. Dum ordines gradatim suscipiuntur, non cito progrediendum, sed in unoquoque gradu diutius immorandum, *vt fides & morum probitas & constantia & moderatio cognosci possit*. Conc. Sardic. *can. X.* Ars omnium difficillima est cura animarum, & longo potius vsu & experientia, quam meditatione adquiritur. Et absonum profecto est, vt quis momento temporis animarum antistes euadat; quando omnes artes longo vsu comparantur. Spatia temporis inter vnum & alterum ordinem interiicienda *ordinum interstitia* posterior aetas appellauit.

§. III. Varia fuit ecclesiae disciplina de temporis in singulis gradibus diuturnitate. Satis longa in Occidente post saeculum quartum erant interstitia: clerici vsque ad annum tricesimum in varias stationes tributis annis stipendia in minoribus gradibus faciebant, anno tricesimo diaconi, & si vltra quinquennium bene ministrassent, presbyteri creabantur, *can.* 3. *D.* 77. Sed iure nouissimo alias interstitia definita sunt. Minores ordines per temporum interualla conferendi, nisi aliud episcopo videatur, Trident. *sess. XXIII. de ref. cap.*11., pendetque ab epi-

episcopi sapienti consilio, quanto quisque tempore in eorum quolibet permaneat. Hypodiaconi non initiantur, nisi annus exactus sit a postremi ordinis minoris susceptione, Trident. *loc.cit.*, & inter ipsos maiores ordines ad minus anni spatium interiiciendum est. Trident. *loc.cit. cap.* 13. *&* 14.

§. IV. Verum enimuero ordinata ad sacerdotium progressio in veteri disciplina non necessario postulabat omnium ordinum susceptionem. Etenim non tantum ex minoribus ordinibus vnus pluresue non conferebantur; verum etiam ipsi maiores ordines omitti solebant (*a*). Et sane presbyteratus, vbi diaconi in episcopos eligebantur, in ecclesia Romana omittebatur: quod Io. Mabillonius *comment. praeuio in ordinem Romanum* §. *XVIII.* & Franc. Pagius *breuiar. chron. in Sabiniano papa* pluribus probant. Plura quoque exstant exempla eorum, qui adhuc laici, vel ex ordinibus minoribus ad presbyteratum vel episcopatum, omissis ordinibus intermediis, promoti sunt. Scilicet vetus ecclesia ordines ad vsum conferre solebat; & si quis maiori gradu dignus erat, statim eo donabatur, vt plurimum omissis ordinibus intermediis, idque quia inferiores gradus maioribus inesse credebantur.

§. V. Sed temporis lapsu mutata est disciplina, & omnes ordines etiam minores ad vim & veluti integritatem

(a) Sane Martinus Turonensis & Felix Nolanus ambo exorcistae in presbyteros creuerunt. Et Origenes, Macedonius anachoreta, Paulinus, Augustinus aliique adhuc laici presbyteratu initiati sunt. Antonius adhuc lector Fussalensis episcopus creatur. August. *epist. CCLXI. ad Caelestin.* Et Nectarius statim a baptismo Constantinopolitanus episcopus ordinatus est. Socrat. *lib. V. cap.* 8. In his aliisque exemplis opinatur Thomassinus *de vet. & noua eccles. discipl. par.I. lib.2. cap.36.* in eadem liturgia omnes ordines maiores fuisse collatos, tantumque scriptores supremi gradus meminisse, quod veteribus omnibus notum esset, inferiores gradus non posse praetermitti. Sed secundus libellus ordinis Romani vnam & pro diaconis & pro presbyteris electis in pontifices praescribit ordinationem: atque adeo suspicari non patitur, plures sacros ordines in vna liturgia conferri consueuisse.

tem maiorum coeperunt pertinere. Ita factum, vt omnes continua serie praemitti debeant, nec amplius ordinum omissiones audiantur (*b*). Et hinc nonum ius inuectum, ne scilicet ordines *per saltum*, hoc est ex intermediis vno vel pluribus omissis, conferantur. Per saltum ordinati suppletis prius ordinibus omissis indulgentia episcopi in ordine suscepto ministrabunt, & ad maiores ordines promouentur, *cap. vn. ex. de cler. per salt. promoto*: modo in ordine per saltum suscepto non ministrauerint, nam si ministrauerint, summus pontifex tantum veniam indulget. Trident. *sess. XXIII. de ref. cap.* 14.

§. VI. Iam stata interstitiorum tempora episcopi ex iusta caussa contrahunt, veluti si satis probata sit fides ordinandorum, aut si necessitas vel vtilitas ecclesiae suadeat. Conc. VIII. oecum. *can.* 5., Trident. *sess. XXIII. de ref. cap.* 11, 13. & 14.: nec probari potest episcoporum facilitas duos aut omnes minores ordines ex nulla caussa simul conferentium, quasi Tridentini patres eorumdem interstitia ipsorum arbitrio remiserint. Verum non licet episcopis indulgere, vt duo sacri ordines eodem die conferantur, *cap.* 15. *ex. de temporibus ordinat.* Quin etiam iis non licet duobus consequentibus diebus, qui fictione canonica pro vno reputantur, duos sacros ordines con-

(b) Graeci nono saeculo ex moribus iamdiu receptis omnes inferiores ordines praemittebant; at Latini hac ipsa aetate diaconos omisso presbyteri gradu episcopos creabant. Vitio certe Latinis vertebat Photius, quod diaconos ad episcopatum proveherent presbyteratu omisso, quod Nicolaus papa *ep. LXX.* testatur. Calumniari Graecos Ratramnus reposuit: at Aeneas Parisiensis episcopus factum non negat, vsumque probare conatur, vel quod presbyteratus eminenter in episcopatu contineatur; vel quod Romani Hieronymo adsentiantur, presbyteros ab episcopis minus secernenti. Sed deinceps saeculo vndecimo in ecclesia Romana disciplina mutata est, ordinumque omissiones vetitae sunt: obseruatque Franc. Pagius *breuiar. hist. chron. in Sabiniano*, ex diaconis in pontifices electis primum Gregorium VII. prius presbyteratu initiatum, & sequenti die in pontificem fuisse consecratum.

conferre, veluti si quis sabbato ordinationis ad vesperam diaconus, & sequenti die dominica presbyter continuato ieiunio ordinetur, *cap.* 13. *ex. eod.*

CAPVT XXX.

De temporibus ordinationum.

§. I. PEr tria priora & amplius saecula ordinationes clericorum etiam maiorum nullis certis diebus fuerunt adstrictae, sed, prout opus erat, quilibet ordinabatur. Christ. Lupus *schol. in quaedam decreta S. Leonis IX. decr. III.* Sed post pacem ecclesiae datam sensim invaluit in ecclesia Latina, vt ordinationes episcoporum, presbyterorum & diaconorum die dominica haberentur: quae disciplina initio quinti saeculi iam recepta erat. Leo M. *ep. XI. edit. Quesn.* (*a*).

§. II.

(a) Verba Leonis M. sunt: *vt his qui consecrandi sunt, numquam benedictio nisi in die dominicae resurrectionis tribuatur, cui a vespera sabbati initium constat adscribi.* Nomine *dominicae resurrectionis* non *diem paschae*, sed quamlibet diem dominicam Leo M. intelligit, idque de more veterum, qui, vt obseruat Quesnellus *diss. VI. de ieiunio sabbati*, quamlibet dominicam *resurrectionis diem*, diem vero paschae *sanctum pascha* & *paschalem festiuitatem* dicere solebant.

Porro eadem epistola Leo M. docet, ex apostolica traditione esse die dominica *sacerdotales*, hoc est episcoporum & presbyterorum, *&* *Leuiticas* ordinationes celebrari: & hinc Dioscoro Alexandrino inculcat, vt etiam die dominica ordinationes habeat. Sed primis saeculis quouis die altaris ministri etiam episcopi creari solebant. Et fortasse Leo M. mores in Romana ecclesia tum receptos apostolicam traditionem dixit, quod familiare Leoni esse, Quesnellus & Antonius Pagius obseruant. Nec vlla esse potest fides *pontificalis Romani*, quando celebratas a Romanis pontificibus etiam post Constantinum ordinationes mensi Decembri addicit.

§. II. Haec vero disciplina de consecrandis qualibet dominica presbyteris & diaconis non diu integra stetit. Etenim ante finem saeculi quinti presbyterorum & diaconorum ordinationes sabbatis quatuor sollemnium anni temporum & sabbato mediae quadragesimae, & quidem circa vesperam, addictae sunt. Gelas. papa *ep. IX. ad episc. Lucaniae cap.* 11. Optimum certe visum pontificibus in statis ieiuniorum temporibus ordines conferre, vt ita ecclesia accederet ad mores apostolorum, qui ieiunantes & orantes manus diaconis imposuerunt. Sed lapsu temporis sabbati mediae quadragesimae ordinatio in sabbatum sequens ante dominicam passionis transiit. V. Christ. Lupum *schol. in cit. decr. III.*

§. III. Praeter quinque sollemnia ordinationum tempora a Gelasio recensita, a multis saeculis etiam sabbato sancto presbyteri & reliqui inferiores clerici creantur. Ex veteri disciplina sabbatum magnum & dies paschae baptismo sollemni & eius caerimoniis erant addicta, atque ideo in iis ordinationes celebrari non poterant. V. Quesnel. *not. in cit. ep. XI. Leonis M.* Inde saeculo decimo secundo inter legitima sacrandis ministris tempora sabbatum sanctum relatum est, *cap. 3. ex. de temporibus ordinationum* (*b*). Atque ex hoc tempore sex apud Latinos (*c*) fuerunt ad habendas ordinationes stata tempora, quatuor nempe sabbata quatuor temporum, sabbatum *Sitientes*, & sabbatum sanctum, in quibus non noctis tempore

(b) Nimirum saeculi decimi secundi scriptores *dominicam resurrectionis*, quae a vespera sabbati incipiebat, apud Leonem M. pro sollemnitate paschali falso videntur accepisse: nec animaduertentes Gelasiano decreto antiquae derogari disciplinae, nouum habendis ordinationibus diem induxerunt, praesertim quod baptismi sollemnitas, si quae supererat, ferme paroeciarum presbyteros occuparet.

(c) Graeci ex antiquissima disciplina nullum habendis ordinationibus diem addictum habent, *cap. 9. & 11. ex. de tempor. ordinat.* Quin nec poterant Graeci formam celebrandarum ordinationum a Leone M. propositam admittere; nam praeter vnam paschae vigiliam nulla sabbata ieiunant.

pore (*d*), sed horis matutinis inter missarum sollemnia ordines conferuntur.

§.IV. Sed quod spectat ad episcoporum consecrationes, eae quouis die dominica etiam hodie celebrantur, & quidem hora diei tertia. Haec vero hora saeculo ferme nono praestituta est, quod tum apostoli spiritum sanctum accepissent. Celebrantur etiam in natalitiis apostolorum: & diebus festis, si summus pontifex id speciatim indulserit, vt ex pontificali Romano constat.

§. V. Statis ad habendas ordinationes temporibus praecipue creari debent presbyteri, diaconi & hypodiaconi. Nam minores ordines diebus dominicis & festis conferri possunt, ita tamen vt *vnum, aut duos ad minores ordines* episcopi promoueant, vt Alexander III. rescripsit, *cap.* 3. *ex. de tempor. ordinationum:* quod ita intelligunt interpretes, licere iis diebus etiam plures minores clericos creare, modo generales non celebrentur ordinationes.

(d) Ex veteris disciplinae regulis sacrorum ministrorum consecratio potius nocte, quam claro die solebat celebrari, incipiebatque sancta caerimonia a vespera sabbati, & vsque ad matutinas diei dominicae horas poterat continuare. Leo M. *epist. XI. edit. Quesn.*, Gelas. papae *epist. IX. ad episcop. Lucaniae cap.* 11. Varias mysticasque huius instituti rationes Quesnellius, Hallierius aliique adsignant; sed potissima videtur fuisse difficultas continuandi ieiunii vsque ad dominicae diei lucem. V. Lupum *sch. in decret. III. Leon.IX.* Nimirum ieiunis per ieiunos conferri ordines ecclesia voluit, & quidem die dominica in sacra liturgia. Itaque & consecratores & consecrandos a vespera feriae sextae vsque ad lucem dominicae diei ieiunos esse oportebat; nam secundum legalem synagogae legem sole occidente ecclesia diei initium faciebat. Hinc ne continuatio ieiunii satis incommodo esset, nox sabbatum sequens habendis ordinationibus destinata est: atque ideo missa, in qua ordines dari consueuerant, noctis tempore celebrabatur. Sed post saeculum decimum tertium sensim vespertinae ieiunorum missae apud nos celebrari desierunt, & ita generales presbyterorum, diaconorum & inferiorum clericorum ordinationes vna cum missis ad matutinas sabbati horas transierunt.

Vt vero presbyteri, diaconi & hypodiaconi extra tempora ordinari possint, indulgentia opus est, quam solus pontifex concedit.

CAPVT XXXI.

De titulo ordinationis.

§. I Ordinatio omnis *ad titulum* fieri debet, seu cum designatione ecclesiae, cui ordinatus debet inseruire (*a*). Nimirum antiqua est disciplina, quae clericos omnes certis ecclesiis adstringit, vbi perpetuo deseruiant, ne confusio in ecclesiam inducatur: quam disciplinam synodus Chalcedonensis *can. VI.* confirmauit, quo ακυροι seu irritae & vanae declarantur ordinationes *absolutae*, hoc est sine titulo peractae (*b*). Alio nomine ordinatio ad titulum *loco fundata*, & ipsi clerici *locales* dicebantur. Leo M. *ep. II. ad Rustic. edit. Quesnel.*

§. II. Ecclesia autem, cui in ordinatione clerici debebant addici, erat ecclesia ciuitatis, vel pagi, vel martyrium, vel monasterium. Conc. Chalced. *can. VI.* Ecclesiae pagorum erant paroeciae, quae tertio saeculo in agris erant institutae. Martyrii nomine veniebant oratoria

(a) Nomine *tituli* apud ecclesiasticos scriptores veniunt ecclesiae a titulis fortasse sanctorum, quibus dicabantur, vel quia inde nomen titulumque suum clerici desumebant.

(b) In veteri disciplina reperiuntur aliqui sine titulo ordinati, quales Hieronymus, Macedonius notissimus anachoreta & Paulinus Barcinonensis, qui sine titulo presbyteri consecrati sunt. Haec & alia similia ordinationum sine titulo exempla ob bonum ecclesiae vniuersalis facile possunt excusari. Nempe saepe summi viri ordines respuebant, quod vitam solitariam aut liberam amarent. Vt ergo ordinationi consentirent, aliquid de rigore disciplinae episcopi remittere aequum iudicarunt, atque adeo eos absolute ordinare, qui sapientia & pietate sua ecclesiae seruirent vniuersae.

ria super martyrum sepulcra exstrui solita, ad quae sacrorum caussa aliquando vniuersus populus conueniebat. Et monasteria habebant etiam sua oratoria, in quibus caussa monachorum sacra celebrabantur. Institutis beneficiis saepe canones iubent, clericos ad *titulum beneficii* ordinari, sed beneficium idem est ac titulus ecclesiae; nam beneficia perpetuo ecclesiis clericos addicunt.

§. III. Facta ad titulum ordinatio clericos ecclesiae & episcopo perpetuum adstringebat: & ita clerici omnes vna & perpetua in ecclesiis suis lege immorari tenebantur, conc. Arelat. I. *can.* 21., Carthag. III. *can.*37., nec eas sine proprii episcopi venia poterant relinquere, & ad alias ecclesias proficisci, *can. XV. apostolor.* Et in hunc finem olim inductae erant *litterae dimissoriae*, quibus episcopi clericos ecclesiis suis addictos dimittebant, & in alias ecclesias transire patiebantur. Conc.Trullan.*can.XVII.* Multo minus licebat clericis de loco in locum vagari; semper enim ecclesia clericos instabiles & vagantes damnavit. Nec permittebatur, vt duabus ecclesiis vnus clericus eodem tempore adscriberetur, nisi in villis ob hominum penuriam. Conc. Chalced. *can. X.*, Nicaen. II. *can.* 15. Ecclesiae vero suae addicti clerici ab eadem accipiebant victualia; iustum enim erat, vt qui altari seruiebant, de ipso altari viuerent.

§.IV. Disciplina, quae clericos omnes ad titulum ordinari praecipiebat, ordinatosque in designata sibi ecclesia perpetuum immorari, per vndecim ferme saecula stetit. Sed deinceps sensim abruptus est nexus ecclesiam inter & clericos, frequentesque euaserunt sine titulo ecclesiastico ordinationes: quae innouatio facta est postquam beneficia seorsum ab ordinatione data sunt. Ergo synodus Lateranensis sub Alexandro III. ad disciplinae reparationem statuit, vt si episcopus presbyterum aut diaconum sine certo titulo ordinaret, *tamdiu ei necessaria vitae subministret, donec in aliqua ecclesia ei conuenientia stipendia militiae clericalis adsignet: nisi talis ordinatus de sua vel paterna hereditate subsidium vitae possit habere*, *cap.* 4. *ex. de praebend.* Hoc decreto synodus Lateranensis ordinationes ad titulum restituere intendebat, poena alendi sine titulo ordinatos episcopis irrogata.

§. V. Sed quis crederet! hoc ipsum decretum occasionem videtur praebuisse, vt titulus ordinationis pro maxima parte remitteretur. Nimirum onere alendi clericos sine titulo ordinatos secundum canonem Lateranensem episcopi soluti erant, quo casu ipsi ordinati de sua vel paterna hereditate alimenta haberent. At canonis sententiam non intelligentes eius aetatis interpretes, inde concluserunt, posse episcopos etiam sine ecclesia clericos ordinare, modo ipsi clerici diuites essent (c). Ita inductus *patrimonii titulus*, receptumque, licere episcopis pro arbitrio ad ecclesiae vel patrimonii titulum clericos ordinare, *cap. 23. ex. de praebend.* Hinc solutus est nexus ecclesiam inter & clericos, clericorum vagantium & inertium frequentia innumerabilis emersit, & exinde titulus ordinationis, qui antea denotabat ecclesiam, cui clerici perpetuum deseruirent, acceptus fuit pro reditibus, vnde clerici haberent alimenta. Espen. *par. II. tit. 9. cap. 6.*

§. VI. His incommodis tandem Tridentini patres obviam iuerunt edito decreto, quo statuitur, neminem saecularem clericum ad sacros ordines deinceps promoueri, nisi ecclesiasticum habeat beneficium ad vitam sufficiens, quod resignari non possit, nisi aliunde resignantibus sit ad vitam satis; patrimonium vero vel pensionem habentes non ordinari, *nisi pro necessitate, aut commoditate ecclesiarum;* insuper pensionem aut patrimonium esse sufficientia, nec posse alienari, nisi tantumdem patrimonii aut beneficii adquiratur. Trident. *sess. XXI. de ref. cap. 2.* Cui disciplinae iidem patres maius robur addere volentes, deinceps *sess. XXIII. de ref. cap. 16.* renouato canone VI. Chalcedonensi, statuerunt, neminem deinceps clericum ordinari, qui certae ecclesiae non adscribatur, vbi muneribus

---

(c) Accessit huic iuuandae sententiae versio canonis VI. Chalcedonensis apud Gratianum *can. 1. D. 70.: neminem absolute ordinari . . . . nisi in ecclesia ciuitatis, siue possessionis.* Nempe nomine *possessionis* intellexerunt patrimonium, quum tamen *possessio* eo loci (vt etiam apud bonos auctores) vicum siue pagum significat: *χωρη* enim, cui respondet possessio, in canone Graeco vicum denotat, opponiturque ciuitati.

neribus fungatur suis, ne instabilis & incertus vagetur. Satis erant haec decreta ad disciplinam sustinendam; at episcopi faciles iudices in aestimanda necessitate aut vtilitate ecclesiarum plures crearunt clericos, quam seruitium earum postulabat. Ergo iterum redierunt incommoda, tandemque apud nos pactis conuentis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum *cap. IV. n. 1. &* 3. placuit, omnes ordinari ad titulum beneficii, tantumque in vera necessitate, aut vtilitate ecclesiarum licere patrimonii titulo clericos creare.

§. VII. Iam absolutae ordinationes ex sententia veterum canonum *ακυροι irritae* & *vacuae* erant. Conc.Chalced. *can. VI.*, *can.2. D. 70. Irrita* vero & *vacua* in veteri disciplina videtur fuisse ordinatio, quae nulla esset ab initio, vt Zonaras & Balsamon recte interpretati sunt; quamuis post saeculum decimum secundum coeperint Latini irritas & vacuas ordinationes sic interpretari, quae vacuae vsu essent, sed quae ab initio valerent. At iure decretalium nec vsu vacuae pronuntiantur absolutae ordinationes, sed tantum coguntur episcopi alere maiores clericos absolute ordinatos, qui de suo non habent, vnde viuant, *cap.4. ex. de praebend.* Tridentini patres *sess.XXI. de ref.cap.2. antiquorum canonum poenas* renouarunt: quibus verbis renouatum ius decretalium, non antiquos canones reuocatos, sacra concilii congregatio declarauit apud Fagnanum, quo iure nunc vtimur. Sed si clerici per fraudem falsum titulum obtrudant, tum ordinati clerici ab ordinibus susceptis suspenduntur (*d*).

CA-

(d) Sed non tantum in inferioribus clericis, verum etiam in episcopis ordinationes absolutae vsurpatae sunt, & hinc exorti episcopi *titulares*, qui ordinantur ad titulum ecclesiae, cui nec intendunt, nec possunt deseruire. Et ita dicuntur *titulares* non a titulo, seu ecclesia, sed a nudo episcopi titulo, seu nomine, vel potius dicuntur *titulares*, vt lucus a luce deriuatur. Initio creati titulares episcopi quadam oeconomia & indulgentia in ecclesiis, quas barbari, eiectis propriis episcopis, occupauerant: quod enim spes erat, deperditas vrbes recuperandi, vbi mortui erant eiecti episcopi, censuit ecclesia, nouos episcopos crea-

 re.

CAPVT XXXII.

De episcoporum translationibus & renuntiationibus.

§. I. SAncta & indiuulsa esse debet episcopi & clericorum omnium cum ecclesia sua coniunctio, nec quauis ratione facile solubilis. Et hinc episcopi & clerici semel ecclesiis suis adscripti eas relinquere vetantur, & ad alias transire. Sane propter tumultum & seditiones edixit synodus Nicaena *can. XV.*, *vt de ciuitate in ciuitatem non episcopus, non presbyter, non diaconus transferatur.* Quam eamdem regulam synodus Antiochena *can. XXI.* & Sardicensis *can. I. & II.* confirmant. Nullus certe inventus est, qui de ciuitate maiore ad minorem transire postulauit; atque hinc merito concludendum, ambitione agi episcopos, qui sedem mutare appetunt.

§. II. Quod si iusta caussa episcopum transferri suadeat, tum translatio permittenda est. Conc. Carthag. IV. *can.* 27. Vetitae enim translationes tum sunt, si ab auaritia & ambitione, non si ab ecclesiae vtilitate proficiscantur. *Non mutat sedem*, inquit Pelagius II. *can.* 35. *C.* 7. *q.* 1.

re. Sed inde lapsa omni spe deperditas vrbes recuperandi, in nudum episcopi nomen etiam pro iis vrbibus, quae populo christiano carebant, Latini episcopos crearunt, tantum ad personas decorandas. Ambitu eorum, qui ex religione quaestum faciunt, magno numero creuerunt vmbratiles episcopi, & praesertim mendicantes, ad professam religionem veluti excutiendam, ad tantum nomen conuolarunt. Espen. *par. I. tit.* 15. *cap.* 3. *n.* 17. In compertis interim est, absolutas episcoporum ordinationes sacris canonibus aduersari. Et recte Fagnanus ad *cap. ex parte ex. de cleric. non resident.* adfirmat, *creare episcopos titulares sine rationabili caussa, & eo tantum fine, vt ea dignitate alicuius persona qualificetur, seu decoretur, abusionis est.*

7. q. 1., qui non mutat mentem, ideſt qui non cauſſa auaritiae, aut dominationis, aut propriae voluntatis, vel ſuae delectationis migrat de ciuitate in ciuitatem, ſed cauſſa neceſſitatis, aut vtilitatis mutatur. Et reapſe ſexcenta exſtant in antiquis monumentis exempla epiſcoporum ſynodi auctoritate ab vna ad aliam ſedem translatorum.

§. III. Peractas ſine cauſſa translationes Nicaeni patres irritas fecerunt; at ſynodus Sardicenſis vlterius proceſſit, & ne *laica* quidem *communione* in fine translatos epiſcopos donari voluit, hoc eſt, nec in morte a peccatis abſolui, & in eccleſiae pacem reſtitui. Ita facinus translationis inter crimina relatum, quibus etiam in morte vetus eccleſia abſolutionem denegabat. Quarto ſaeculo opera Arianorum paſſim epiſcopi ad augendas partes haereticorum transferebantur; & hinc ſynodus Sardicenſis ſeueriſſima poena translationes transfixit (*a*).

§. IV. Porro epiſcopi non minus, quam reliqui clerici vetantur proprio arbitrio eiurare epiſcopatum, & deinceps vitam ducere priuatam. Nexus enim eccleſiam inter & epiſcopum in ordinatione contractus natura ſua perpetuus erat, nec tam commodum epiſcopi, quam eccleſiae ſalutem ſpectabat. Sed ſi eccleſiae neceſſitas aut vtilitas vrgeat, epiſcopi recte abeunt epiſcopatu: *Longe eſt glorioſius*, inquit Auguſtinus *ep.CCXXXVIII.*, *epiſcopatus ſarcinam propter eccleſiae vitanda pericula depoſuiſſe, quam propter regenda gubernacula ſuſcepiſſe*. Sex autem canonicae ceſſionis epiſcopatus cauſſae ab Innocentio III. recenſentur *cap.*10. *ex. de renuntiatione*, in quibus vna viget vtilitas eccleſiae; nimirum conſcientia criminis grauioris, cui illigata eſt irregularitas, corporis debilitas ſe-

 nio

(a) Per plura ſaecula Romae inauditae translationes, vbi primum eius rei exemplum ſub finem noni ſaeculi dedit Formoſus ab eccleſia Portuenſi translatus in Romanam. Sed eo nomine Formoſi cadauer e ſepulcro erutum & degradatum Stephanus VII. in Tiberim proiecit: qua infanda barbarie odio potius priuato, quam canonibus Sardicenſibus ſatisfecit: Formoſus enim potius eccleſiae neceſſitate, quam ambitione in eccleſiam Romanam translatus eſt.

nio vel morbis inuecta, defectus scientiae in episcopis necessariae, contumacia gregis, qui ex propria malitia a pastore suo diffidet, reparatio scandali occasione episcopi suborti, & irregularitas. Quibus addi potest studium procurandae pacis ecclesiae; salus enim ecclesiae est suprema lex ecclesiastica.

§. V. Iam ex canonicis caussis admissae episcopatus cessiones simplices & purae esse debent, non in alicuius personae gratiam & fauorem conceptae. Edicunt certe canones, ne episcopi sibi eligant successores. Conc. Antioch. *can. XXIII.*; officia enim ecclesiastica eius generis non sunt, vt qui ea tenent, pro lubitu disponere possint. Origen. *hom. XXII. in Numer.* Verum non videtur negatum optimis episcopis, qui pro bono ecclesiae abeunt episcopatu, legitimis superioribus commonstrare, quem ad ecclesiam gubernandam iudicant aptionem.

§. VI. Veteri stante disciplina cessiones & translationes episcoporum iudicio conciliorum prouincialium ex iusta caussa fiebant. Speciatim vero in translationibus praecedere debebat canonica electio, & principum consensus etiam erat necessarius. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. II. lib. 2. cap. 62.* Verum circa saeculum decimum sensim nouum ius inualuit, vt cessiones & translationes episcoporum sola pontificum auctoritate decernerentur. Falsae decretales, quae concilia prouincialia sine consensu pontificis haberi non patiebantur, & metropolitani officio suo non recte fungentes, cessiones & translationes episcoporum longo vsu pontifici videntur reseruasse. Nouo huic iuri vim addidit Innocentius III. duabus praesertim decretalibus, quibus iure diuino depositiones, cessiones & translationes episcoporum pontifici docet reseruatas, *cap. 2. & 3. ex. de translat. episc.* (b).

CA-

(b) Ius hoc diuinum duabus praesertim rationibus Innocentius adstruit: vna quod ex antiquitate & decretis patrum constat, Christum sibi & vicariis suis speciali priuilegio episcoporum translationes reseruasse: altera, quod inter ecclesiam & episcopum sit spiritale coniugium diuina tantum auctoritate, qua in terris funguntur pontifices, non secus ac carnale, dis-

sol-

CAPVT XXXIII.

De sanctitate & virtutibus clericorum.

§. I. HActenus de sacris ordinationibus, dicendum nunc de clericorum officiis, quae eorum vitam spectant & morum institutionem. Etenim non satis est, quemlibet clericum sui ordinis officium explicare; sed etiam necesse est, vt gradu suo dignam ducat vitam, & ab iis abstineat, quae vel a sacro ministerio distrahunt, vel notam quamdam sacerdotio inurunt. Longe distat sacerdotium a plerisque artibus mechanicis, quae plerumque vsu praeceptorum artis continentur, nec aliquid a morali artificum vita mutuantur; nam sacerdotium requirit etiam vitae sanctitatem & in actionibus externis decorum. Et haec est vita moralis clericorum, ad quam instituendam & formandam tot canones ecclesia condidit, & patres tot egregios commentarios elucubrarunt.

§. II. Vita clericorum sic debet esse comparata, vt omnino sancta sit. Ecclesiasticum ministerium requirit in ministrantibus angelicam puritatem. Deinde sacerdotes moribus & exemplo suo debent ceteris christianis in vita instituenda praelucere. Et recte obseruauit Nazianzenus *orat. I. de fuga*, antistitum improbitatem facilius christianorum

solnendum. Sed benigna interpretatione rationes istas oportet accipere. Nam ex antiquitate non constat, episcoporum translationes iure diuino pontifici fuisse reseruatas. Et forte Innocentius spectauit ad fictam, & inde posteriori manu corruptam, Anteri decretalem apud Gratianum *can.* 34. Q. 7. *q.* 1. Porro si ex carnali coniugio de spirituali inter ecclesiam & episcopum iudicandum, vix est, vt summi pontificis auctoritate decerni possint cessiones & translationes episcoporum; non enim iure pontifices irritum facere possunt carnale coniugium ratum & consummatum.

norum animos occupare, quam pestem per aërem diffundi. Hinc in veteri disciplina criminosi clerici, etiamsi crimen occultum esset, statim cadebant sacerdotio, nec vlla supererat spes ad gradum amissum recuperandum. Sed lapsu temporis inualuit, vt criminosi clerici praesertim si agatur de criminibus occultis, quibus irregularitas attexta non est, post condignam poenitentiam ordinibus & ministerio suo vtantur, *cap.* 4. *ex. de tempor. ordinat. cap.* 4. *ex. de cleric. coniugatis*.

§. III. Nec tantum integri vitae scelerisque puri clerici esse debent, verum etiam actionibus suis nullam occasionem praebere de se male suspicandi. Non satis est illis bonam coram Deo seruare conscientiam, sed etiam apud homines rebus honestis studere debent. Bona vita ipsis necessaria est, aliis etiam bona eorum fama. Et hinc sacris canonibus cauetur, ne episcopi & reliqui clerici ad virgines & viduas soli accedant, sed grauibus viris stipati. Conc. Carthag. III. *can.* 25. Et veteres canones vetant, clericos domi habere mulieres, quae non sint de eorum propinqua cognatione. Conc. Nicaen. *can.III.* Arelat.II. *can.*3. (*a*). Quod si clerici adhibito studio recte actio-

(a) In hac parte officii clericalis, quae etiam in externis actionibus honestatem postulat, clerici in veteri disciplina diu peccarunt, quod domi suae alerent mulieres *subintroductas*, quae alias dicebantur *agapetae* & *sorores*, a dilectione nempe & sotorio consortio, quod prae se ferebant. Erant subintroductae neque vxores, neque concubinae, sed tertii generis mulieres, quas clerici pietatis studio, seu potius praetextu, domi suae fouebant. Itaque clerici cum agapetis eadem domo morabantur, saepe etiam vno dormiebant lectulo, & interim suspiciosos alios vocabant, quod male cogitarent, quod Hieronymus testatur *epist.XXII. ad Eustoch. cap.* 5. Ipsae quoque ecclesiae virgines saepe sibi quaerebant vel ex clericis, vel ex laicis agapetos. Cypr. *ep. LXII. al. IV.* Consuetudo ista prorsus infamis erat, vbi clerici speciosas adolescentulas sibi in agapetas adiungere coeperunt. Interim plures canones agapetas habere clericis interdixerunt, conc.Nicaen. *can.III.*, Ancyran. *can. XIX.*, tantumque synodus Nicaena clericis permisit secum habere matrem, vel sororem, vel amitam, vel alias mulieres, quae suspi-

actiones suas componant, & tamen, quae est hominum improbitas, alii etiam male opinentur, in hac specie contemtis sinistris opinionibus, conscientiae puritate debent seipsos consolari. August. *de bono viduitat. cap. XXII.*

§. IV. Integra vita & a suspicionibus libera facit, vt clerici fugere debeant vitia quaedam, quae criminum sunt seminaria fecundissima. Ergo vetantur clerici aleis ludere, *can. apost. XLI.* : *aleae* autem nomine veniunt ludi omnes, qui ab ancipiti fortunae euentu pendent, quique criminum maximorum caussa sunt, & familias pessumdant. Item clerici a crapula & ebrietatibus, quae mentem alienant, debent abstinere: & hinc sic dicti apostolici canones deponi iubent clericos ebrietatibus vacantes, *cit.can.XLI.* Item clerici vetantur etiam tabernas intrare, nisi in itinere fuerint, *can.* 2. & 4. *D.* 44. Vetantur quoque clerici ludis scenicis & spectaculis interesse, *L.*34. *C. de episc. aud.* Erant theatra apud ethnicos Veneris templa & christianae religioni omnino aduersa: & quamvis sub imperatoribus christianis multum de veteri superstitione & licentia deposuerint ; tamen leuitatem & ad peccandum illecebras retinuerunt (*b*).

§. V.

---

spicionem effugiunt. Quin synodus Moguntina seu potius Nannatensis anno ıↃcccxıı. etiam clericis interdixit secum habere matrem, amitam, sororem, quia instigante diabolo cum illis, aut saltem cum earum pedissequis, scelus constat admissum, *cap.* 1. *ex. de cohabit. clericor. & mulier.*

Inde vsque a primis saeculis apud christianos fuerunt agapetae, quae initio fuerunt viduae aetate signatae, atque adeo eiusmodi consortium innocens erat, quod ex Tertulliano *de monog. cap. XVI.* constat. Videntur inter clericos receptae agapetae a moribus Iudaeorum, apud quos sollemne fuit, vt mulieres magistros comitarentur, & de substantia sua eisdem ministrarent. *Consuetudinis Iudaicae fuit*, inquit Hieronymus *in Matth. lib.IV. cap.* 27., *nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, vt mulieres de substantia sua victum atque vestitum praeceptoribus ministrarent*. At mos, qui initio nec inter christianos turpi macula laborabat, inde per humanam infirmitatem in pestem degenerauit.

(b) Mediis saeculis in tanta morum corruptione eo ventum,

vt

§. V. Vitae sanctitati addere clericos oportet virtutum omnium apparatum, vt ita per omnia ornati & perfecti sint. Ergo clerici debent esse hospitales, parati scilicet ad peregrinos excipiendos & fouendos, Hieronym. *ep. II. ad Nepotian.*; & in omnibus actionibus, speciatim in gestibus & verbis, pudici. Item clerici omnes, & praesertim episcopi & beneficiarii, sobrii & frugales in victu, & in vestibus ciuilibus modesti esse debent, vt necessariis tantum contenti, delicias in cibis non quaerant, nec pompas in vestibus. Et certe clericorum vocationi cum mundanis pompis non bene conuenit: & nefarium omnino est, Christi & pauperum patrimonium in superfluos & vanos sumtus impendi. Ad rem patres synodi IV. Carthaginiensis *can.* 15., *vt episcopus vilem supellectilem & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suae auctoritatem fide & vitae meritis quaerat*. Digna certe christiano sacerdotio doctrina.

§. VI. Praeterea animi magnitudine & zelo clerici praediti sint, oportet, vt in caussis Dei & religionis defensione pugnaces sint & fortes, quatenus tamen eorum vocatio finit & permittit. Et hinc, vbi agitur de tuenda religione, nullis inimicorum calumniis, conuiciis, insidiis cedere vmquam debent, exemplo Athanasii & Basilii, qui in fide Nicaena tuenda fortes & constantes fuerunt, nec vllis minis vinci passi sunt. Aliis quoque virtutibus clerici instructi esse debent, sed prudentia praesertim iis est necessaria: immo Christi sacerdotium prudentia destitutum damno potius, quam vtilitati christianorum cedit. Nimirum officia omnia clericorum ex cura animarum, quae ars est omnium difficillima, deriuantur: & hinc summa prudentia & arte ad eas regendas opus est: qua de re egregias regulas Nazianzenus *orat.I.* proponit.

CA-

vt etiam in ecclesiis ludi darentur theatrales, & ei insaniae in quibusdam anni festis ipsi clerici inseruirent. Hinc Innocentius III. tantam turpitudinem a domo Dei procul esse iussit, & clericos a ludibriis abstinere, *cap.12. ex. de vit. & honest. clericor.*

CAPVT XXXIV.

De habitu & tonſura clericorum.

§. I. Decorum in omnibus actionibus neceſſarium etiam in externo corporis cultu exprimere clericos oportet. Primis quinque faeculis clerici, non ſecus ac reliqui chriſtiani, receptis apud Iudaeos & gentes veſtibus vſi ſunt (a): tantum in earum vſu modeſtiam, proprio ſtatui conuenientem, expreſſerunt. V. Thomaſſ. *de vet. & noua eccleſ. diſcipl. par. I. lib.2. cap. 43. & ſeq.*

§. II. Mutatio veſtis clericalis in Occidente contigit, poſtquam Longobardi Italiam, & reliquae barbarae gentes alias Occidentis prouincias inuaſerunt; non quod ipſi clerici aliquid in hac parte mutaſſent, ſed quod dum barbari nouis curtiſque veſtibus vterenrur, ii antiquum veſtiendi morem retinuerint. Fleuryus *inſtit. iur. can. par.I. cap. 5.* Itaque exeunte faeculo ſexto clerici iam propriis veſtibus vtebantur, quod pluribus probat Thomaſſinus *loc. cit.*

(a) Sane durus per tria priora faecula chriſtianorum ſtatus certe non ſinebat, vt chriſtiani, & praeſertim clerici, qui ſumma cura ad ſupplicia quaerebantur, propriis & diſtinctis veſtibus vterentur. Porro antiqui ſcriptores, qui de re veſtiaria chriſtianorum mentionem faciunt, clericos receptis veſtibus indutos exhibent. Tertull. *de pallio*. V. Heinec. *exercit. I. de habitu apoſtolorum ſacerdotali cap.1.* §.6. Immo faeculo quinto adhuc clerici communibus veſtibus vtebantur: Caeleſtinus enim ſummus pontifex *epiſt.II. ad epiſcopos Viennenſ. & Narbon. cap.1.* acerbe carpit epiſcopos Gallicanos, qui, veſtibus communibus reiectis, ſe nouo amictu induebant. *Vnde hic habitus in eccleſiis Gallicanis, vt tot annorum tantorumque pontificum in alterum habitum conſuetudo vertatur? Diſcernendi a plebe vel ceteris ſumus doctrina, non veſte; conuerſatione, non habitu; mentis puritate, non cultu.* Memoranda certe verba, quae vtinam aliquando clerici intelligant!

cit. cap. 46. Nec enim erat ex ecclesiae grauitate mores barbarorum imitari, praesertim quod tum Romani pontifices imperio Graeco addicti, a Longobardis diffiderent. Similiter apud Graecos saeculo septimo clerici propriis vestibus erant donati, conc. Trull. *can. XXVII.*, quas tamen monachi magno numero ad episcopatum & clericatum adsumti sensim proprias clericorum fecerunt.

§. III. Porro quod spectat ad capillorum cultum & tonsuram, clerici per quinque priora & amplius saecula, non secus ac reliqui christiani, modesto tantum vsi sunt capillitio, non vllam peculiarem tonsuram gerere consueverunt. Hieronym. *lib. XIII. in Ezechiel. cap.* 44. (*b*).

§. IV. Sed temporis lapsu modesta breuisque clericorum coma abiit in tonsuram, quae detonso & inde etiam raso superius capite, inferius capillorum circulum relinquat (*c*). Certe Isidorus Hispalensis *de offic. eccles. lib. II.*

(b) Certe primis tribus saeculis, quando ad internecionem praesertim clerici quaerebantur, nulla capitis nota clericos insignes fuisse in compertis est. Et Optatus *lib. II. contra Parmen.* vitio vertit Donatistis, quod catholicorum sacerdotum capita raderent. Praeterea initio quinti saeculi corona clericali clericos non fuisse donatos constat illustri Hieronymi testimonio, qui *lib. XIII. in Ezechiel. cap.* 44. docet, clericos non rasis capitibus, sicut sacerdotes Isidis atque Serapis, esse debere, nec rursus more luxuriosorum & barbarorum & militum comam demittere; sed ita capillos attondere, vt operta sit cutis.

(c) Id ex tonsura monachorum videtur deriuasse. Nimirum vt plurimum monachi casta informitate & inaequaliter capillos ad cutem tondebant, vt ludibrio hominibus essent. Paulin. *ep. VII.*, Saluian. *de gubernat. Dei lib. VIII.* Sic detonsi monachi tandem perspecta eorum sanctitate fuerunt admirationi, & ad clerum adsumti pristinum capillorum cultum seruarunt, eosque alii clerici coeperunt imitari. Ne vero informis tonsura clericos deformaret, eam in meliorem formam adornarunt, quae aequaliter detonso superius capite, inferius capillorum circulum relinquat. Interim etsi clericalis corona non admodum antiqua esset, tamen eius auctorem statim S. Petrum fecerunt, Gregor. Turonens. *de glor. martyr. lib. I. cap.* 28., eamque *a tonsura Paulli*, quae ab Oriente per Theodorum monachum in Angliam

*II. cap.*4. & synodus Toletana IV. anno IↃCXXXVI. *can.*41. tonsuram clericorum ita debere esse docent, vt detonso superius toto capite, inferius sola circuli corona relinquatur. Interim aequalis in omnibus clericis tonsura videtur fuisse, nec adhibebatur nouacula, quae verticem capitis omnino denudaret; sexti enim & septimi saeculi scriptores caput superius tonsum, non rasum memorant. Saeculo octauo clericorum capiti nouacula accesserat, & desuper caput in modum sphaerae radebatur. Et ex hoc tempore videntur clerici totum caput superius rasisse, donec tandem inductum, vt cuique ordini tonsura responderet, *cap.* 15. *ex. de vit. & honest. cleric.*

§. V. Iam vero postquam clerici habitu & tonsura a laicis distincti sunt, ad eorum officium pertinuit, habitum & tonsuram clericalem tamquam insigne propriae vocationis deferre. Hinc praecepit Alexander III., vt clerici, qui barbam & comam nutrirent, etiam inuiti a suis archidiaconis tonderentur, *cap.* 7. *ex. de vit. & honest. clericor.* Et decretis synodi Tridentinae *ses. XXIII. de ref. cap. 6.* fori priuilegio priuantur clerici, qui ecclesiis non deseruiunt, nec habitum & tonsuram clericalem deferunt: quod ius apud nos pactis conuentis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum confirmatum est, *cap. IV. n.* 8.; placuit enim clericos primae tonsurae & minores quotannis apud episcopum probare debere, se habitum & tonsuram clericalem detulisse, & vitam vixisse clericalem, alias eorum nomina ab albo clericorum expungi, & clericalibus priuilegiis non gaudere.

CA-

gliam allata totum caput radebat, nulla corona relicta, distinxerunt. Beda *lib. IV. cap.* 1. Et ne mystici sensus deessent, tonsura significari dixerunt regale Christi sacerdotium, aut spineam Christi coronam.

CAPVT XXXV.

De saecularibus negotiis, a quibus clerici se debent abstinere.

§. I. INtegra vita scelerisque pura & omnium virtutum apparatus veram clericorum honestatem constituit. Verum sunt quaedam ciuilia negotia, a quibus clerici alieni esse debent, non quod ipsa turpia sunt, sed quod a sacro ministerio distrahunt. Et sane, vt vere obseruat apostolus 2. *ad Timoth. II. v.* 4., *nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus, vt placeat ei, cui se probauit*. Quibus verbis spectauit Paullus ad leges militares, quae milites negotia ciuilia suscipere prohibebant. Tam amplum est sacerdotis ministerium, vt totum hominem requirat, nec facile ad alia negotia distractionem concedat.

§. II. Principio instituto clericorum non conuenit negotiatio quaestuosa, quae lucri caussa exercetur. Conc. Carthag. III. *can.* 15., *cap. 6. ex. ne clerici vel monachi.* Sane dedecet clericos ab altaris ministerio distrahi, & negotiationibus quaestum facere: praesertim quod negotiatio quaestuosa auaritiae & turpis lucri macula adspergitur. Bene Hieronymus: *negotiatorem clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge, can. 9. D* 88. Verum si reditus ecclesiae admodum exigui sunt, clericis ad alimenta procuranda modestam negotiationem canones permittunt, modo a sacro ministerio non distrahantur, *cap.* 1. *ex. eod.*

§. III. Vetantur quoque clerici temporalia laicorum negotia procurare, & eorum ministri & procuratores fieri. Conc. Carthag. III. *can.* 15., conc. Chalced. *can. III.* (*a*). Qui

(a) Conquestus est olim Cyprianus *de lapsis*, multos sui temporis antistites diuina procuratione contemta rerum saecularium fieri

Qui Deo & ecclesiae se in seruitutem addixerunt, laicorum negotia sine macula non procurant.

§. IV. Clerici quoque omnino debent abstinere a sordidis quibusdam opificiis & muneribus, quae moribus nostris vilia & turpia sunt, & christianum dedecent sacerdotem, qualia officia tabernariorum & pistorum, aut eorum, qui artem ludicram exercent, priuanturque clericaribus priuilegiis, qui hisce officiis clericatum dedecorant, *cap.vn. de vita & honest. cleric. in 6., Clement. vn.eod.* (*b*). Verum artificiola honesta, quae integrum hominem non occupant, clericos non dedecent, praesertim si ecclesiae reditus exigui sunt. Conc. Carthag. IV. *can.* 52. *& seq.*

§. V. Inter saecularia exercitia clericis interdicta censetur etiam venatio, quae & a ministerio ecclesiastico distrahit, & pro mansuetudine morum duritiem instillat. Et merito canones damnant episcopos, presbyteros & diaconos, qui loco pauperum accipitres, falcones, canes (instrumenta omnia venationis) alebant, *can.* I. *& seqq. D.*34. (*c*). Recepta vero sententia est, quietam venatio-

 nem,

fieri administratores; at mediis saeculis morbus adeo creuit, vt clerici laicorum ferme omnia negotia procurarent, praesertim quae scriptura opus habebant: laici enim vel ipsas primas litteras & scribere nesciebant.

(b) Veteri stante disciplina, qua ministri omnes ab ecclesia recipiebant victualia, clerici sordidis opificiis ferme suam conditionem non deturparunt. Sed inde institutis beneficiis & aucto clericorum numero, quorum multi erant sine beneficio, non defuerunt, qui sordidis, aut statui suo parum conuenientibus opificiis, aut procurandis laicorum negotiis se dederunt, ad alimenta comparanda.

(c) Canones, quibus vetantur clerici esse venatores, in Gallia & Germania conditi sunt, vel saltem ad illas regiones pertinent. Romani olim venationibus non dediti, sed Germani & Galli ex gentis suae instituto venationes exercebant. Tacit. *de morib. German. cap. XV.* Hinc clerici venatores ex Gallia & Germania prodierunt: nam clerici in sancto instituto mores gentis suae non deposuerunt. Promouit hanc venandi inclinationem copia fundorum & siluarum ecclesiis tradita, in quibus iure

nem, quae retibus & laqueis fit, clericis permitti, modo a sacro ministerio non distrahat. V. Nat. Alexand. *theol. lib. II. de sacram. ordin. cap.* 5.

§. VI. Porro ab instituto clericorum aliena sunt publica & ciuilia munera, quae distrahunt a sacro ministerio, & aliqua etiam eorum vocationi aduersantur (*d*). Et in primis vetantur clerici esse tutores & curatores, tantumque presbyteris & ceteris inferioribus clericis permissum est tutelas legitimas suscipere (*e*). Conc. Chalced. *can. III.*, *nouel. CXXXIII. cap.* 5.

§. VII. Multo magis a sacerdotio militia praesertim castrensis abhorret (*f*); ecclesiae enim arma non sunt temporalia, sed spiritualia, castae nempe preces & in contumaces excommunicatio: & omnino alienum est a sacerdotii mansuetudine, vt clerici arma tractent, & in bello sanguinem effundant. Quo spectant vulgatae regulae, *ecclesia sanguinem non sitit*, *clericus a canone est alienus*, *si sanguinem vel iuste effundat*. Verum mansuetudine sacerdotii non obstante, clerici & in primis episcopi & abbates mediis saeculis arma tractarunt, & in milites saeculi conuersi in expeditionibus imperatores & reges debuerunt comitari:

---

iure Germanico non omnibus communis erat venatio, sed fundis inhaerebat, & partem proprietatis constituebat: quod Boehmerus *iuris eccles. lib. V. tit.* 24. pluribus illustrat.

(d) Sententiam ecclesiae, qua ciuilia & publica munera a clericis habentur aliena, christiani imperatores confirmarunt, qui *ne clerici a cultu summae diuinitati debito abstraherentur*, eos a publicis muneribus exemerunt, *L.* 2. *C. Th. de episcop.*

(e) Antiqua est ecclesiae regula in quodam concilio Africano statuta, *ne quis de clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat*. Cypryan. *ep. LVI. al. I. ad cler. Furnit.* Spectabat vero haec regula ad solos testatores: nam clerici tutores tum testamento dati, quod non adhuc a publicis muneribus essent immunes, non videntur ob clericatum potuisse munus declinare.

(f) Nomine militiae apud Romanos veniebant omnia ciuilia & militaria munera. Et hinc militia triplex, palatina nempe, castrensis siue armata, & cohortalis. V. Iac. Gothofr. *ad L.* 63. *C. Th. de decurionib.*

ri: idque propter feuda (g), quae principes saepe ex politicis rationibus ecclesiis & monasteriis dederunt. Quod vero temporis lapsu vasalli aere potius, quam corpore coeperunt militiam regibus praestare, episcopi & abbates non amplius feudorum ratione ad militiam coguntur.

§. VIII. Item ab instituto clericorum exercitium misti imperii seu ciuilis iurisdictionis, & multo magis ipsum merum imperium abhorrent. Non est ecclesiae poenas cum sanguine poscere: quod adeo verum est, vt olim non postrema officii pastoralis pars fuerit pro reis criminum grauiorum apud magistratus deprecari.. Verum mediis saeculis vna cum feudis nedum iurisdictio, sed & ipsum ius gladii ecclesiis accessit: & ipsi episcopi aut per se, aut per substitutos iudices, quos *balliuos* dicebant, ius gladii exercebant. V. Boehmer. *iur. eccles. lib. III. tit.* 20. §. 70. *seqq.* Quin clerici vicecomites & balliui dominorum saecularium facti sunt, ad mistum & merum imperium explicandum. Hinc non parua in sacerdotium labes, praesertim vbi desueuere populorum leges & mores ipsa capitalia crimina multis & publicis poenitentiis expiandi. Sed deinceps haec labes ex parte abstersa est, cautumque, vt clerici ius gladii non exercerent, *cap.* 5. *&* 9. *ex. ne clerici vel monachi*. Hinc inualuit, vt ecclesiarum praelati, qui iure feudi merum habebant imperium, officiales laicos ad illud explicandum constituerent: qua constitutione ex regulis nouae disciplinae a canone alieni non censentur, *cap. vlt. eod. in* 6.

§. IX. Munus aduocati quoque minus congruit clericorum vocationi. Const. *apost. lib. II. cap.*6., *L.* 41. *C. de episc.* Id enim ferme totum hominem requirit, & tricis & malitiis adsuescit. Sed temporis lapsu vbi ignorantia Occidentis regiones occupauit, & ferme soli clerici latine sciebant, clerici forensibus disceptationibus se implicarunt, & in iudiciis saecularibus fuerunt adsessores. Ergo in synodo Lateranensi sub Alexandro III. statutum, vt sacrati clerici, & qui stipendiis viuunt ecclesiasticis, coram

N 2 sae-

(g) Feudorum seruitia erant militaria & equestria.

saeculari iudice aduocati in negotiis saecularibus fieri non praesumant, nisi proprias, aut ecclesiae suae, aut miserabilium hominum caussas persequantur, *cap.* 1. *ex. de postul.*

§. X. Sed an medicinae professio clericis conueniat? Medicina theoretica, in primis physiologia, etiam in studiis ethicis & doctrina morum vsum habet, & ita eius aliqua notitia a clericis non videtur aliena. At quod spectat artis vsum, non conuenit clericorum vocationi medicinam facere, & adsidua circuitione ad praescribenda remedia infirmos inuisere. Mediis interim saeculis celebriores episcopi & monachi medici fuerunt, & apud nos medici insigniores fuerunt monachi Casinenses & episcopi Salernitani. Monachi autem & clerici ad diuitias parandas faciebant medicinam. Ergo Honorius III. ad theologiae studia amplianda statuit, ne presbyteri & qui in dignitate ecclesiastica erant, medicinae addiscendae vacarent, *cap.* 10. *ex. ne clerici vel monachi*. Sed eo quoque nomine clerici chirurgiam exercere vetantur, ne forte mortis caussam praebentes, a canone sint alieni, *cap.* 19. *ex. de homic.*

C A P V T XXXVI.

De clericorum caelibatu.

§. I. INter ceteras maiorum clericorum virtutes censetur etiam caelibatus, quo fit, vt nuptias contrahere vetentur, & vxoribus ante ordinationem ductis se debeant abstinere. Certe grauissima matrimonii munera functiones sacerdotii impediunt, & maritos saecularibus negotiis addicunt, 1. *Cor. VII.* 33. Et praeterea decebat, vt christiani sacerdotes, qui purissimam victimam contrectant, omnino virgines & continentes essent (*a*). Sed hae in

(a) Ipsi deorum sacerdotes profitebantur castitatem, quorum aliqui vel penitus se euirabant, vel potu cicutae aliisque remediis

in re par non est omnium ecclesiarum disciplina, & non omni aetate caelibatus lege sacerdotes adstricti sunt.

§.II. Et quidem ex antiquissima disciplina clerici maiores potestate contrahendi matrimonii post susceptos ordines deiecti sunt: quae disciplina ante synodum Nicaenam in vtraque ecclesia erat recepta, & inde a Paphnutio episcopo in eadem synodo *της εκκλησιας αρχαια παραδοσις vetus ecclesiae traditio* dicta est, teste Socrate *lib. I. cap.* 11. Hinc synodus Neocaesariensis *can. I.* edixit, presbyterum, qui vxorem acceperit, ordine suo deiici debere. Et canon apostolicus XXVII. post clericatum tantum cantoribus & lectoribus nuptias contrahere permittit. Hac tamen in re satis benigna erat ecclesiae Orientalis disciplina (*b*), quae diaconis in ordinatione protestantibus, se sine vxoribus viuere non posse, nuptias ex episcopi venia contrahere permittebat. Conc. Ancyr. *can. IX.*

§.III. Verum quod spectat ad nuptias ante sacros ordines contractas, caelibatus primis saeculis non aliquo canone indictus videtur, sed potius quisque pro religione & arbitrio suo vxore vtebatur, vel in caelibatu viuebat: quod Dupinus *biblioth. saec. IV. par.*3., Natalis Alexander *saec. IV. hist. eccles. diss.* 19. aliique adgnoscunt. Sane constat, clericos cum suis vxoribus ante ordinationem ductis habitare consueuisse, *can. apost.VI.*, conc. Neocaes. *can.VIII.*, hactenus vt saeuientibus persecutionibus multi eo nomine ad Christum renuntiandum impellerentur, vt suis vxoribus & liberis consulerent. Euseb. *lib.VIII. cap.*9. Et qui cum vxoribus habitabant, matrimonio vti potuisse videntur (*c*), etsi multi sacerdotii sanctitate du-

diis frigescebant. V. Potter. *archaeol. lib.II. cap.*3. Adeo nempe verum est, Christi sacerdotibus proprium esse debere caelibatum.

(b) *Ecclesiae*, inquam, *Orientalis*: nam apud Latinos ne episcopi quidem indulgentia poterant diaconi matrimonio copulari. Hinc Martinus Bracarensis *par. I. can.* 39. canonem Ancyranum interpolauit, traduxitque in eam sententiam, vt non liceret episcopo ordinare diaconum, qui se in castitate viuere non posse contestaretur.

(c) Multis sane constat monumentis, maritos clericos, qui

cti illarum vsui renuntiarent, & cum vxoribus veluti sororibus vitam ducerent.

§. IV. Haec erat ecclesiae Orientalis disciplina tempore synodi Nicaenae, in qua nihil de antiquis moribus mutatum est, etsi multi episcopi essent, qui continentiae legem maioribus clericis vellent imponere (*d*). At paullo post

cum suis vxoribus habitabant, matrimonio vsos fuisse, saltem vti potuisse: nec recte Baronius, Pagius, Schelestratus aliique statuunt, eos tempore ordinationis ex compacto caelibatum professos esse, & coniugale consortium in sororium conuertisse. Etenim dum Pinytus Gnossiorum in Creta episcopus clericis suis caelibatum imponere volebat, a Dionysio Corinthiorum episcopo admonitus fuit, ne tam graue onus τοῖς ἀδελφοῖς *fratribus* imponeret, sed humanae infirmitatis rationem haberet: quod ex litteris Dionysii apud Eusebium *lib. IV. cap.* 23. constat. Nec recte sentiunt, qui *fratres*, quibus Pinytus imponere intendebat caelibatum, fidelium multitudinem interpretantur: nam incredibile est, Pynitum, hominem diuinarum scripturarum notitia atque intelligentia conspicuum, compellere voluisse plebem omnem christianam ad castitatis professionem, & tam aperte haereticis nuptias damnantibus fauisse: quod Nat. Alexander *saec. IV. hist. eccles. diss.* 19. recte obseruat. Item Clemens Alexandrinus *strom. lib. III.* adfirmat, licuisse presbyteris & diaconis matrimonio vti. Nouatus quoque presbyter Carthaginiensis sine reprehensione vxorem cognoscebat: calce enim impacta vxoris vterum percussit, qua fetus ex vtero fusus est: & tamen Cyprianus *ep.XLIX. al. LII. ad Cornel.* solam abortionem, non vsum matrimonii accusat. Et vt alia mittam, dum maioribus clericis permisit ecclesia cum suis vxoribus habitare, inde aperte videtur constare, matrimonii vsum vetitum non fuisse; nam alias continuis criminibus mariti fuissent obiecti, sororio illo consortio nihil impediente.

(d) In synodo Nicaena tractatum fuit de indicenda episcopis, presbyteris & diaconis castitate ab vxoribus, quas ante ordinationem duxissent, multique in hanc sententiam pendebant: at intercedente Paphnutio episcopo, qui nec nuptias contraxerat, nec vmquam ad mulieres accesserat, & nouam regulam veluti duram traducente, de antiquis moribus nihil mutatum, atque singulorum arbitrio relictum, vt ab vxorum consuetudine se ab-

post in plerisque ecclesiis Orientis maiores clerici ab vxoribus suis, quas ante ordinationem duxerant, abstinere iussi sunt. Certe Hieronymus *contra Vigilantium* obseruat, in Orientali proprie sic dicta dioecesi, in Aegypto & vniuerso Occidente clericos omnino caelibes vixisse. *Quid facient Orientis ecclesiae? quid Aegypti & sedis apostolicae, qui aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?* Et Epiphanius *expos. fidei catholicae n.XXI.* adfirmat, sacerdotium ex virginum & monachorum ordine constare, aut ex laicis creari sacerdotes, *qui a suis vxoribus continent, aut secundum vnas nuptias, in viduitate versantur.* Videntur episcopi, qui in synodo Nicaena tenebant, clericos ab suis vxoribus abstrahendos, ad ecclesias suas reuersi sibi subiectis presbyteris & diaconis continentiam imperasse.

§. V. Non diu in sancto proposito clerici maiores in Oriente stetisse videntur: adulto enim quinto saeculo multi episcopi in episcopatu liberos ex iustis nuptiis suscipiebant, & qui illarum vsu abstinebant, potius voluntate & religione sua, quam vlla lege ad id impellente faciebant, teste Socrate *lib.V. cap.*22. Videtur tum laxata disciplina multitudine agapetarum, seu spiritualium sororum, quibus adiuncti clerici conspurcabant sacerdotium: tutiusque visum est, clericos vti legitimis vxoribus, quam sub nomine agapetarum domi habere concubinas. Deinceps solis episcopis perpetua continentia indicta est (*e*), presbyteris vero

abstinerent, si ita magis placuisset. Rem Socrates *lib.I. cap.*11. & Sozomenus *lib. I. cap.* 23. distincte narrant, & ex *historia tripartita* Gratianus suam fecit, *can.* 12. *D.* 31. Veluti falsam & a Socrate confictam hanc historiam Baronius traducit, suspectam vero Valesius habet. Sed ex meliore sententia Christianus Lupus, Natalis Alexander & Dupinus velut authenticam tuentur. Vt enim recte Dupinus obseruat, caelibatus clericorum ad disciplinam pertinet: & quae disciplinae sunt, pro temporum & locorum ratione varias habent obseruationes; ac proinde nihil officit Latinorum caelibatui, quod magna synodus Nicaena matrimonio vti clericos maiores non vetuerit.

(*e*) Atque ex hac disciplina si coniugati ad episcopatum promo-

vero & diaconis vſus antea contracti matrimonii permiſſus, modo quo tempore ſacra myſteria contrectant, ab vxoribus abſtineant. Quae diſciplina in concilio Trullano *can. XIII.* ſtatuta ad haec vſque tempora apud Graecos perſeuerat (*f*).

§. VI. Haec fuerunt fata caſtimoniae clericalis apud Orientales; at in eccleſiis Occidentis ſynodi Nicaenae tempore epiſcopi, presbyteri & diaconi ex iam recepta diſciplina vel vſu matrimonii antea initi ſe debebant abſtinere (*g*). Et quidem Siricius ſummus pontifex *epiſt. ad Himer. Tarrac. cap. VII.* veluti graue facinus deplorat, quod in Hiſpania plures ſacerdotes & diaconi ex propriis coniungibus liberos procreaſſent, iubetque, epiſcopos, presbyteros & diaconos, qui deinceps tales inuenirentur, ab omni eccleſiaſtico honore perpetuum eſſe deiectos: quam eamdem diſciplinam ſequentes pontifices Innocentius I. *ep. ad Victric. cap. VIII.* & *ep. ad Exuper. cap. I.* & Leo M. *epiſt. XII. ad Anaſtaſ. Theſſal. cap. 4. edit. Queſn.* confirmarunt. Et patres Africani apoſtolicam doctrinam & antiquos mores cuſtodire volentes, ſtatuerunt, vt *epiſcopi, presbyteri & diaconi, vel qui ſacramenta contre-*

---

mouentur, ab vxoribus deinceps ſeparantur; iſtae vero monaſterium ingrediuntur, aut diaconiſſae ordinantur, ſi tantae dignitati earum vita & pietas reſpondeat, vt continentia continuis lapſibus non obiiciatur. Conc. Trull. *can. XLVIII.*

(f) Illud eſt intolerabile, quod ſynodus Trullana vitio vertit Latinis, quod presbyteros & diaconos ab vſu matrimonii ante ordinationem contracti prohiberent. Saepe infirmi in eos, qui bene valent, indignantur.

(g) In Hiſpania ante ſynodum Nicaenam ſynodus Illiberitana *can. XXXIII. in totum epiſcopis, presbyteris & diaconis, vel omnibus clericis poſitis in monaſterio* ab vxoribus ante ordinationem ductis indixit continentiam. Clerici *in miniſterio poſiti* patribus Illiberitanis videntur fuiſſe illi, *qui ſacramenta contrectabant*, vt habet ſynodus Carthaginienſis II. *can. 2.*, ſeu qui vaſa & alia inſtrumenta ad vſum ſacramentorum aptabant & diſponebant, quales hypodiaconi. Verba vero *in totum* videntur indicare, antea clericos Hiſpanos tantum eo tempore ab vxoribus ſuis abſtinuiſſe, quo ſacra myſteria celebrabant.

trectant, *pudicitiae custodes*, *etiam ab vxoribus se abstinere*. Conc. Carthag. II. *can.* 2. Quam eamdem continentiam sequentia Africana concilia & deinceps reliqua in Occidente celebrata maioribus clericis imponunt (*h*).

§. VII. Quod spectat ad clericos minores, lectores & cantores in ecclesiis Orientis post acceptum ordinem nuptias contrahebant, *can. XXVII. apostol.*, conc. Chalced. *can.XIV.* Et in Africa lectores quum ad annos pubertatis veniebant, cogebantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri, ceteri vero clerici maturiore aetate continentiae subiiciebantur. Conc. Carthag III. *can.* 19. Vsus vero iam antea contracti matrimonii minoribus clericis ferme nullibi videtur interdictus, exceptis hypodiaconis, qui in multis ecclesiis tam Orientis, quam Occidentis quarto saeculo ab vxoribus etiam ante ordinationem ductis se abstinebant, conc. Illiber. *can. XXXIII.*, Epiph. *haer LIX. de catharis*, Leo M. *ep.XII.cap.*4. *ed. Quesn.* Verum deinceps apud Latinos minoribus omnibus clericis etiam post susceptos ordines facultas ineundi matrimonii data est, exceptis hypodiaconis, qui ad perpetuum caelibatum adstricti sunt: quod saeculis quinto & sexto factum est. V. Morin. *de sacris ordinat. par. III. exerc.* 12. *cap.* 5.

§. VIII. Iam si clerici maiores post ordinationem nuptias

(h) Maiores clerici, qui ex maritis promoti sunt, etsi perpetuae continentiae apud Latinos addicti; tamen vxores domi habere permittebantur, tantumque debebant coniunctionis pristinae contubernium in sororium amorem commutare, *L.*44. *C. Th. de episc. & clericis*, *Leo M. ep.II. ad Rustic. edit. Quesn.* Videntur Occidentis sacerdotes minus suspecti de incontinentia fuisse, quam Orientales corpore calidiores. Interim variae adhibebantur cautiones ad lapsus euitandos: erant in eadem domo marito & vxori diuersa conclauia: cautiores quoque ad se propius vxores accedere non permittebant, *can.* 18. *D.*32., & episcopi adsiduo & indiuiduo clericorum suorum comitatu stipati viuere debebant. Conc. Turon.II. *can.*12. Rectius demum placuit, vt si mariti ad episcopatum promoueantur, vxores monasticam vitam in monasteriis profiterentur, *cap.6. ex. de conversione coniugat.*

ptias attentabant, aut deprehensi essent cum vxoribus suis antea ductis dormiisse, & filios generasse, gradu & officio suo perpetuum cadebant, non tamen extra ecclesiae communionem abiiciebantur. Conc. Neocaes. *can. I*, Agath. *can. IX.*, Siric. papa *ep. ad Himer. Tarrac. cap. VII.* Et ita ad laicam communionem redacti, deinceps tamquam laici viuebant, conc. Aurel. III. *can.* 2. Quod si clerici extra nuptias contra castitatem peccassent, & fornicationis aut adulterii rei essent, non solum perpetuo deponebantur, verum etiam ecclesiae communione eiecti poenitentiae solebant addici. Conc. Neocaes. *can. I.* Ceterum etsi peccarent clerici, qui vxoribus suis vtebantur; tamen inde nati filii erant legitimi (*i*).

§. IX. Recepit quidem ecclesia Latina disciplinam, quae tantum caelibes, aut maritos, qui inde in caelibatu viuant, ad sacros ordines iubet promoueri; at mediis saeculis aurum istud versum est in scoriam. Plus profuit Graecis disciplina relaxata, quam Latinis professio virtutis. Etenim in tot tantisque mediorum saeculorum turbis, quibus Occidentis prouinciae oppressae sunt, clerici maiores, immo etiam monachi, professae continentiae obliti, vel nuptias attentarunt, vel palam aluerunt concubinas. Post saeculum decimum Romani pontifices & multi episcopi magnis animis lapsam disciplinam instaurare, & incontinentes clericos ad continentiam restituere studuerunt; at carnales clerici aegre ferentes e luto incontinentiae emergere, infremere, tumultuari, & rationibus & auctoritatibus resistere coeperunt. Hinc hydra semper reuixit, nec ex omni capite potuit obtruncari (*k*). Sensim

(i) Nimirum attentata post ordinationem a clericis maioribus matrimonia, etsi sacrilega essent; tamen in veteri disciplina valebant: qua de re diximus in *commentariis de iure canonico par. I. cap.* 3. §. 12.

(k) In aliquibus locis certo persoluto censu concubinae clericis permissae. Sane in Anglia anno CIↃCXXIX. episcopi Regi Henrico I. concesserunt *iustitias de focariis sacerdotum, quae res postea cum summo dedecore terminabatur; accepit enim Rex pecuniam infinitam de presbyteris pro suis focariis redimendis*, quem-

Sensim ergo decreuit morbus, remeauitque tandem vetus disciplina, quae a patribus Tridentinis *sess. XXIII. de ref. cap.* 13. & *sess. XXIV. can.* 9. confirmata tantum virgines aut post nuptias continentes ad sacros ordines admittit.

CAPVT XXXVII.

De ascetis.

§. I. SVperest, vt de ascetis & monachis agamus: quae tractatio, longe lateque diffusa vita monastica & in tot familias monachis distinctis, bonam iuris canonici partem occupat. Vox *ascesis* philosophorum propria fuit, qua ii designabant virtutis & abstinentiae ad vitia coërcenda exercitationes. Et sane apud gentes *ascetae* erant rigidi virtutis sacerdotes, qui vitam duriorem ad philosophiae regulas exactam ducebant; vt bene enim probat Io. Franc. Buddeus *diss. de ἀσκήσει philosophica in analect. philosophiae*, gentes vitam asceticam seu philosophicam nedum in doctrina, sed praecipue in vsu & exercitatione virtutum positam tenebant. Fuerunt inter gentes multi ascetae tum ex barbaris, tum ex Graecis philosophis, quorum

quemadmodum Matthaeus Parisiensis in *hist. Angl.* loquitur. Sordidissimum hunc censum inde a manibus regiis extortum (quod nefas dictu est) episcopi, & praesertim archidiaconi & decani sibi tribuerunt. Christ. Lup. *diss. de Latinor. continentia cap.* 8.

Sub regibus Andegauis in regno Neapolitano adeo multi clerici alebant concubinas, vt contenderent, eas fori exemtione gaudere, tamquam quae ad suas familias pertinerent: &, quod mirum, Rex Robertus edictis de concubinis noluit clericorum concubinas obligari. Quin saeculo decimo quinto concubinae presbyterorum annuum censum Regi pendebant; idque praesertim in Calabria vlteriori obtinebat, cuius rei monumentum exstat in Regiae Camerae archiuo *Camera VI. litt. E. ordine* 1. *n.* 2.

quorum nomina in annalibus philosophiae celebrantur.

§. II. At vita ad virtutis regulas exacta praecipue apud christianos exculta fuit. Est christiana religio vera philosophia, quae, gentium erroribus emendatis, ad verum summumque bonum adsequendum viam adaperuit, in quo ethnica deficiebat philosophia: palam enim fecit, esse alteram vitam eamque aeternam, in qua iusti mercedem accipiunt & coronantur. Hinc non tantum christiani curabant esse iusti, sed etiam eorum multi durius vitae genus excolebant, vt ad perfectionem contenderent. Atque hi nomine ethnicae philosophiae retento *ascetae* & *philosophi* audierunt. Salmas. ad Tertull. *de pallio* (*a*).

§.III. Iam vero quemadmodum varia sunt durioris vitae exercitia, ita varia fuerunt & nunc etiam sunt genera ascetarum. Alii non minus quam Pythagorici carne & rebus vitam habentibus se abstinebant, non ex anili fabula de animarum transmigratione, sed vt corpus in seruitutem redigerent. Orig. *contra Celsum lib. V.* Alii abstinebant a nuptiis, non quia eas improbabant, sed quia *se spadonatui obsignabant propter regnum Dei*, vt Tertullianus *lib. II. de cultu feminar.* loquitur. Alii plus aequo cibis abstinebant, & ieiuniis corpus macerabant, quorum aliqui in hebdomada magna eo seueritatis peruenerunt, vt per duos, tresue, quatuorue dies, aut etiam per integram hebdomadam ieiunia prorogarent. Epiph. *exposit. fid. cathol. n. XXII.*

§. IV. Inter antiquos ascetas illustriorem locum obtinebant sacrae ecclesiae virgines & viduae, quae se Christo dicabant, perpetuam promittentes castitatem. Gentibus, immo etiam Iudaeis, virginitas opprobrio fuit; at apud christianos statim celebrata & inter asceticas virtutes.

(a) Christiani philosophi alio nomine *gnostici* dicebantur. Certe Clemens Alexandrinus in scriptis suis omnibus christianum philosophum γνωστικον appellat: quod nomen alii veteres etiam vsurpant. Sane *gnosticus* homo est scientia & cognitione praeditus; & christiana religio veram sapientiam continet: profanaruntque profecto sanctum *gnostici* nomen haeretici illi, qui sub hoc nomine noti sunt.

tes relata eſt. Etenim ſtimulis carnis, quo natura fert, reſiſtere, magna aſceſis eſt, eorumque propria, qui durum vitae genus profitentur. Edebant autem virgines propoſiti ſui publicam in eccleſia profeſſionem, & ab epiſcopo conſecrabantur, ſacrumque velamen accipiebant, idque in Africa anno aetatis vigeſimo quinto, conc. Carthag. III. *can.* 4, in Gallia anno quadrageſimo, conc. Agath. *can.* *XIX*, & in Oriente etiam anno decimo ſexto aut decimo ſeptimo, Baſil. *epiſt. canon. can. XVIII.* Virgines autem per conſecrationem inter perſonas eccleſiaſticas cenſebantur, & eccleſiae canoni inſerebantur, Socrat. *lib. I. cap.* 17., & hinc *canonicae* audierunt. Viuebant vero in domibus paternis, & a parentibus ſuis, vel neceſſitate ita poſtulante, ab eccleſia accipiebant alimenta. Conc. Carthag. III. *can.* 33. Quod ſi contra profeſſionem inde minus caſte viuerent, aut nuptias attentarent, excommunicabantur, & per publicam poenitentiam in eccleſiae reſtituebantur communionem. Conc. Ancyr. *can. XIX.*, conc. Chalced. *can. XVI.*

§. V. Plures aliae ſpecies aſcetarum fuerunt & eſſe poſſunt, quas Binghamus *orig. eccleſ. lib. VII. cap.* 1. §. 3. & plenius Meierus *de aſcetis* recenſent. Illud vero hic obſeruandum, aſceſim natura ſua ab hominum conſortio non abhorrere, & non minus in ſolitudine, quam in ciuitate exerceri poſſe. Valeſ. *not. in Euſeb. de martyribus Palaeſt. cap. XI.* Generatim tamen primis ferme tribus ſaeculis chriſtiani philoſophi in ciuitatis frequentia vixerunt, nec cogitarunt vmquam de amplectenda ſolitudine. Chriſtiana certe religio omnes tamquam fratres amare iubet, atque ideo potius in hominum frequentia, quam in ſolitudine aſceſim inculcat. Vita monaſtica, quae aſceſi addidit ſolitudinem, in eccleſia ſerius innotuit: inducta vero vita monaſtica omnes monachi fuere aſcetae, non e conuerſo omnes aſcetae fuerunt monachi.

CA-

CAPVT XXXVIII.

De origine & progressu monachorum.

§. I. Nomine *monachorum* in veteri disciplina veniebant, qui a frequentia ciuitatum separati (*a*), vel soli, vel in commune & sub praeposito vitam asceticam & poenitentem ducebant (*b*).

§. II. Vita ascetica vel in solitudine, vel in communione etiam apud gentes & Iudaeos exculta est, idque quo melius ascetae philosophiae vacarent, aut magis inter sodales suos humanitatem exercerent (*c*). Quae vero fuerit

(a) Sane poenitentia solitudinem videtur postulare; nec enim status plangentis in ciuitatum frequentia potest obtineri. Hinc Antonius anachoretarum parens, teste Sozomeno *lib. I. cap.* 13., dicere solebat, monachos extra solitudinem monachi grauitatem amittere, non secus ac pisces aquis egressi vitam amittunt.

(b) Primaeui christiani, qui in Palaestina in communione vixerunt, a monachis longe erant diuersi; etenim christiani primaeui viuebant in ciuitate, & communis eorum vita tantum eo spectabat, vt omnia communia haberent. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. I. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 3.

(c) Et quod spectat ad gentes, Druidae in solitudine morabantur, singulis vero annis simul conueniebant, quo conuentu summam exercebant potestatem, teste Caesare *lib. VI. de bello Gallico*. Vitam quietam & solitariam Pythagoram, Democritum, Anaxagoram coluisse Tullius *lib. III. de orat.* memoriae prodidit. Item Pythagorei domus recessus habuerunt, quo qui ad certam aetatem perueniebant, se recipiebant, vbi communem ducebant vitam, & se mutuo adiuuabant. Poterant quidem eiusmodi philosophi ab instituto recedere, sed tam inominatus erat hic recessus, vt deficientes sollemni funere tamquam mortuos deplorarent. V. Des Landes *histoire critique de la philosophiae lib. III. chap.* 14.

Verum in excolenda in solitudine, vel in communione vita

rit apud christianos vitae monasticae origo, non vna est omnium sententia. Sed praestat adfirmare, primis ferme tribus saeculis nullos fuisse monachos, qui medio saeculo tertio saeuiente Deciana persecutione primum exorti sunt. Bingh. *orig. eccles. lib. VII. cap.* 1. §.4. Nimirum multi ex Aegypto christiani aestum tempestatis euitaturi, in Thebaidem aliasque solitudines & montes secesserunt, vnde finita persecutione noluerunt redire: quod sancta quiete perfusi ibi Deo melius seruire posse experti sunt. Primus itaque solitariae vitae inter christianos *auctor Paullus*, *illustrator Antonius*, vt loquitur Hieronymus *epist. XXII. ad Eustoch. cap.* 16. Antonius vero nullum aedificauit coenobium, in quo simul solitarii viuerent; coenobia enim & vita communis monachorum tempore Constantini M. a Pachomio in Thebaide instituta sunt, quod *ex actis Pachomii cap. LXXVII. apud Papebroch. die* 14. *Maii* aperte constat.

§.III.

---

ta philosophica Iudaei ceteris gentibus celebriores. Certe Esseni in coenobiis sub praefecto vitam agebant communem, in quam post triennii probationem neophyti admittebantur. Omnes vestibus induti candidis Deum colebant, non iurabant, non mentiebantur, se abstinebant ab vxoribus, & orationibus & virtutibus vacabant.

Longe durius vitae genus ducebant *θεραπευταὶ*, hoc est *Dei cultores*, vt eos appellat Philo Iudaeus, qui peculiarem de iis libellum sub titulo *de vita theoretica*, seu *de supplicum virtutibus* conscripsit. Etenim quasi essent vita defuncti, facultatibus & saeculo relictis, in villas solitarias secedebant, vbi singuli in separatis aedibus, quas dicebant *monasteria*, sex diebus habitabant, cibum post solis occasum sumebant, septimo vero die in commune *σεμνεῖον sacellum* ad senioris sermonem audiendum conueniebant, eoque finito, panem sale & delicatiores hyssopo conditum manducabant. Essenorum & therapeutarum instituta Io. Clericus *proleg. histor. eccles. sect. I. cap.* 4. *seq.* plenius recenset. Vtrum vero therapeutae Esseni, an christiani fuerint, an ab vtrisque diuersi, inter eruditos non conuenit. Sed eorum instituta Iudaicam potius, quam christianam religionem sapiunt, ac proinde recte videntur sentire, qui eos Essenos duriores faciunt. V. Scaliger. *lib. VI. de emendat.* & Cleric. *loc. cit. cap.* 5.

§. III. Instituta in Aegypto vita monastica breui per Orientem propagata est. Sed in Occidente post saeculi quarti medium monachi sordescebant & odio erant. *Quousque*, inquit Hieronymus *ep.XXIV. ad Paulam* ex Romanorum sententia, *genus detestabile monachorum vrbe non pellitur?* Sensim vero opera Athanasii, qui persecutionem Arianorum declinans, Romam venit, vbi vitam Antonii adhuc viuentis a se conscriptam cum multis communicavit, & inde exemplo & scriptis Hieronymi, viri alias ad solitudinem facti, monachorum ignominia in gloriam versa est: erantque Romae tempore Hieronymi crebra virginum monasteria (*d*) & innumerabilis monachorum multitudo, Hieron. *ep. XVI. ad Princip.* Nec minori zelo Athanasius quum Treuiris exularet, vitam monasticam videtur commendasse. Deinceps opera S.Martini Gallia monachos excepit: praecipue vero vita monastica in Occidente splendorem & augmentum suum debet S. Benedicto, qui circa annum ıↃxxx. aerae christianae Casinense monasterium aedificauit, vnde regula Benedictina per vniuersum Occidentem propagata est.

§. IV. Monachi omnes fere ab ipsa monachatus origine duplicis fuerunt generis, *solitarii* nempe, & *coenobitae*: illi in priuatis cellulis viuebant, nulli praeposito subiecti, & hinc *anachoretae* dicti; isti vero vitam communem sub abbate ducebant (*e*).

§. V.

(d) Non minus mares, quam feminae monasticam vitam, quae pro altero baptismo habebatur, amplexae sunt. In Oriente quarto saeculo iam erant virginum conuentus. *Basil. de instit. monach.* Et Chrysostomus *hom.VIII. in Matth. choros virginum* in Aegypti solitudinibus degentes laudat. Ita inualuit differentia inter *virgines ecclesiasticas* & *monasticas*, quarum illae in domibus paternis viuebant, hae vero communem ducebant vitam, & non secus ac reliqui monachi, propriis laboribus viuebant.

(e) Sed ab ipso ferme vitae monasticae initio emerserunt duo spuria monachorum genera, *Sarabaitae*, & *Gyrouagi*. Sarabaitae bini vel terni sine praeposito viuebant, de propriis laboribus ad communia alimenta partem conferebant, reliquum sibi

§. V. Vitae monasticae natura in continua ascesi & poenitentia consistit, recteque Hieronymus obseruat, monachos *non docentis*, *sed plangentis* statum sustinere, *epist. LIII. ad Ripar.* Hinc monachi saeculo, diuitiis, nuptiis & voluptatibus renuntiabant, vnde *continentes* & *renuntiantes* in antiquis monumentis etiam dicuntur; & ad magnum poenitentiae negotium implendum in solitudines secedebant. Et sane principio non tantum cellae solitariorum, sed etiam ipsa coenobitarum monasteria longe a frequentia ciuitatum in montibus & speluncis fuerunt aedificata. Quin etiam ipsae monialium domus initio in solitudinibus & agris fuerunt. Chrysostom. *hom. VII in Matth.*, Hieronym. *ep. XVI. ad Princip.* Verum Basilius M. monachos solitudinibus abstraxit, & in vrbibus Ponto finitimis monasteria posuit, vt opera monachorum ab Ariana perfidia eas illaesas seruaret. Sozomen. *lib. VI. cap.* 17. Hoc exemplo deinceps in vrbibus, aut prope eas monasteria aedificata, atque ita a prima simplicitate sensim desciuerunt, & paullatim vrbana aedificia imitata sunt, donec eo ventum, vt longe superarent. Sed omni aetate qui lapsam monasticam vitam restituere curarunt, in solitudine suas primas sedes posuerunt. Vbicumque vero aedificentur monasteria, episcopi auctoritate opus est. Conc. Chalced. *can. IV.*, Trident. *sess. XXV. regularib. cap.* 3. Immo statutis populorum non aedificantur, nisi publica auctoritas praecedat.

§. VI. Vita solitaria & coenobitica vt inter se diuersae, ita propria habebant commoda & incommoda. Erat solitaria magis tranquilla & quieta, ac animos magis Deo

 con-

sibi reseruabant, continua inter se iurgia ferebant, & in omnibus affectabant singularitatem. *Apud hos* (Sarabaitas nempe) *affectata sunt omnia*, inquit Hieronymus *ep. XXII. ad Eustoch. cap.* 5., *laxae manicae*, *caligae follicantes*, *vestis crassior*, *crebra suspiria*, *visitatio virginum*, *detractio clericorum*, *&* *si quando dies festus aduenerit*, *saturantur ad vomitum*. Marcus Antonius de Dominis hanc descriptionem mendicantibus appingit; sed apage; aperte calumniatur.

coniungebat; sed quod virtus in comparationem non veniret, fastu non carebat, & praeterea adsiduis tentationibus erat obnoxia. Contra coenobitica magis actuosa & vtilis censebatur, minusque tentationibus subiecta, sed a tumultu erat minus libera (*f*). Hinc Basilius vitam solitariam & coenobiticam quodammodo sociauit: nam prope coenobia priuatas cellulas aedificandas curauit, vt nec contemplatio communicationis, nec vita coenobitica contemplationis indigeret. Gregor. Nazianz. *vit. Basil.* & *orat. XXI.* Et ab hoc tempore coenobia distinctas habuere cellas, in quibus discedentes, seu vt posteriores Latini dicunt, *inclusi* & *reclusi* philosopharentur. Locus iste cellulis interspersus *laura*, quasi vicus & platea, dicebatur. Et quoniam vita solitaria durior erat vita coenobitica, hinc in cellulas tantum emeritis coenobitis ex abbatis & episcopi consensu discedere licebat. Conc. Trull. *can. XLI.* Inclusi vero tantum *propter communem* vtilitatem lauris egredi permittebantur. Conc. Trullan. *can. cit.*

§. VII. Iam monasticae regulae peculiares omnes erant, & singula monasteria suam propriam, quae arbitrio abbatum mutari poterat, videntur habuisse. Luc. Holsten. *praef. in cod. regul. cap. III.* Stetit haec disciplina vsque ad S. Benedictum, qui primus aut inter primos sollemnis professionis formam praescripsit, qua ad perpetuam regulae obseruantiam monachi adstricti sunt, quod Mabillonius *praef. ad I. part. saecul. IV. Benedict. n.* 53. obseruat. Ita castigata vaga illa mutandae regulae libertas, qua monasteria vtebantur (*g*). Peculiares vero regulae hominibus instituendis magis conueniebant, quam nunc generales, quibus viuunt integrae ordinum familiae variis locis & prouinciis dispersae.

§. VIII. Ex veteribus institutis monasteria nullos possidebant

(f) Coenobitae simul in vno conclaui viuebant.

(g) Admodum celebris fuit regula Benedictina, adeo vt eodem spiritu, quo sacri canones, conscripta censeretur. Hinc a sede apostolica tamquam inter regulas eminentior commendata, & dinceps post S. Benedictum monasteria ferme omnia Occidentis, veteribus regulis excussis, ad eam conuersa sunt.

fidebant reditus, atque ideo incognita tum monastica mendicititate, monachi omnes manibus suis operabantur: quo labore victum sibi parabant, & in solitudine positi Satanae tentationibus occurrebant. Hieronym. *ep. IV. ad Rustic.*, Cassian. *instit. lib.X. cap.* 23. Sane otiosi in solitudine vitiis contabescunt, & continuis carnis tempestatibus sunt obnoxii. Sic vero proprius vitae monasticae habebatur labor manualis, vt monachi Aegyptii non laborantes tamquam alieni cupidos fraudatores traducerent. Socrat. *lib IV. cap.*23. Ipsae moniales etiam opere manuum viuebant. August. *de morib. eccles. cap.XXXI.* Et quamuis monachorum multi in Africa melius iudicarent, monachos orationi & lectioni vacare, & oblationibus fidelium viuere, quam adsiduis laboribus occupari; tamen Augustinus contra sensit, editoque excellenti libro *de opere monachorum* vitae monasticae veluti intrinsecum probauit manuum laborem.

§. IX. Verum temporis lapsu fama sanctitatis monachorum late diffusa, monachi praesertim in Occidente statos reditus fundosque adquirere coeperunt, sensimque eo ventum, vt immensi essent monasteriorum reditus. Quin principes eousque in monachos fuerunt liberales, vt etiam feuda & regalia eis concesserint. Hinc debilitatus & tantum non abiectus labor manualis, & cecidit monachorum disciplina: nam inde victus lautior, vestis pretiosior, aedificia elegantiora, negotiorum temporalium tractatio, & superiores a curis monasticis distracti, immo propter feuda in milites conuersi. Ad rem Arnoldus abbas Lubecensis *supplem. Helmoldi lib. III. cap.* 9., *ex temporalium abundantia dum coeperunt* monachi *carnaliter viuere, coeperunt etiam carnaliter sapere, refrixit caritas, subintrauit mundialitas.* Contulerunt etiam ad perdendam monasticam disciplinam plures aliae caussae, veluti publicae calamitates, & exemtiones ab episcoporum potestate; sed praecipua tantae ruinae caussa fuit rerum temporalium adquisitio. Espen. *par. I. tit.* 32. *cap.* 1.

§. X. Interim collapsa monastica disciplina reparatores semper habuit suos. Nono saeculo curis Caroli M. & Ludouici Pii monachatus splendor ferme restitutus; multum tamen veteris licentiae superfuit, nec restitutus la-

bor manualis, in quo vigor monasticae disciplinae consistebat. Deinceps variis reformationibus restituta est disciplina monastica curis illustrium virorum, qui vel renovarunt regulam Benedictinam, vel nouas regulas excogitarunt. Hinc saeculo decimo & sequentibus nati Cluniacenses, Camaldulenses, Grandimontenses, Carthusiani & Cistertienses: qui omnes, non secus ac anteriores monachi, initio austeritate, sanctitate & neglectu redituum temporalium floruerunt; sed inde adquisitis opibus in deterius prolapsi sunt: & hinc monachorum historia continua est virtutis & corruptionis alternatio.

§. XI. Per decem ferme saecula inter monachos nulla fuit ordinum diuersitas, sed omnes & Orientales & Occidentales vnius instituti esse censebantur. Mabillon. *praefat. ad* 1. *part. saec. IV. Benedictinorum n.*52. Variae quidem pro monasteriorum varietate erant regulae; at omnes eodem redibant, & quae essentiam vitae monasticae constituunt, omnibus inerant. Apud Orientales monachi adhuc sunt vnius ordinis, nec vestibus inter se distinguuntur. Verum in Occidente circa decimum saeculum ordinum diuersitas primum inualuit, iecerunque distinctionis semina Cluniacenses, qui vnam ex pluribus monasteriis instituerunt congregationem, qua ab aliis monachis se distinxerunt. Inductam diuersitatem inde Camaldulenses, Carthusiani & Cistertienses auxerunt, Mendicantes vero perfecerunt, qui in multos ordines abierunt, moribus, institutis, vestibus & exercitiis etiam pietatis distinctos. Ne vero in nouas familias, quae in diem instituebantur, superstitio irreperet, cauit Innocentius III. in synodo Lateranensi, vt nouae regulae non inueniantur; sed quicumque conuerti velit, vnam ex receptis & probatis seligat, *cap.* 19. *ex. de religiosis domib.* Et ita ad nouam religionem fundandam necessaria deinceps fuit pontificis confirmatio.

§. XII. Iam vero ad vndecimum vsque saeculum monastica vita toties lapsa & restituta naturam semper retinuit suam, nimirum a saeculi turbis secessionem; at deinceps perseuerante veteri instituto, in plerisque nouis ordinibus vita monastica nouam recepit formam, qua vel clerici vitam monasticam superinduerunt, vel regulares alio-

aliorum salutem coeperunt curare, quin & fidem armis propagare & tueri. Hinc vita monastica a primaeua natura & instituto multum discessit: nouique religiosorum ordines in *clericales*, *militares*, *mendicantes*, & *pios operarios* partiri possunt. Religiosi clerici sunt canonici regulares, qui, lapsa canonica vita a Chrodogango instituta, in vitam communem & monasticis votis adstrictam saeculo vndecimo coalescere coeperunt, & deinceps multiplicati variis reformationibus in varias abierunt familias. Sed de canonicis regularibus supra vberius dictum est.

§. XIII. Religiosi milites tribus votis, non secus ac reliqui regulares, adstricti, fidem & religionem armis contra infideles propugnare profitentur, non obstante quod monachis arma minime conueniant. Initio tres eorum ordines fuerunt, *Templarii* nempe, *Hospitalarii*, & *Teutonici*, qui omnes tempore sacrarum in terram sanctam expeditionum instituti sunt, quod Iacobus de Vitriaco *histor. Hierosolym. cap. LXIV. & seqq.* pluribus narrat. *Templarii* ita dicti, quod prope templum domini aedes haberent suas, initio peregrinos in itinere tueri susceperunt: at deinceps ordo auctus euasit generalis ad terrae sanctae & religionis defensionem. *Hospitalarii* initio in nosocomio S. Ioannis Eleemosynarii Hierosolymis fundato infirmis ministrarunt, sed postea, quod res christiana in Palaestina ope indigeret, milites etiam receperunt, & tandem totus ordo equestris euasit. *Teutonici* quoque initio in hospitali ad solos Teutonicos excipiendos Hierosolymis erecto deseruiebant, at inde in obsidione Ptolemaidis, vt auxilio essent Teutonicis militibus, militiam etiam susceperunt.

§. XIV. Ita nati tres isti militares ordines, qui brevi ex genio saeculi supra fidem numero & diuitiis aucti, & a pontificibus probati sub regula S. Augustini, tamquam canonici regulares, vixerunt. Quousque res christiana in Palaestina stetit, inter victorias & clades variam subierunt fortunam. Sed anno CIↃCCXCI. capta Acri civitate, & virtute christianorum attrita, natale solum reliquerunt, nouas sedes quaerere coacti. Templarii per omnem Europam se diffuderunt, vbi vsque ad inuidiam bonis aucti, tandem a Clemente v., rem Philippo Pul-

ero Galliae rege promouente, omnino deleti sunt. Hospitalarii initio Cyprum, inde Rhodum concesserunt, vnde tandem impetu Turcarum expulsi, beneficio Caroli V. anno CIↃIↃXXX. Melitam insulam acceperunt, vbi adhuc sedem habet magnus ordinis magister, & *Equites Melitenses* appellantur. Ordo iste per multas Europae regiones extenditur, & in octo *linguas* seu regiones tribuitur. Teutonici in patriam reuersi sunt, vbi bonis aucti tantum nobiles Germanos in suam societatem admittunt. Horum ordinum militarium exemplo deinceps alii ordines militares instituti sunt.

§. XV. Mendicantes sunt religiosi, qui mendicato pane viuunt, & clericis in adiutorium dati monastica instituta profitentur, quatenus iis demandatae hierarchicae functiones patiuntur. Sunt mendicantes vel ex regula, vel ex constitutionibus, quorum illi ex regulae statutis nec in commune reditus & fundos habere possunt; isti vero reditus non possident propter ordinum constitutiones, quae regulae redituum possessionem permittenti derogarunt. Espen. *par. I. tit. 29. cap. 4.* Primi iique celebriores mendicantes sunt *Fratres minores*, *Praedicatores*, *Carmelitae*, & *Augustiniani* (*h*), ex quibus fratres minores mendicantes ex regula, ceteri sunt ex constitutionibus. Huic mendi-

(h) Fratrum minorum institutor S. Franciscus Assisiensis, qui nouum ordinem anno CIↃCCVIII. in rigida instituit paupertate, discipulosque suos labore, eoque deficiente, eleemosynis viuere praecepit. Praedicatores eodem ferme tempore S. Dominicus nobilis Hispanus sub regula S. Augustini instituit. Carmelitae initio fuerunt eremitae sub finem saeculi decimi secundi a Bertoldo Calabro in monte Carmelo collecti, quibus Albertus patriarcha Hierosolymitanus regulam dedit ferme cum Basiliana conuenientem, quam inde Honorius III. probauit. V. Nat. Alexand. *hist. saec. XIII. cap. 7. art. 5.* Propter Saracenorum incursus inde in Occidentem Carmelitae commigrarunt, vbi ab Innocentio IV. inter ordines religiosos relati sunt. Et demum Augustiniani auctoritate Alexandri IV. emerserunt, qui varios eremitarum coetus in vnam sub regula S. Augustini societatem coëgit.

dicantium quadrigae inde plures alii accesserunt, veluti *Minimi S. Francisci de Paula* aliique, quibus pontificum bullis priuilegia mendicantium concessa sunt.

§ XVI. Regula S. Francisci, ad cuius exemplum postea reliqui mendicantes redituum etiam in commune possessionem eiurarunt, tum stipem emendicare permittit, quum ex manuum laboribus deficiunt alimenta, *reg. Franc. cap. V. & VII.* Verum mendicantes opus manuum, quod vix stare poterat cum studiis litterarum & ecclesiae ministerio, ab ipsis in cleri adiutorium adsumto, abiecerunt, & emendicata stipe sibi quaerere coeperunt alimenta (*i*).

§. XVII. In paupertate instituto mendicantium ordine spes erat, vt diutius staret incorruptus. Verum quis crederet? ipsa summa mendicitas caussa praecipua fuit, vt ab instituto deficeret. Scilicet breui in immensum numerum creuerunt mendicantium familiae, ad quas alendas fidelium eleemosynae non sufficiebant. Porro in tanta fratrum multitudine pauci erant, iique vita perfectiores, qui summam paupertatem aequo animo sustinerent. S. Thom. *opusc. XVII. cap. 16.* Ita in ipso suae institutionis exordio ceciderunt mendicantes, eorumque malos mores S. Bonauentura & Matthaeus Parisiensis viuis coloribus depingunt. Sed lapsa mendicantium disciplina reparatores habuit suos, & hinc nati noui ordines, quales *Minores obseruantiae*, *Capucini*, *Discalceati Augustiniani*, *Discalceati Carmelitae*.

§. XVIII. Experientia edocti mendicantes, eleemosy-

O 4 nas

(i) Hanc regularium mendicitatem tamquam improbam & euangelicae perfectioni contrariam Gulielmus de S. Amore acerrime perstrinxit, tum exemplo Christi & apostolorum, qui illud vitae genus respuerunt, tum etiam quod nefas esset, corpore validos eleemosynis sustentari. Sed hanc sententiam tamquam nefariam Alexander IV. damnauit. Et sane viri religiosi ad opus manuum non tenentur, quando studiis & ecclesiae ministerio occupantur: quam doctrinam S. Bonauentura & S. Thomas proponunt. Interim non negat S. Thomas 2. 2. *quaest.* 187. *art.* 4., nefas esse eleemosynis viuere religiosos corpore validos, qui nulli vtilitati ecclesiae sunt.

nas ad tantas regularium familias alendas non sufficere, consultius iudicarunt, temporalium in commune possessionem admittere. Ergo plures sedis apostolicae prodierunt bullae, quae temporalium possessionem mendicantibus concederent; & in pluribus ordinibus noua statuta antiquioribus constitutionibus, quae status reditus reiecerant, derogarunt, & regulam restituerunt. Hanc inductam disciplinam Tridentini patres *sess. XXV. de regular. cap.* 3. probarunt, qui omnibus monasteriis & virorum & mulierum etiam mendicantium bona immobilia possidere concesserunt, fratribus Capucinis & Minoribus de obseruantia exceptis, qui in sua puritate Franciscanam regulam adoptaverant. Sed semel concessa temporalium & redituum possessione, mendicantes ad summas diuitias transierunt, vtinam semper bonis artibus quaesitas! Et tamen mendicantes esse & nominari non desierunt.

§. XIX. Quod demum spectat pios operarios, eo nomine intelligimus viros religiosos, qui ad vota monastica aliquod pium opus addunt, quique nec mendicantes origine sua, nec milites sunt. Tales censentur religiosi ordinis sanctissimae Trinitatis *de redemptione captiuorum*, qui a Ioanne de Matha & Felice anachoreta Valesiensi instituti, praeter monastica vota profitentur captiuorum a manibus infidelium redemtionem; & religiosi S. Mariae de Mercede a Petro Nolasco instituti, qui ad redimendos captiuos etiam seipsos tradunt obsides.

CAPVT XXXIX.

De probatione vitae monasticae praemittenda.

§. I. DVrum & irreuocabile vitae genus non est sine matura discussione suscipiendum. Hinc ex antiquis institutis probatio, quam dicunt *nouitiatum*, vitae monasticae praemittenda est. Venit nomine probationis diligens examen, quo voluntas eius, qui conuerti desiderat, exploratur, an serio velit & possit vitam monasticam

cam profiteri. Intereſt vero examen praemitti non minus poſtulantium, quam monachorum, ne ſera vtroſque capiat poenitentia, vel quod inauſpicato durum & perpetuum vitae genus induerint, vel quod quietis & pacis monaſticae perturbatores receperint.

§.II. Iam vero qui vitam monaſticam profiteri deſiderant, non ſtatim ad probationem admittendi, ſed vbi conſtat, eos ex animo conuerti velle, & nulla eſſe impedimenta, quae propoſitum impediant. Ergo qui libere poſſunt & volunt, ad probationem admittuntur, & in cella ad hoc opus ſeparata ſub *ſeniore*, quem *magiſtrum nouitiorum* dicunt, in monaſticis aſperitatibus exercentur, & in regula & ordinis conſtitutionibus inſtituuntur, vt ita deliberent, an religionis onus ſubire velint, & monachi de eorum vocatione iudicent. In primis vero exploranda cauſſa conuerſionis, nam inde conſtat, vnde vitae ſingularis acceſſit deſiderium, *nouel. V. Iuſtin. cap.*2. In ſeparata cella fortaſſe candidati inſtituendi, ne forte videntes defectus monachorum, religionem profiteantur, quamuis ad regulam viuere non intendant. Quin ex bulla Innocentii XII. in Italia & adiacentibus inſulis monaſteria rigidae obſeruantiae probandis nouitiis addicta ſunt.

§. III. Schola autem probationis ad monaſticam vitam non vnius horae, aut diei negotium eſt (*a*). In Occidente ex regula Benedictina vnius anni ſpatio probatio incluſa: quam diſciplinam patres Tridentini *ſeſ. XXV. de regul. cap.* 15. probarunt; ſed integra reliquerunt ſtatuta ordinum, quae longiorem praeſcribunt probationem. Integer vero annus ex noua diſciplina neceſſarius eſt ad probationem, adeo vt ſi ante annum edatur, nullius effectus ſit. Trident. *loc. cit.* (*b*). Currit vero annus iſte a mo-

(a) Monachi Orientales, & praeſertim Aegyptii, tres annos probationi ſtatuerunt, teſte Sozomeno *lib. III. cap.* 33., quod tempus Iuſtinianus ſeruandum edixit, *nouel. V. cap.* 2. At regula Benedictina *cap. LVIII.* vnius anni ſpatio incluſit probationem. Medium vero iter tenens Gregorius M. *lib.VIII. ep.*23. ante biennii probationem neminem tondendum permiſit.

(b) Iure decretalium ad vim monaſticae profeſſionis non pertine-

a momento ad momentum, & debet esse continuus, nec ei potest renuntiari.

§. IV. Quousque durat probatio ante professionem emissam, liberum est tironibus vitae monasticae a proposito discedere, & aliud vitae genus suscipere: quod regulae monachorum supponunt, & Tridentini patres *loc. cit. cap.* 16. confirmarunt. Hinc in veteri disciplina novitii tempore probationis vestes monasticas non induebant, sed in proprio habitu & tonsura persistebant, *reg. Bened. cap.LVIII*, *nouel.V. Iustin. cap.* 2. Stante nouitiorum libertate ad saeculum redeundi, nefas videbatur iis tradere vestes monasticas. Sed iam mutata est disciplina, & novitii in Occidente probantur in veste & tonsura monastica (c), quam dum suscipiunt, probatio coepta intelligitur. Ita minor facta libertas nouitiorum ad saeculum redeundi: nam prout sunt mores, abiectio monasticae vestis nescio quid turpitudinis solet in desertores deriuare.

§. V. Sollemnis eorum, qui monasticam vitam profiteri cupiebant, mos fuit, ante probationem, vel ea nondum impleta, de rebus suis disponere, eas vel in pauperes erogantes, vel in monasterium inferentes, vel parentibus relinquentes, vt ita nudi Iesum Christum sequerentur. Verum nil magis vitae monasticae tironibus nocuit, quam praeceps rerum suarum irreuocabilis facta largitio. Facti inde sunt minus liberi, & seipsos ad edendam professio-

tinebat probatio, nec necessario integra praemitti debebat: novitius enim & monasterium ei poterant renuntiare, *cap.* 16. *ex. de regularib.* Hinc & apud Benedictinos & postea apud Mendicantes saepe sine probatione, aut ea non impleta monachi fiebant, & ita sanctissimi ordines inutilibus & malis monachis grauati.

(c) Mutatae apud Latinos disciplinae caussa omissa olim probatio videtur fuisse. Nimirum saeculo decimo secundo & sequenti monachi ab ipsa petitione creabantur, atque adeo vestes & tonsuram monasticam sumebant: inde vbi canones probationem vrgere coeperunt, remansit recepta consuetudo, vt initio probationis monasticus habitus sumeretur. V. Espen. *par. I. tit.* 25. *cap.* 3.

fessionem, ne in saeculo mendici viuerent, coëgerunt. Hinc statuerunt Tridentini patres *sess. XXV. de regul. cap. 16.*, vt nulla obligatio, aut renuntiatio ante professionem facta etiam cum iureiurando vel ad pias caussas valeat, nisi intra duos menses proximos ante professionem cum licentia episcopi vel eius vicarii fiat; & iure facta tantum post professionem suum effectum sortiatur: itemque voluerunt, ne ante professionem quocumque nomine a nouitiorum parentibus, propinquis, vel curatoribus monasterio aliquid de illorum bonis, excepto victu & vestitu, tribuatur, ne ex hac caussa discedere impediantur. Ita libertati nouitiorum plene prouisum. Constitutio generalis est, sed vulgo ad irreuocabiles dispositiones & intuitu vitae monasticae factas restringitur, quales donationes inter viuos, officiorum publicorum & beneficiorum renuntiationes.

C A P V T XL.

De monachorum professione.

§. I. PRobationis tempore exacto, candidati inter monachos per professionem cooptantur. Est professio certae probataeque religionis promissio aperte adhibitisque sollemnibus, vel factis ipsis declarata. Hinc professio monastica duplex est, sollemnis, & tacita, prout consuetis sollemnibus, vel tacitis signis editur. Ita iure decretalium gestatio per annum vestis monasticae pro professione censetur, *cap. 22. ex. de regularib.* Sed in plerisque prouinciis non amplius tacitae professiones admittuntur, & monachi tantum sollemni professione creantur, qua professurus palam in oratorio & viua voce formulam voti recitat, adhibitis aliis sollemnitatibus secundum receptos ordinum ritus.

§. II. In professione monachi habitum suae religionis sollemniter induunt, & in monachos attonduntur. Et ad vestem quod spectat, initio monachi Pachomiani proprias

vestes

vestes easque asperas & duras videntur induisse, Cassian. *de institut. renunt. lib. I.*; sed monachi Occidentales saltem lapsu temporis etiam proprias susceperunt (*a*), quae nigrae erant & in omnibus vniformes: tandem vero saeculo decimo in Occidente coeperunt monachi vestibus inter se distingui, quae diuersitas creuit eundo, & iam singuli ordines proprias & coloribus distinctas vestes habent. Vestem monasticam Graeci *habitum angelicum* dicunt, fortasse quod patres vitam monasticam saepe *angelicam* appellant.

§. III. Porro simul cum veste qui vitam monasticam profitentur, monasticam tonsuram sumunt: quae ex noua disciplina in regularibus clericatu initiatis parum a tonsura clericali distat (*b*).

§. IV. Vt vero iure edatur monastica professio, multa requiruntur. In primis necessarius est eius, qui conuertitur, consensus: quî enim durum & perpetuum vitae genus obtruditur inuitis? Et hinc vi metuque edita professio nulla est, *can.* 9. C. 20. *q.* 1., modo metus & coactio sint non vani hominis, sed constantis, puta si mors aut corporis cruciatus inferatur (*c*).

§. V.

(a) Monachi Occidentales communibus, sed modestis vestibus olim vtebantur; praesertim vero pallium, quod erat philosophorum vestis, induerunt: quamuis non defuerint, qui catenati & superstitioso amictu incederent. V. Bingh. *origin. eccles. lib. VII. cap.* 3. §. 6.

(b) Generatim olim monachi modesto erant capillitio, inter longam comam & caluitium medio: sed paullo post capillos inaequaliter & ad cutem tondere coeperunt, vt ita hominibus despicatui essent. Paulin. *epist. VIII.*, Saluian. *de gubern. lib. VIII.* Sic composita monastica tonsura distabat a tonsura clericorum, quae aequaliter detonso superius capite, inferius capillorum circulum relinquebat. Apud Orientales septimo saeculo monachi integrum caput videntur rasisse. Beda *lib. IV. cap.* 5. Verum lapsu temporis, vbi multi monachi in sortem domini vocati sunt, monastica tonsura in clericalem degenerauit. V. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par.* I. *lib.* 2. *cap.* 38.

(c) Mediis saeculis nil frequentius, quam monasticae professiones per vim factae, quae ex multorum sententia valebant. Christ.

§. V. Porro qui professionem monasticam edunt, in eo statu esse debent, quo libere vouere possint. Ita filiifamilias sine consensu patris ex antiquis regulis monachi fieri non poterant, conc. Gangr. *can. XVI.*; at Iustinianus etiam sine parentum consensu filiisfamilias vitam monasticam profiteri concessit, *L* 55. *C. de episc.* Item iure ciuili publicis rationibus adstricti & milites vetantur ad monachos transire, nisi per diuales litteras absoluti, aut emeritis stipendiis, quod Mauritii imperatoris lege cautum est (*d*). Coniugati quoque post carnis commistionem, altero inuito, monasticam vitam profiteri prohibentur, *can.* 6. *C.* 33. *q.*5.; at si ex compacto agant, licita est professio, modo ambo conuertantur, aut saltem qui in saeculo remanet, votum castitatis emittat. Quod si nuptiae nondum in vsum deductae sint, etiam altero inuito licet coniugi ad monachos transire, *cap* 12. *ex. de conuers. coniugatorum*: quin coniuges post contractas nuptias non statim matrimonio vti coguntur, sed habent duorum mensium inducias ad monasterium eligendum, *cap.* 7. *ex. eod.*

§. VI. Item professio monastica fieri debet aetate per canones statuta, & ante facta nullius effectus est. Varia fuit

---

Christ. Lupus *schol. in decret. II. S. Leonis IX.* Sed nono saeculo apud Latinos multis displicebant per vim obiectae professiones, & hinc per canones statutum, eas nullius effectus esse, *can.* 9. *C.* 20. *q.* 1., nisi in criminum poenam decernerentur.

(d) Gregorius M. christianae pietati aduersari putabat, militibus vitam monasticam denegari. Hinc pro legis moderatione ad imperatorem retulit, officiis & rationibus vsus. Greg. M. *lib. II. ep.* 62. Interim vero ad se missam legem quadam adhibita moderatione publicauit, seu potius legis exsecutionem suspendit adhibita moderatione, quousque principis voluntas innotesceret. Etenim metropolitanos hortatus est, vt milites publicis rationibus non implicatos diligenti inquisitione & triennii probatione praemissa ad vitam monasticam admitterent. Ita pius pontifex legem temperauit, sed non pontificia potestate, sed quod cognita Mauritii religione, sperabat, talem moderationem principi non displicere.

fuit ecclesiae disciplina de aetate ad vitam monasticam profitendam necessaria (e); sed ex regulis Tridentinis *sess. XXV. de regul. cap.* 15. professioni religiosae pro vtroque sexu annus decimus sextus aetatis exactus dictus est, & ita quidem vt ante facta nulla esset. Quo decreto ordinum constitutionibus, quae maiorem requirebant aetatem, derogatum non est. V. Fagnan. *ad cap.* nullus. *ex. de regular. n.* 15. Sed satius esset, maturiorem aetatem vitae monasticae praestituere, nam in tenera aetate integrum vitae monasticae pondus non adgnoscimus: & laxata in plerisque familiis claustri disciplina, saepe euenit, vt monachi continuis egressionibus saeculum diu post renuntiationem adgnoscant.

§. VII. Veteri disciplina non tantum propria professio, sed & parentum oblatio monachum faciebat. Nempe parentes tenerae aetatis filios monasteriis offerebant, pro iis petentes vitam monasticam, qua oblatione accepta, statim filii monachi censebantur, nec poterant vmquam iniectum onus excutere. *Monachum*, inquit synodus Toletana IV. *can.* 48., *aut paterna deuotio, aut propria professio facit: quidquid horum fuerit, adligatum tenebit*. Offerebant autem ad monasterium filios non tantum patres, sed etiam matres, fiebatque oblatio in missa tempore oblationis. Quod vero pueri, qui non ex propria voluntate monachatum susceperant, inde facti grandiores frena mordebant, & in regulam peccabant, saeculo nono huiusmodi oblationes minus placuere, tandem vero omnino reiectae sunt; statuit enim Caelestinus III., vt filii oblati ad annos discretionis peruenientes potestatem habeant monasterio egrediendi, *cap.* 14. *ex. de regularib.*

§. VIII.

(e) Chrysostomus *lib. III. aduers. vituperat. vitae monast. cap.* 15. *seq.* decem annorum aetatem dixit sufficientem, quod a tenera aetate luctam oportebat auspicari: quos eosdem annos pro arbitrio episcopi differendos, aut praeueniendos synodus Trullana *can. XL.* probauit. Sed Latina ecclesia in vtroque sexu pubertatem monasticae vitae profitendae idoneam iudicauit, *cap.* 8. *seqq. ex. de regularib.* Ceterum Cluniacenses & Carthusiani ante vicesimum annum monachos non admittebant.

§. VIII. Iam profeſsio monaſtica gratis fieri debet, & datis temporalibus emiſſa ſapit ſimoniam, quam ſemper damnauit eccleſia. Conc Nicaen. II. *can.19.*, *cap.8. ex. de ſimonia*, *cap. 2. de ſtatu monach.* Sane in finem ſpiritualem coaleſcit monachorum ſocietas, ac proinde nefarium eſt in ea partem habere per pecuniam. Nec quod monaſteria monachos alant, licet eo nomine aliquid exigere, ſi illa opulenta ſint; reditus enim monaſtici ex eccleſiae & fundatorum mente ad alendos monachos impendi debent. Quin plerique canones nec admittunt, vt titulo paupertatis monaſterii aliquid a profitentibus exigatur, ne obtentu paupertatis nefariae exactiones tegerentur, *cap. 40. ex. de ſimonia*. V. Eſpen. *par. I tit.29 cap. 2.* Monaſteria tantum temporalia iure accipiunt, ſi ſponte a profitentibus offerantur, modo qui offert, vita monaſtica dignus ſit, & monachi offerentem admittant non propter oblata temporalia, ſed ſola conuerſi bona voluntate ducti, adeo vt etiam ſine bonis eum benigne acciperent. Quae quum ita ſint, contra regulas canonicas conſtituta & recepta ſunt pecuniaria ſubſidia, (vulgo *dotes*) quae ſanctimoniales ante profeſsionem monaſteriis inferre debent (f).

§. IX. Per monaſticam profeſſionem monachi mundo

(f) Non deſunt, qui quaeſitis coloribus monaſticas dotes etiam ab opulentis monaſteriis rite exigi ſtatuunt. Vt ecce Chriſtianus Lupus *ſch. in can. XIX. conc. Nicaeni II.* tenet, eas iure exigi ſpecie quadam tranſactionis, qua monaſteria renuntiant futuris iuribus & hereditatibus, quae ipſis ex perſona monachi & monaſtriae ex legibus competerent. Et Benedictus XIV. *de ſynodo dioeceſ. lib.XI. cap.6.* dotes ab oeconomia tuetur, vt nempe nouis ſubſidiis acceptis reparentur ſtati monaſteriorum reditus, qui parum recta adminiſtratione & inopinatis caſibus paullatim deminuuntur. Sed quae eſſe poteſt tranſactio, quando leges, quae monaſteria ex perſona monachorum ad hereditates vocant, aut receptae non ſunt, aut ſi receptae, omnem tandem vim perdiderunt? V. Eſpen. *diſſ. de vitio peculiarit. par. II. cap. 2.* Et neſcio, an ſemper expediat in detrimentum ciuitatis nouis & frequentioribus ſubſidiis augeri ipſa opulentiora monaſteria, tantum quod eorum reditus poſſunt deminui.

do mori, & Deo renasci censentur. Sane ciuitati, nuptiis, rerum proprietati, quin & proprio arbitrio perpetuum renuntiabant: & patres vitam monasticam veluti secundum baptisma, quo maculae omnes abstergerentur, reputarunt. Hieronym. *ep. XXVIII. ad Paulam*, Christ. Lup. *schol. in decr. I. Leonis IX.* Saeculo sexto haec erat episcoporum Orientalium sententia; etenim Iustinianus, qui nouellas suas ex sententia episcoporum conscripsit, adfirmat, conuersationem monasticam omnem monachi maculam abstergere, *nouel. V. in praef.* Hinc videtur mos ille in vtraque ecclesia receptus, quo christiani in mortis lecto decumbentes, vestem monasticam adsumere consueuerunt, & in fine vitam monasticam profiteri. Christ. Lupus *loc. cit.*

§. X. Sic vero monachi saeculo mortui & Deo renati ad *stabilitatem* obligantur, quae secundum regulam Benedictinam duabus partibus absoluitur, nempe vt monachi monasterio non egrediantur, & monasticam vitam amplius non deponant. Et sane continua in monasterio mora ad essentiam monasticae vitae pertinet, quae a saeculi turbis remota, Deo & solitudini adquiescit. Conc. Chalced. *can. IV.*, Trullan. *can. XLVI.* Hinc credebant veteres, monasteriis monachos egressos, non secus ac pisces extra aquas, viuere non posse. Monasterium autem, in quo perpetuo morari monachos oportet, erat illud ipsum, in quo emiserunt professionem, conc. Chalced. *cit. can. IV.*, nec nisi de abbatis venia licebat de monasterio in monasterium transire. Tantum in ecclesiae, proximi, aut monasterii necessitatibus poterant monachi ex superioris venia & vno aut pluribus comitibus stipati monasterio exire. Claustri disciplinam Camaldulenses & Carthusiani etiam seruant, minus Benedictini, omnium minime Mendicantes, qui vt clericis essent adiutorio, eam omnino relaxarunt. Sed moniales perpetua tenentur clausura, tantumque ex legitima caussa ab episcopo probata monasterio egredi permittuntur. Trident. *sess. XXV. de regul. cap.* 5. Quod sane decebat feminarum pudicitiam: quamvis clausura monialium modo vsurpata multum distet a solitudine monachis propria.

§. XI. Praeterea monachi semel certam regulam professi

fessi ad eam perpetuo adstringuntur, nec ferme ab vno ad alium ordinem transire possunt. Vbi nulla erat ordinum diuersitas, inauditus fuit de vna religione in aliam transitus; verum temporis lapsu recepta in Occidente ordinum diuersitate, vna auditae sunt ordinum mutationes, quas tamen S.Bernardus *de praecep. & dispens. cap.XXVI.* improbauit, nisi in proprio ordine peccandi necessitas monachis immineret. At deinceps in diem auctis numero religiosorum ordinibus, quorum alii rigidioribus, alii laxioribus institutis viuunt, a laxiore ad rigidiorem transitus permissus est, non item contra, *cap.18. ex. de regularibus*, Trident. *loc. cit. cap. 9.* Mendicantes tamen ad alios non mendicantium ordines praeter Carthusianos sine pontificis venia transire vetantur, *extrauag. 1. de regularib. in comm.*, idque ne obtentu rigidioris regulae dignitates & monastica beneficia ambiant. Item transitus ad laxiorem ordinem nisi ex venia pontificis non conceditur, nec indulgentia facile concedi solet.

§. XII. Sed monachis omnino non licet eiurare vitam monasticam, & in saeculum reuerti. Qui vota monastica violant, & ad saeculum redeunt, *apostatae* & *transfugae* vocantur. Est apostasia a vita monastica grande facinus, vtpote qua promissio Deo facta abrumpitur. Veteres canones monachos desertores, qui poenitentes ad monasterium non reuertebantur, excommunicatione plectunt. Conc. Chalced. *can. VII.*, conc. Tolet. IV. *can.* 54. Ex Iustiniani vero *nouel. CXXIII. cap.* 42. desertores monachi monasterio restitui debent. Nec aliter habet noua disciplina, quae monachos apostatas anathemate compellit, & ad poenitentiam monasterio includit, *cap. vlt. ex. de regularib.*

§. XIII. Quamuis autem semel emissa monastica professio perpetuo obligaret; tamen si qui monachi essent *incorrigibiles*, a monasteriis solebant expelli, *ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet*, inquit S. Benedictus in *reg. cap. XXVIII.* Tum vero ad malorum monachorum expulsionem veteres procedebant, si omnibus remediis adhibitis, spes nulla conuersionis subesset. Eiecti vero monasteriis monachi inde tamquam laici viuebant. Verum deinceps mutata est disciplina, & pessimi mona-

chi a monasteriis non eiiciuntur, sed in eodem, vel diverso monasterio includuntur ad poenitentiam, quod Gregorius IX. statuit, *cap. vlt. ex. de regularib.* Et quamuis inde Vrbanus VIII. expulsionem incorrigibilium restituerit, modo post alia canonica remedia in carceribus anni spatio ieiuniis & poenitentiis subigantur, & nihilominus in malitia perseuerent; tamen non omnes prouinciae hoc decretum admiserunt. Espen. *par. I. tit.* 27. *cap.* 7.

§. XIV. Saepe contingit, vt monachi professionem suam impugnent, eamque vitio aetatis, probationis, aut alia caussa nullam dicant. Pro arbitrio olim exibant monasteriis, qui professionem impugnabant, nec nisi finita caussa eo redire cogebantur. Sed iure nouissimo regulares intra quinquennium a die professionis caussas nullitatis & coram antistite loci ordinario, & coram superiore suo proponere debent: & si antea habitum sua sponte deposuerint, ad adlegandam quamcumque caussam non admittuntur. Trid. *sess. XXV. de regular. cap.*19. Exacto quinquennio ab apostolica sede solent monachi caussa cognita in integrum restitui, quo possint professionem impugnare. V. card. de Luca *disc. XLI. de regularib.* Sed moniales in Italia etiam intra quinquennium contra professionem venire vetantur.

CAPVT XLI.

De votis & exercitiis monasticis.

§. I. VIta monastica semel suscepta etiam ex sollemni voto monachos & regulares omnes ad *obedientiam*, *paupertatem* & *castitatem* adstringit: quae tres virtutes integram ferme continent vitae monasticae naturam. Ex veteri disciplina monachi aperte nullum votum emittebant; sed secundum formulam Benedictinam, qualis nunc exstat, professionis tempore aperte promittunt *loci stabilitatem*, *morum conuersionem* & *obedientiam*, vnde per interpretationem tria monastica vota emanarunt, & se-

& secundum aliquas formulas aperte promittuntur. Videtur addita vitae monasticae religio voti, vt illa fortius obligaret, & exercitia monastica Deo essent acceptiora. Interim multi regulares praeter haec tria emittunt vota peculiaria, quales religiosi sanctissimae Trinitatis & ordines militares.

§. II. Principio vouent monachi obedientiam, qua promissione proprium arbitrium deponunt, & in omnibus a voluntate superioris pendere spondent, modo nihil aduersus Deum & regulam praecipiat. Viuunt monachi sub regula vitam communem, atque ideo in omnibus a recepta regula & superioris voluntate pendere debent. *Prima*, inquit de Aegypti coenobitis Hieronymus *epist. XXII. ad Eustoch. cap.* 15., *consoederatio est obedire maioribus*, *& quidquid iusserint*, *facere*. Obediunt autem monachi superiori suo in omnibus *sine mora*, *non tepide & cum bono animo*, vt S. Benedictus *reg. cap. V.* loquitur, vt nempe decet eum, qui vitam perfectam amplexus est. Appellatur ab antiquis *coeca* monachorum obedientia, non quod monachi in omnibus etiam contra Deum & bonos mores coeco impetu superiorem audire debent, sed quod non est eorum iussa expendere, dum superior secundum regulam iubet.

§. III. Vouent quoque monachi paupertatem, quae ex vitae coenobiticae natura id requirit, vt singuli cuiusque rei dominium abiiciant. Certe vita communis, quam monachi profitentur, non patitur, monachos singulos aliquid tamquam proprium possidere. Hinc recte Innocentius III. respondit, abdicationem dominii adeo esse propriam regulae monasticae, vt contra eam nec summus pontifex possit veniam indulgere, *cap. 6. ex. de statu monachor.* Sed non omnes monachi hac in re pares sunt; nam plerique ordines in commune statos reditus possident; aliqui vero etiam in commune rerum dominia eiurarunt (*a*). Itaque monachorum omnium paupertas in

 co

(a) Sed an mendicantes, qui rigidam paupertatem profitentur, nec dominii rerum, quae vsu consumuntur, capaces sint? Acerrime hac de re inter fratres minores concertatum est. S. Bo-

eo posita est, vt singuli monachi nihil tamquam proprium possideant; si enim aliquid possiderent, a communione discederent. Hinc ex communi penu monachi omnes habere debent ad vitam necessaria: & peculia monachorum, non secus ac monastica beneficia, quibus lapsa monachorum disciplina officiis claustralibus proprii & stabiles reditus cesserunt, aduersantur monasticae paupertati.

§. IV. Demum vouent monachi & regulares omnes castitatem, quae etiam a licitis coniunctionibus abstinentiam inuoluit. Carnales voluptates cum duriore vitae genere & continua poenitentia consistere non possunt. Et recte Innocentius III. respondit, castitatem, non minus quam paupertatem, adeo propriam esse vitae monasticae, vt eam nec summus pontifex possit relaxare, *cap. 6. ex. de statu monachorum* (*b*). Quod si monachi contra promissam castitatem matrimonia attentarent, excommunicabantur, conc. Chalced. *can. XVI.*; at in noua disciplina matrimonia ipsa omnino nulla sunt & inualida. V. Espen. *par. II. tit.* 13. *cap.* 4.

§. V. Iam vero obedientiae, paupertati & castitati accedere debent continuae carnis macerationes & adsiduae preces, quibus monachi ex natura vitae monasticae adstringuntur. Et quod spectat ad corporis macerationes, monachi omnes carnibus abstinebant, tantum olera & legumina man-

---

Bonauentura tenet, fratres minores etiam harum rerum dominium abiicere, illudque in ecclesiam Romanam transire, fratres vero vsum facti simplicis habere: quod Nicolaus III. *in cap.3. de verbor. signif. in 6.* & Clemens V. *Clement.* 1. *eod.* probarunt. Sed Ioannes XXII. hanc imaginariam ecclesiae Romanae proprietatem reiecit, ipsisque fratribus rerum, quae vsu consumuntur, dominium concessit, *extrauag.3. Ioan.XXII. eod.* V. Nat. Alexandr. *hist. eccles. saec.XIII. & XIV. cap.2.art.3.*

(b) Vt vero monachi melius seruarent castitatem, interdicta sunt monasteria duplicia, in quibus promiscua erat inter monachos & monastrias conuersatio & communis ad psallendum chorus, *L.* 44. *C. de episc. & clericis*, conc. VII. oecumen. *can.* 20. Et ad custodiam castitatis non patitur monastica disciplina, vt in claustra monachorum feminae ingrediantur.

manducabant: ex piscibus aliquando tantum minutis vtebantur, eosque pro summis deliciis habebant, quod Hieronymus *epist. XIII. ad Paulin.* testatur; similiter ex auibus tantum paruas edebant. Item monachi non bibebant vinum. Quod si infirmi essent, & carnes manducabant, & vinum bibebant: quin in exedram transferebantur laxiorem, vbi & cibis delicatis & omni auxilio fovebantur. Hieronym. *ep. XXII. ad Eustoch. cap.*15. Primus propter cordis duritiem S. Benedictus modicum vini monachis concessit, *reg. Bened. cap.XL.*, & longo tempore post S.Franciscus vsum carnis permisit. Exinde auita abstinentia in diem laxata est, adeo vt etiam Benedictini a regula desciuerint. Et qui ex monachis hodie abstinent a carnibus, in cibis veterum frugalitatem non imitantur.

§. VI. Porro in ipsa cibi vilitate inter monachos frequentia ieiunia esse debent. Monachi Aegyptii omnibus diebus vsque ad horam nonam ieiunabant, sabbato tantum, dominica & quinquaginta diebus pentecostes exceptis, in quibus meridie solebant manducare, teste Hieronymo *ep.XXII. ad Eustoch. cap.*15.; nefas enim erat die dominico & festis (festus dies in Oriente sabbatum erat) ieiunare. Sed non omnes regulae hac in re erant aequales, nec omnes eamdem ieiunandi necessitatem imponebant; ex regula enim Pachomiana licebat monachis, prout erant corpore validi, aut debiles, ieiunia intendere, aut relaxare. Recentiores regulares suos etiam habent ieiuniorum dies, quos passim regulae designant. Ieiuniis accedunt cubile durius, vestis crassior, flagellationes, pedum nuditas ceteraeque corporis macerationes, quae longa serie in regulis & institutis monasticis recensentur.

§. VII. Ieiuniis addere debent monachi continuas & extraordinarias preces, quo omnia perfectioni respondeant. Et reapse monachi omnes habebant statas & communes preces, & ne aliquod tempus sine Dei laude abire sinerent, priuatim lectioni & orationibus vacabant. Porro tempore mensae obuiandis inutilibus & vanis consabulationibus institutae sacrae lectiones. Mendicantes praeter statas precandi horas, varias precationis formulas aliaque opera supererogationis induxerunt, quae vtinam supra modum non extulissent. Priuatae vero preces etiam ex pro-

priis institutis non adeo inter eos continuae, quod sacro ministerio & studiis, quibus vacant, interrumpuntur.

CAPVT XLII.

De clericatu monachorum.

§. I. Monachi omnes ratione status sui laici fuerunt, clericalis enim vita, vtpote quae versatur in cura animarum, a solitudine abhorret, & vita monastica solitudini addicta est (*a*).

§. II. Quo vero sacra mysteria in vsum monachorum celebrarentur, vel ab antiquo nonnulli monachi in monasteriis clerici creati sunt: quae disciplina a monasteriis, quae in desertis & procul a ciuitatibus erant constituta, sensim ad omnia monasteria pertransiit (*b*). Monachi autem in

(a) Monachos origine sua laicos fuisse ex vniuersa antiquitate constat. Sane Hieronymus *epist.LIII. ad Ripar.* docet, monachos non docere, quod proprium erat clericorum, sed plangere. *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium.* Et scribens ad Paulinum, eum adhortatur, vt si clericali vitae studeret, sedem sibi figeret in vrbibus; secederet vero in solitudinem, si monasticam vitam meditaretur. Porro antiqui canones monachos publicae poenitentiae subiiciunt, quam laici, non clerici subire solebant: & vbi pro eodem crimine diuersa poena clericis & monachis irrogatur, illi deponuntur, hi excommunicantur, conc. Chalced. *can. II. & VIII.*, Trullan. *can. LXXXIII.*: quod aperte demonstrat, monachos laicos, non clericos fuisse. Quod si in antiquis monumentis aliquando monachi a laicis distinguantur; id ea ratione factum est, quod diuersum vitae genus a laicis profitebantur, non quia in sortem domini erant cooptati.

(b) Non eadem hac in re fuit omnium monasteriorum disciplina. Et quidem in monasteriis Scithi, siue Scythiae in Aegypti desertis presbyteri ex monachis erant, teste Cassiano *collat.III. c.* 1. Contra Pachomiana etiam in desertis constituta nullum

in monasteriis aucti clericatu admodum pauci longo tempore fuerunt(c); at labentibus annis mutata est disciplina, sensimque eo ventum, vt monachi pro maxima parte augerentur clericatu. Et sane mendicantes a sua ferme institutione, quod clericis in procuranda animarum salute adiutorio accessissent, magno numero ad sacerdotium promoti sunt. Et saeculo decimo quarto Clemens v. ad ampliationem diuini cultus edixit, vt *monachi quilibet ad monitionem abbatis* sacris ordinibus initiarentur. *Clement:* 1. §. 8. *de statu monachor.*

§. III. Iam vero moribus iampridem receptis monachi alii sunt *clerici*, alii *laici*, quos fratres *conuersos* dicunt: quam diuisionem propagatum inter monachos sa-

nullum habebant presbyterum, sed e proximis vicis ad sacra facienda singulis vicibus presbyteros euocabant. V. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. I. lib.* 3. *cap.* 13. Et in multis monasteriis in locis habitatis aut non longe positis sacra non fiebant, sed monachi cum suo abbate ad ecclesias parochiales se conferebant, vbi cum reliquo populo sacros conuentus celebrabant, quibus finitis ad sua praesepia redibant. Athan. *apol. pro fuga*, Pallad. *hist. Laus. cap. LII.* Fuerunt etiam monasteria, quae clericos ad monasterii titulum ordinatos habuerunt. Conc. Chalced. *can. VI.* Sed tandem in omnibus monasteriis monachorum aliqui sacerdotio aucti sunt: quam disciplinam in Occidente S. Benedictus promouit, & clerici externi monachis eorumque bonis graues fecerunt necessariam.

(c) Quatuor monachorum numerosae congregationes, quae erant in Scythiae desertis, vnum singulae videntur habuisse presbyterum, Cassian. *collat. III. cap.*1. *& collat. X. cap.*2.; & licet ea, cui praeerat Paphnutius, duos haberet; id tamen ea ratione factum est, quod Paphnutius sibi viuus Danielem elegerit successorem. Maior clericorum numerus, quem saeculo sexto habere poterant Orientalia monasteria, quatuor aut quinque non excedebat. *Nouel. CXXLIII. cap.* 2. Exiguo etiam numero in monasteriis Occidentis erant monachi in sortem domini vocati: regula enim Benedictina tum permittit abbati monachum presbyteratu aut diaconatu initiandum episcopo offerre, si necessitas sacrorum celebrandorum postularet.

cerdotium confirmauit (*d*). Monachi clerici ad officia chori & sacrum ministerium sunt addicti: laici vero ad opera manualia destinantur. Similis distinctio etiam est inter monastrias, quarum aliae *choristae*, aliae *conuersae*.

§. IV. Quicumque vero esset in veteri disciplina numerus monachorum, qui in monasteriis clerici creabantur; certe in iis celebratio sacrorum mysteriorum priuata erat, nec praeter monachos ad eam reliqui christiani poterant conuenire. Fidelis populus ad ecclesiam parochialem, quae eum in Christo genuerat, pertinebat. Et publicae missae in monasteriis seruorum Dei quietem turbare videbantur. Gregor. M. *lib. IV. epist.* 43. Hinc stata loca ad celebrationem mysteriorum in monasteriis destinata proprie ecclesiae non erant, sed priuata oratoria, seu *capellae*, quae in ipso claustro erant exstructae, eaque ferme amplitudine, quae tantum monachos caperent. Et in monasteriis tempore celebrationis missarum portae claudebantur, vt nemini aditus pateret.

§. V. Inter regulares propagatum sacerdotium receptam in ecclesia disciplinam ferme omnem immutauit. Inde episcoporum & parochorum imminuta iura, & monachi sacramenta populis coeperunt administrare: quod a munere pastorali cessantibus clericis Cluniacenses & Cistertienses primi fecisse videntur. Hi noui mores magis producti sunt exortis mendicantibus, qui ad sacramenta christianis administranda & praedicationes habendas prosilierunt, quod clericis accessissent adiutorio. Vnde

(d) Per plura saecula monachorum omnium fors aequalis: omnes etiam monachi clerici ad opus manuum tenebantur, omnesque ad officia chori conueniebant, & horas canonicas recitabant. Monachi Vallis Vmbrosae in Tuscia primi sensu hodierno conuersos recepisse videntur, quos inde Carthusiani & Cistertienses secuti sunt. Origo vero distinctionis ab vsu linguae Latinae desueto videtur repetenda; quum enim non omnes monachi latine scirent, factum est, vt plures non valerent horas canonicas latina lingua compositas recitare; quibus ad opera manualia ablegatis, tantum latine scientes chorum retinuerunt. Fleuryus *disc. V. in hist. eccles.*

de ferme omnes monachorum & regularium apertae ecclesiae, missae publicae in iis celebratae, sacramenta a regularibus administrata, eorum oratoria in amplas ecclesias conuersa, frequentes praedicationes a monachis habitae, nouae orandi formulae procusae. Ceterum regulares non habent peculiarem sibi addictum populum, sed apud eos collectitius conuentus instituitur, ea tamen frequentia vt longe superet conuentus parochiales. Nescio enim quo pio animi motu ferantur fideles, vt potius monastica sacra, quam parochialia frequentent.

§. VI. Illud vero incommodi inerat sacris, quae mendicantes in vsum populi celebrabant, quod adscititii isti pastores ab episcopis non penderent: pontificia enim auctoritate iis datum, vt inconsultis episcopis confessiones audirent, praedicationes haberent, & reliqua sacra celebrarent (e). Hinc turbata ecclesiastica disciplina, neruus poenitentiae relaxatus, & sexcentae lites inter episcopos & mendicantes excitatae, quae vsque ad comitia Tridentina continuarunt, vbi plures episcopi contra regularium priuilegia exclamarunt, eaque aboliri magnis rationibus petierunt. Hinc synodus decreuit, regulares nec confessiones fidelium excipere, nec in suis ecclesiis posse praedicare, nisi ex episcoporum auctoritate & approbatione. Trident. *sess. XXIII. de ref. cap.* 15. & *sess. XXIV. de ref. cap.* 4.

§. VII. Verum enimuero simplici sacerdotio abbates non contenti ad pontificalem dignitatem adspirarunt: & reapse saeculis decimo & sequentibus summorum pontificum priuilegiis obtinuerunt pontificalia ornamenta, nempe mitram, baculum, chirothecas, sandalia, & quae sunt huius generis alia. Vile abbatibus visum dignitate & ornamentis episcopis cedere, quando opibus non cedebant, & ab

(e) Primus Gregorius IX. mendicantes pontificia auctoritate ad confessiones excipiendas auxit, quod *inauditum & nouum priuilegium* Matthaeus Parisiensis appellauit; inde sequentes pontifices pro praedicationibus & multis aliis sacris functionibus similia concesserunt priuilegia, quae ab vna regularium domo ad omnes, & ab vno ordine ad reliquos extensa sunt.

& ab eorum iurisdictione subtracti, soli Romano pontifici parebant (f). Quin multi abbates in veros praelatos cum ordinaria & quasi episcopali iurisdictione in clerum & populum cum quasi dioecesi separata abierunt, qui proinde veri sunt *ordinarii locorum*, & abbates *nullius dioecesis* appellantur. V. Fagnan. *ad cap. cum contingat ex. de foro comp.* Cum habitu pontificali abbates etiam quaedam pontificalia iura, quae ab ordine episcopali pendere non censentur, etiam pontificum priuilegiis obtinuerunt, de quibus iuribus supra *cap. XVI.* dictum est.

§. VIII. Quamuis autem in veteri disciplina monachi pauco numero in monasteriis clerici crearentur; semper tamen ad regendas ecclesias ex monasteriis clerici promoti sunt. Erant monasteria scholae pietatis & doctrinae, ac proinde aptissima clericorum seminaria. Certe celebriores antiquitatis episcopi ex monachis adsumti sunt, quales Basilius M., Io. Chrysostomus, Martinus Turonensis aliique. Promoti autem ad clericatum extra monasterium monachi soluebantur vita monastica, quae cum clericalibus functionibus consistere non poterat, *can.* 2. *C.*16. *q.* 1. (g). Sed ne primitus facta professio omnino irrita esset, quae cum clericatu non pugnabant, seruare tenebantur. V. Christ.

(f) Pontificales vestes omnino dedecent monachos, vtpote qui ratione status sui poenitentes esse debent: quod S. Bernardus *epist. XLII.* adgnoscit. Et laudandi mendicantes, qui pontificalia ornamenta respuerunt.

(g) Saeculo vndecimo & sequenti sensim inualuit, vt monachi, qui ad regendas parochias vocabantur, vestem & ipsam monasticam vitam retinerent, *cap.*2. *de statu monachorum*: idque fortasse receptum, ne ad clericatum & parochias adsumti viderentur imitari saeculares clericos, qui saeculo decimo & deinceps simonia, incontinentia, auaritia aliisque vitiis erant conspurcati. Statuit interim synodus Lateranensis sub Alexandro III., ne monachi ad regendas parochias vocati, singuli in oppidis & villis, sed in maiori conuentu, aut cum aliquibus fratribus manerent, *cit. cap.*2. Sed si dicendum quod res est, eiusmodi monachi paroeciis praepositi reapse a monachis multum distabant. Solitudo & claustri disciplina monasticam vitam primario constituunt.

V. Christ. Lupum *in diss. de S. Leonis IX. actis calum. IV.* Et hinc Clemens VIII. statuit, vt omnes monachi & fratres ad episcopatum promoti sui ordinis habitum gerant, aut certe colorem.

CAPVT XLIII.

De statu monachorum.

§. I. NOmine *status monachorum* venit vniuersa regiminis monastici compages, qua singuli ordines cohaerent & reguntur. Ita status monachorum veluti ius publicum monasticum constituit, & varius & multiplex est, prout varia sunt singulorum ordinum instituta.

§. II. Iam singula monasteria proprium habent superiorem, qui monachos regit, & monasticae disciplinae & temporalium curam & sollicitudinem habet. Monasteriorum praefecti antiquis dicebantur *abbates*, quasi patres, saepe etiam *maiores*, *priores*, *praelati*, *praesules*: in ordinibus vero post saeculum decimum institutis dicti *priores*, *custodes*, *guardiani*, *rectores*, *correctores*. Abbates apud Benedictinos ab antiqua simplicitate desciuerant, & propter feuda & pontificalia non minus in republica quam in ecclesia summam obtinebant dignitatem; hinc rei monasticae instauratoribus & mendicantibus *abbatis* nomen minus placuit. Praeter abbatem sunt alii inferiores officiales, qui sub abbate vel disciplinae monasticae, vel rebus temporalibus, vel peculiaribus officiis praesunt; & praeterea sunt *praepositi obedientiarum*, qui minuscula monasteria a maiori monasterio pendentia regunt.

§. III. Regimen monachorum in singulis monasteriis tam circa spiritualia, quam circa temporalia penes solum abbatem fuit, a quo reliqui omnes officiales pendebant, nec vnius monasterii abbas alteri abbati subiectus erat. Vt vero sibi demandatam potestatem abbates melius explicarent, ex regula Benedictina in rebus maioris momenti totius congregationis, in leuioribus seniorum con-

consilium expetere debebant, quo intellecto apud se statuebant, quid optimum factu videretur, *reg. Bened. cap. III.* In multis ordinibus loco seniorum *adsistentes*, aut *discreti* eliguntur. Et ex noua disciplina apud omnes ferme ordines recepta regimen monasticum cuiusque monasterii aristocratia quadam temperatum est, qua fit, vt superiores in rebus expediendis adsensum vel adsistentium vel *capituli* requirere debeant (*a*). Componunt vero capitulum monachi sacris ordinibus initiati, & sanctimoniales choristae.

§. IV. Monasterii superiores iure ad infligendas poenas fini accommodatas sunt instructi: quod vita monachorum communis plane postulabat. Sunt vero monasticae poenae aut spirituales, aut temporales. Spirituales sunt species quaedam excommunicationis improprie sic dictae, quibus monachi pro varietate culparum vel communi mensa, vel mensa simul & communibus precibus interdicuntur, *reg. Bened. cap. XXV. & XLVI.* Poenae corporales sunt ieiunia monachis delinquentibus indicta, a certo cibo & potu abstinentia, & flagellatio (*b*). Sed ex recentioribus institutis reiecta est flagellatio, in cuius locum carceres, antiquis ferme ignoti, subierunt. Monachos

(a) In re monastica *capitulum* erat caput regulae, quotidie a monachis in vnum coactis legi solitum. Ab his lectionibus facili translatione & locus ipse conuentus, quod *capitula ibi exponerentur*, vt ait Papias apud Dufresne *in glossar. med. & infimae Latinit.* v. *capitulum*, & ipsa congregatio *capituli* nomine dicta sunt.

(b) Maxima corporalis poena, qua olim puniebantur monachi delinquentes, erat flagellatio, in qua plagae triginta nouem infligebantur, qui erat modus flagellandi apud Iudaeos receptus, vnde ad monachos deuenit. V. Menard. *ad codic. regular. cap. XXX.* Et in monte Nitriae erant tres palmae, vnde tria flagella pendebant, ad tria hominum genera punienda, monachos nempe, latrones & hospites delinquentes. Hinc qui meruisse conuincebantur, vnam ex tribus palmis, generi vitae conuenientem, amplectebantur, & a tergo praescriptas plagas excipiebant. Pallad. *hist. Laus. cap. VI.*

chos a flagellatione tutos ipsis communicatum sacerdotium videtur effecisse. Interim monastici superiores meminisse debent, se esse patres, non dominos, & poenas ita moderari, vt decet animarum pastores.

§. V. Per decem plus minus saecula etsi monachi vnius instituti censerentur, non tamen monasteria sibi mutuo adnexa peculiare corpus componebant, sed singula proprios habebant abbates ab aliis non pendentes. At inde coeperunt monasteria in vnum corpus adunari, & ortae sunt monasteriorum congregationes, seu *ordines*, vt modo loquuntur. Hoc institutum initio induxerunt Cluniacenses, quorum exemplum deinceps alii monachi & mendicantes secuti sunt. Et Tridentini patres *sess. XXV. de ref. cap.* 8. monasteria omnia exemta, quae generalibus capitulis non subsunt, nec ordinarios habent visitatores, vnius anni spatio vniri edixerunt. Non tamen aequalis apud omnes est monasteriorum consociatio; nam multi ordines vnam generalem, alii etiam prouinciales componunt congregationes.

§. VI. Consociatio monasteriorum nouam regiminis formam induxit. Etenim contra antiqui regiminis formam, qua vnum monasterium ab alio non pendebat, institutus est abbas siue superior generalis, cui totius ordinis incumbit sollicitudo; & in ordinibus, qui habent prouinciales congregationes, institutus est etiam abbas siue superior prouincialis, qui prouinciam administrat. Ita independens prius abbatum potestas euasit obnoxia, & maiora cuiusque monasterii aut prouinciae negotia auctoritatem generalis, aut prouincialis requirunt. Sed superior generalis itemque prouincialis suis sunt instructi senatoribus, quos definitores generales appellant, quorum auctoritate monastica negotia explicantur.

§. VII. Porro monasteriorum consociatio induxit noua capitulorum seu comitiorum genera, generalia nempe & prouincialia, prout nempe capita monasteriorum totius ordinis, aut vnius prouinciae conueniunt. Generalia capitula quolibet triennio singuli ordines debent celebrare, *cap.7. ex. de statu monachor.*, Trident. *sess.XXV. de ref. cap.* 8. Spectabant autem primario capitula generalia ordinis reformationem & disciplinae emendationem,

cit.

cit. cap. 7.; & reapse in capitulis generalibus conditae sunt ordinum constitutiones, quae aliquid regulae adderent, detraherent, mutarent. Ea abbas siue superior generalis indicit, dirigit, conueniuntque omnes superiores, qui suffragii iure potiuntur.

§. VIII. Consociata quoque monasteria monasticos visitatores induxerunt, qui ad disciplinae emendationem & decretorum generalium obseruantiam monasteria circumeunt. Eliguntur autem visitatores in comitiis generalibus ordinum, & *vice sedis apostolicae* monasteria omnia etiam non exemta inuisunt, *cap.* 7. *ex. de statu monach.* Porro omnium ordinum superiores episcopis non subiecti sibi obnoxia monasteria ex officio circumeunt, etiamsi fuerint commendata. Trident. *sess. XXV. de regul. cap.* 20. Sed visitatio monasteriorum, quae a monachis instituitur, non facit, quin episcopi visitent sibi subiecta monasteria, immo etiam exemta in iis, quae episcopali potestati subsunt, *cit. cap.* 7.

§. IX. Videndum modo, qua ratione eligantur monastici superiores. Et olim quidem abbates saepe a monachis fuerunt electi, *L.* 47. *C. de episc.*, *can.* 2. *seq.* C. 18. *q.* 2., quandoque etiam ab episcopis instituti, *can.* 1. *eod.* (*c*). Sed lapsu temporis frequentibus episcoporum concessionibus & synodorum decretis libertas monachorum sibi abbatem eligendi in ius commune conualuit. Inde inducta monasteriorum consociatione superiores generales & prouinciales in capitulis generalibus, aut prouincialibus eligi coeperunt; & quod spectat ad locales superiores, vel a generali vel a prouinciali in senatu ordinis creantur. Electio fit secretis suffragiis, & ille censetur electus, in quem maior capituli pars consentit, nisi speciali iure aliud cautum sit, vt in abbatissis, quarum electio duas totius capituli partes requirit, *cap.* 43. §. 1. de

(c) Saeculo nono & deinceps praesertim in Francia & Germania in regiis monasteriis ipsi reges eligebant abbates, nisi speciali priuilegio monachis electiones dedissent: quod ius fundatione, aut feudorum largitione, aut litteris protectionis reges sibi quaesiuerunt.

de elect. in 6. Electi autem abbates olim ab episcopis confirmabantur; at moribus praesentibus exemti superiores a proximo suo superiore, supremi vero moderatores a pontifice confirmantur.

§. X. Iam eligi debent superiores in monasteriis monachorum illi, qui virtutibus, aetate, moribus insignes sunt. Et iamdiu receptis moribus abbates & alii monachorum superiores debent esse presbyteratu initiati; at in veteri disciplina monachi siue clerici, siue laici, frequentius vero laici, creabantur abbates. V. Christ. Lupum *schol. in can. II. conc. Tolos.* (d). Sane abbatibus tantum incumbebat monastica disciplina, quae etiam sine ordinis potestate poterat explicari. Post saeculum decimum mutata est disciplina, & necessario monachorum superiores, quibus cura animarum proprie sic dicta accesserat, ex monachis presbyteris creari debuerunt, *cap. 1. ex. de aetat. & qualitat. ordinand.* Atque hinc statutum, vt nemo abbatiis & prioratibus conuentualibus augeri possit, nisi vicesimum quintum aetatis annum attigisset, *Clement. 1. de statu monachor.*, quae est aetas presbyteratus. Sed abbatissa eligi debet non minor quadraginta annis, quae octo annis post professionem cum laude vixerit. Trident. *sess. XXV. de regul. cap. 7.*

§. XI. Sunt vero monastici superiores alii perpetui & ad

(d) Mediis saeculis in summa reipublicae confusione abbates laici inualuerunt, nempe *abbacomites* & *abbicomites*, qui erant milites monasteriis donati, vt eorum reditibus loco stipendiorum fruerentur. Etenim ob publicas necessitates Carolus Martellus ecclesias & abbatias militibus distribuit, quo militiam sustineret. Milites vero abbatiis aucti, ne saeculi dignitates in titulis omittere viderentur, *abbacomites* dicti sunt, praeerantque bonis temporalibus & ipsis monachis. Quod institutum semel vsurpatum etiam extra necessitates continuarunt sequentes principes. Hinc lapsa monastica disciplina, & subinde ipsa corruerunt monasteria: abbacomites enim tantum de colligendis monasteriorum reditibus solliciti erant, regulae vero obseruantiam parum curabant. Sed tandem abbacomites sub Hugone Capeto esse desierunt. Espen. *par. I. tit. 31. cap. 6.*

ad vitam, alii ad tempus constituti. In veteri disciplina abbates perpetui erant, temporarii vero & pro arbitrio abbatum mutabiles priores obedientiarum. Sed mendicantes & plures ex ordinibus, qui perpetuos habebant superiores, ab hac disciplina desciuerunt, atque ideo superiores monachorum temporarios esse voluerunt, inferiores vero officiales pro arbitrio superioris mutabiles. Lapsa monachorum disciplina abbatiae & alia officia claustralia in beneficia & dignitates degenerarunt: & hinc mendicantes humilitati suae conuenientius iudicarunt, temporarios constituere superiores, quam in iis perpetuos abbates exprimere. Interim vbi superiores sunt temporarii, diversa sunt ordinum instituta de tempore, quo superiores esse desinunt. Singulis monasteriis fere praesunt superiores annales, aut biennales, prouinciales ad triennium, & generales fere ad sex annos constituuntur. Abbatissae vero praesertim in regnis Apuliae & Siciliae ad triennium eligi possunt, quod cauit Gregorius XIII. *bul. exnoscit.*

§. XII. Abbates perpetui semel electi & confirmati sollemniter instar episcoporum consecrantur, nisi quod loco euangelii regulae liber tradatur, & nulla vnctio adhibeatur (*e*). Non tamen abbatialis consecratio abbates facit episcopos, quin nec est necessaria ad eorum officium. Spectat vero de iure ad proprios episcopos, *cap. 1. ex. de suppl. neglig. praelatorum;* at multi ordines privilegiis aucti sunt, vt sui abbates a quocumque antistite, vel a proprio abbate generali benedicantur.

Finis primae partis.

IN-

(e) Sollemnis ista abbatum benedictio, antiquis patribus ignota, ab eo tempore videtur inualuisse, quo abbatibus pontificalia ornamenta & iura tributa sunt, vt ita abbates episcopos exprimerent.

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI

PARS II.

De rebus ecclesiasticis.



Omine *rei ecclesiasticae* in hac caussa veniunt omnia, quae animae salutem homini procurant, & ad exercitium pietatis etiam remote tendunt, modo non sint personae, nec ecclesiastica iudicia. Sunt vero res ecclesiasticae duplicis generis, *spirituales* nempe, & *corporales*, quarum illae per se ad procurandam animae salutem sunt institutae, quales gratia sanctificans, sacramenta, preces, ritus sacri: istae tendunt ad religionis exercitium, sed per se non influunt in spiritualem salutem, quales res *sacrae*, *religiosae* & *temporales*. Res sacrae Deo & religioni consecratae sunt, vt diuinus cultus exerceatur, veluti aedes sacrae, vasa & ornamenta sacra. Religiosae sunt domus ecclesiastica auctoritate exstructae, in quibus religiosi vitam ducunt, & pauperes & infirmi sustinentur & curantur. Temporales demum sunt reditus & fundi ecclesiarum, vnde aluntur clerici & pauperes, & omnia necessaria ad vsum religionis comparantur. Quod si ecclesiastica praedia aliquando *spiritualia* dicantur, *cap.2. ex. de iudiciis*, id improprie fit, quod spiritualibus inseruiant, & eo referantur.

CAPVT I.

De sacramentis generatim.

§.I. VOx *sacramenti* a *sacro* est, & apud Latinos & ecclesiasticos scriptores multa significat (a); vsu vero receptiore denotat sacrum ritum a Deo ad spiritualem hominum salutem institutum. Itaque sic proprie dictum sacramentum est signum sensibile rei sacrae a Deo ad homines sanctificandos institutum: vel, vt sub nomine Augustini Gratianus in *can.*32. *de consec. D.* 2. definit, *est inuisibilis gratiae visibilis forma* (b). Tria itaque sunt ne-

(a) Apud Latinos sacramentum significat pecuniam, quam litigantes in loco sacro, vel apud pontificem ea lege deponebant, vt victor pecuniam suam auferret, victus vero aerario relinqueret: item ipsam controuersiam, pro qua pecunia deponebatur: & iusiurandum, itemque id, quod iureiurando adfirmatum vel factum est. Et hinc iusiurandum, quo milites imperatori fidem adstringebant suam, *sacramentum militare*, & milites ipsi sacramento ligati dicebantur.

At apud ecclesiasticos scriptores sacramentum denotat rem quamlibet arcanam & occultam, quam Graeci *μυστηριον* dicunt: itemque quemlibet ritum sacrum, & generatim rem quamlibet, quae mysticum & spiritualem sensum exhibet. Quo sensu Augustinus *de peccator., merit. lib. II. cap.* 26. salem catechumenis ante baptismum dari consuetum *sacramenti* catechumenorum nomine designauit, quod sale illo catechumeni in Christo condiantur, & veram sapientiam gustare incipiant.

(b) Hoc sensu vox *sacramenti* vsu antiquo scriptorum ecclesiasticorum consecrata est; at in sacris scripturis res ipsa passim occurrit; nomen vero vix reperitur. Id vero nihil obturbat, etenim penes vsum est ius & norma loquendi, & vsu recepta verba ad nouas notiones transferuntur. Multa quoque ecclesiastica nomina in scripturis non occurrunt, veluti *Trinitas*, *Deipara*, quae tamen, quando de re ipsa constat, repudiare non licet.

necessaria, vt veri nominis sacramentum habeatur; debet nempe esse a Deo institutum & praeceptum, constare signo sensibili, & praeterea ad hominum sanctificationem spectare: quorum si vnum deficiat, verum sacramentum non est.

§. II Sacramenta sic proprie dicta vel ad vetus, vel ad nouum testamentum spectant: quorum illa venturum Christum figurabant, haec vero Christum iam natum exhibent. *Sacramenta noui testamenti*, inquit Augustinus *in psalm. LXVII.*, *dant salutem*, *sacramenta veteris testamenti promiserunt saluatorem*. Scilicet tantum fide in Christum homines seruari possunt, 2. *ad Cor. V.* 19 Hinc Deus abundans in misericordia, ad fidem mediatoris sustinendam, sacramenta instituit, quae vel venturum Christum adumbrarent, vel iam natum exhiberent; nec enim ante vel post Christi aduentum apertius fides in mediatorem excitari & foueri poterat, quam externis symbolis, quibus homines vtentes, necessariam fidem testarentur.

§. III. Veteris testamenti sacramenta plura fuerunt, nempe circumcisio, agni paschalis in azymis comestio, sacerdotum inauguratio, victimarum oblationes, esus sanctificatorum, variae purificationes & expiatio annua populi duobus hircis. Nat. Alexand *diss.III. in IV. mundi aetat, art.*4. Erant vero ex diuino praecepto solis Hebraeis, non item aliis gentibus necessaria (*c*); non tamen omnia singulis, sed prout capaces erant & indigebant. Quod si ex gentibus aliqui ad Iudaeos transibant, tum Iudaicis sacramentis tenebantur, *Exod.XII.* 48., & *proselyti* audiebant. Sed sacramenta ista vetera & omnis caerimoniarum apparatus in morte Christi obligare desierunt.

Q 2

(c) Reliquae gentes extra Iudaeos sine externis symbolis aeternam salutem consequi poterant, modo cum aliqua mediatoris fide etiam obscura religionem naturalem obseruarent. Sola enim naturalis religio, quamuis verissima, media non exhibet, quibus homines lapsos Deus seruare statuit. Notitia autem ista mediatoris ad gentes primum ab ipso Adamo, inde post diluvium a Noacho eiusque filiis propagata est, quamuis in tot tantisque humanae naturae tenebris admodum obliterata fuerit.

runt. Cessare enim vmbras oportebat illius, quem figurabant, aduentu.

§. IV. Iudaicis autem sacramentis in morte Christi ablatis, & ideo ablatis, quia impletis, christiana sacramenta successerunt, quae iam nati mediatoris symbola sunt. Hinc mutatio omnis, quae in hac caussa facta est, in symbolis & signis fuit, non in fide, quae eadem est in nouis sacramentis, sed expressior & clarior. Sunt vero sacramenta ista nouae legis septem, baptismus nempe, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema vnctio, ordinatio & matrimonium. Trident. *ses. VII. de sacram. can.* 1. V. Drouuen. *de re sacram. lib. I. q.* 3. *cap.* 2. Et quamuis nec in noui testamenti libris, nec in patrum operibus aperte dicatur, septem esse christiana sacramenta; tamen id non efficit, quo minus septem sint, quando apertis argumentis constat, eorum vnumquodque verum esse sacramentum.

§. V. Iam vero duabus veluti partibus constant sacramenta, signo nempe sensibili, & re inuisibili, quae sacrum ritum comitatur (*d*). Et quidem signum sensibile est res sensibus subiecta, idque ex rebus & verbis coalescit; & hinc patrum doctrina, sacramenta rebus, seu elementis, & verbis constare (*e*). Verum scholastici theologi loquendi formulas mutarunt, & res & verba sacramentorum *materiae* & *formae* nominibus coeperunt designare; sacra-

(d) Summa ratione Deus signa sensibilia selegit, vt instrumenta essent, quibus sua effunderet beneficia. Nempe homines ferme solis rebus sensibilibus afficiuntur, & res spirituales & diuinas sine sensuum externorum ope vix intelligunt. Hinc Deus summa sapientia gratiam suam sub tegumento rerum corporalium elargiri voluit, vt ita homines ad res diuinas intelligendas attollantur. Chrysost. *hom. LXXXIII. in Matthaeum*, August. *hom. LXXXVI. in Ioan.*

(e) Alio verbo res & verba antiqui patres appellabant *sacramentum* stricta significatione pro eo, quod sensibus subiicitur: & ex hac doctrina adfirmant, in omni sacramento duo reperiri, *sacramentum*, & *rem sacramenti*, hoc est sensibilia signa, & effectum inuisibilem.

sacramenta enim ad instar compositi physici habuerunt: quam loquendi formam in scholis receptam ecclesia Latina adoptauit (f). Tum vero ex rebus & verbis fiunt sacramenta, quum ex ritu praescripto verba elementis accedunt; nam res a verbis separatae sacramentum non sunt, sed per verba ad sacrum vsum determinantur. *Accedit verbum ad elementum*, inquit Augustinus *tract. LXXX. in Ioannem, & fit sacramentum*. Et in hoc ritu rebus & verbis diuina auctoritate constante sacramentorum natura consistit.

§.VI. Res & verba in nouae legis sacramentis a Christi institutione dependent, & partim in euangelio apertis verbis reperiuntur expressa, partim arcana traditione ad nos vsque peruenerunt. Et quî alias dici potest, quando tantum Deus sacramenta potest instituere (g)? Hinc res & verba, quae sunt apostolicae traditionis, immutabilia sunt, non quidem per omnia, sed quod attinet ad substantiam. V. Morin, *de poenit. lib. VIII. cap.* 18. Contra ritus, qui lapsu temporis ad sacramenti sollemnitatem & significationem ampliorem ab ecclesia additi sunt, diuersi esse possunt, & mutationi subiacent. Quod si ministri in conficiendis sacramentis materiae & formae veritatem corrumpant, sacramenta nulla sunt, non vero si mutatio essentiam integram relinquat, aut spectet ritus ab ecclesia praescriptos.

§. VII. Forma vero sacramentalis aut pura est, aut con-

(f) Primus Guilelmus Antissiodorensis, qui paullo post annum CIƆCCXXV. scribebat, in re sacramentali voces *materiae* & *formae* vsurpauit; inde Latini omnes secuti sunt. Sed Graeci, si paucos excipias, qui Romae theologiae operam nauarunt, quid sibi velint voces *materiae* & *formae* in sacramentis ignorant. Ceterum quod non tam res, quam rerum vsus sacramenta constituat, hinc materiam in *remotam* & *proximam* scholae distinxerunt: & illam quidem dicunt ipsam rem, quae ad sacramentum adhibenda est, hanc vero ipsius rei vsum.

(g) Doctrina haec magis naturae sacramentorum videtur convenire: nec probo sententiam Hallierii & aliorum theologorum, qui tenent, in aliquibus sacramentis materias & formas non a Christo, sed ab ecclesia ex Christi auctoritate fuisse institutas:

conditionalis, prout pure, aut sub conditione pronuntiatur. Nulla olim fuit in sacramentis conficiendis forma conditionalis (*h*): at in noua disciplina ex vsu ecclesiarum locum habet in sacramentis, quae non iterantur, quo casu ea collata fuisse, vel de eorum validitate non constat. Ceterum non desunt theologi, qui formulae conditionali locum esse tenent in absolutione, si minister dubitet, an verba absolutionis protulerit, vel an subiectum absolutionis capax sit. Iuenin. *de sacram. diss. I. q. 3. cap. 6.*

§. VIII. Res inuisibiles, quas in sacramentis signa visibilia significant, praecipue duae sunt, gratia & character. Et quod spectat ad primam, sacramenta nouae legis continent gratiam, quam significant, eamque semper & omnibus, qui obicem non ponunt, conferunt. Trident. *sess. VII. de sacram. can. 6.* Gratia autem in sacramentis collata hominum cordibus inhaeret, eosque ex iniustis iustos & Dei amicos facit, eamque propterea theologi *sanctificantem* appellant. Non tamen gratia illa eodem modo in omnibus sacramentis operatur; nam alia sanctitatem ipsam restituunt, veluti baptismus & poenitentia; cetera iustitiam augent & perficiunt, vnde doctrina de *prima* & *secunda gratia* manauit. Gratiam vero elargiuntur christiana sacramenta non ex meritis nostris, sed virtute operis externi a ministro rite peracti, idque *ex opere operato* noua & barbara voce theologi dicunt. Nec propterea dici potest eorum virtute etiam minus dispositos sanctificari, nam vt caussae efficientes operentur, subiecta apta requiruntur (*i*).

§. IX.

(h) Et sane in casibus, quibus nunc ecclesia sub conditione dat sacramenta, quae non iterantur, ea antiqui patres absolute conferebant: non enim iteratum credebant, quod peractum fuisse non constabat, *can. 92. de consec. D. 4.* Primum formula conditionalis in capitularibus Caroli M. *lib. VI. cap.* 181. praescripta est, quo casu de dato baptismo dubium esset: tum saeculo decimo secundo Alexander III. praecepit, vt si de dato baptismo dubitetur, sub conditione, *si non est baptizatus*, administrari debeat, *cap. 2. ex. de baptismo*.

(i) Controuersum est in scholis de modo, quo sacramenta

gratiam

§. IX. In hoc autem a nouae legis sacramentis vetera distabant, quod haec non vi sua, sed potius ex suscipientium aut parentum fide iustitiam praestabant, quod synodus Florentina definiuit. Sane apostolus *ad Galat. IV. 9.* vetera sacramenta *infirma & egena elementa* dicit, quod nempe propria vi gratiam non effunderent. Tantum vetera sacramenta mediatoris fidem sustinebant, salus vero a fide erat. Ad rem Augustinus *in psalm. LXVII.*, *sacramenta noui testamenti dant salutem, sacramenta veteris testamenti promiserunt saluatorem*. Et quamuis in scripturis saepe occurrat, peccata veteribus sacrificiis fuisse expiata; tamen expiationes illae ad legales immunditias, quae homines a diuino cultu veluti profanos arcebant, non ad ipsam peccatorum culpam spectabant.

§. X. Praeter spiritus sancti gratiam, tria ex christianis sacramentis baptismus, confirmatio & ordinatio characterem in anima suscipientis imprimunt, quae est catholicae ecclesiae doctrina. Trident. *ses. VII. de sacram. can. 9.* Est autem character iste nota quaedam spiritalis & indelebilis, per quam obsignati christiani ad specialem &

gratiam elargiuntur. Multi post S. Thomam docent, Deum sacramentis ipsis gratiam veluti indidisse, & hinc eam *physice* conferre, non secus ac ignis calorem producit. Contra Franciscani theologi tenent, sacramenta esse caussas motrices, quasi quae Deum moueant ad gratiam elargiendam. Quae sententia diuinis eloquiis & patrum doctrinae magis videtur conformis. Sane apostoli sacramenta conferentes Deum rogabant, vt spiritum sanctum effunderet: antiquae multorum sacramentorum formulae deprecatiuae erant: & patres saepe docent, gratiam in sacramentis opus Dei esse. V. Iuenin. *de sacram. diss. I. q. 7. cap. 1.* Excipienda est eucharistia, quae, vtpote continens ipsum gratiarum fontem Christum, ex se gratiam effundit. Quod si aliquando concilia & patres doceant, ipsa sacramenta gratiam continere, eamque *ex opere operato* conferre; eiusmodi dicta non sunt ita accipienda, quasi sacramenta ipsam gratiam contineant, vt crumena nummos; nam recte sacramenta dicuntur gratiam continere, eamque producere, etiamsi sint caussae motrices, vt Deus illam producat.

perpetuum Dei cultum adscribuntur: etenim in baptismo filii Dei, in confirmatione christiani militis, in ordinatione christiani sacerdotis nomen & qualitatem accipiunt, & quidem indelebili signo obsignatam. Hinc tria ista sacramenta semel data nequeunt iterari, quaecumque baptizati, christiani militis, aut sacerdotis culpa sit. Cuius autem naturae sit character iste vi sacramentorum impressus, theologi disputant: at quousque animae natura ignoratur, characteris etiam ignoratur constitutio.

§. XI. Iam vero nouae legis sacramenta ad salutem necessaria sunt, non quidem omnia singulis, nec omnia pari necessitate. Trident. *sess.VII. de sacram. can.4.* Necessitas ista pendet a diuina voluntate, quando ita Deo placuit, sacramentorum vsu, aut saltem eorum desiderio salutem nostram operari; estque alia necessitas *medii*, alia *praecepti*, vt scholae loquuntur. Necessitas medii facit, vt homines seruari nequeant, nisi reapse, aut saltem desiderio sacramenta suscipiant; necessitas vero praecepti obligat ad sacramenta suscipienda, nisi iusta caussa impediat. Necessitate medii necessaria sunt baptismus & poenitentia: & baptismus quidem omnibus, poenitentia vero lapsis post baptismum; reliqua vero sacramenta tantum ex diuino praecepto censentur necessaria, nec tamen omnia singulis; non enim singulos homines sacris ordinibus initiari, aut matrimonio iungi, necesse est.

§. XII. Venio ad sacramentorum ministros, qui soli homines sunt; sed non omnes homines, aut christiani promiscue & indistincte omnia sacramenta conficiunt, & dispensant, sed ii tantum, quibus id munus diuina & ecclesiastica auctoritate competit. In conficiendis vero sacramentis ministri media tantum salutis tractant & exhibent, virtus enim & efficacia omnis a Deo, qui ea instituit, dependet. Ministri plantant & rigant, Deus autem vitam dat & incrementum. *Nihil adfert sacerdos*, inquit Chrysostomus *hom.VIII. in 1. ad Corinth.*, *ad ea, quae sunt proposita, sed vniuersum est opus Dei virtutis, & ille est, qui nobis exhibet mysteria.* Hinc quamuis, vt rite & recte sacramenta administrentur, sanctitas in ministris requiratur; (sancta enim sancte tractanda sunt) tamen sacramenta a malis ministris collata valida sunt. Tantum

mali

mali ministri perfidi & sacrilegi sunt, & eo ipso quo aliis prosunt, seipsos damnant.

§. XIII. Quamuis vero malis ministrorum moribus sacramenta non profanentur; tamen eorum intentio est necessaria, vt valida sint. Trident. *sess. VII. de sacram. can.* 11. Sunt sacramenta quaedam humanae actiones, quibus Deus vim sacramentorum communicauit, atque ideo ex animi sententia debent administrari. Est intentio deliberata voluntas id, quod agimus, conficiendi; eamque scholastici triplicem faciunt, *actualem*, si actu intendimus id, quod agimus, efficere; *virtualem*, si dum agimus, non attendimus, sed ante ex animi sententia opus suscepimus; & *habitualem*, si operamur nulla praevia deliberatione, sed quadam facilitate repetitis actibus adquisita. Certi iuris est, actualem intentionem esse efficacissimam, virtualem sufficere ad vim sacramentorum, quod qui duobus his modis operantur, humano modo operari intelliguntur. Sed habitualis omnino ad sacramenta conficienda satis non est, quod qui per habitum agunt, humano modo operari non censentur. Iuenin. *de sacram. diss. I. q.* 5.

§. XIV. Illud vero obseruandum, vt valeant sacramenta, ministros intentione sua non necessario eorum effectum spectare debere, sed satis esse, vt saltem quod facit ecclesia, facere intendant. Trident. *sess.VII. de sacram. can.* 11. Ecclesia autem in conficiendis sacramentis tantum ritus a Deo praescriptos adhibet & tractat, non gratiam & salutem praestat. Quapropter quamuis recte facerent ministri, si in conficiendis sacramentis etiam eorum finem intenderent; non tamen id est necessarium, sufficitque, vt ritus secundum praescriptas regulas intendant exhibere (*k*). Quae quum ita sint, valent sacramenta,

(k) Illud disputatur inter theologos, vtrum intentio in conficiendis sacramentis necessaria, debeat etiam esse interna, qua ministri etiam ipsum sacramentum interius dare intendant; an sufficiat externa, qua ministri serio tractent sacra symbola, eaque exterius in vsum intendant exhibere, interius vero sacramenta conficere nolint. Plures iique grauissimi theologi, in primis

menta, etsi ministri iis in peruersum finem abutantur; modo in iis conficiendis ritum secundum praescriptas regulas intendant administrare. Nempe, vt recte obseruant theologi, mala intentio opus operantis, non opus alterius inuertit. S. Thomas *par. III. q.64. art.* 10. Et ita ministri, qui tantum linguam & manus praestant, vim verborum euangelicorum suis pessimis consiliis frustrari non possunt. Chrysost. *hom. LXXXV. in Ioan.*

§. XV. Nec tantum in administrandis sacramentis, quod facit ecclesia, ministri debent intendere; verum etiam necesse est, vt externa symbola serio tractent, quod ita decet sacrarum rerum maiestatem, hactenus vt sacramenta per iocum & ludibrium, aut dicis caussa administrata omnino nulla sint & inania. Et quamuis in veteri disciplina hac de re dubitaretur; tamen lapsu temporis re diligentius excussa in comitiis Tridentinis *sess. XIV. de necessit. & instit. poenit. cap. 6.* definitum est, nulla esse sacramenta non serio & per iocum administrata. Sane si sacramentorum signa per iocum exhibeantur, non videntur in vsum a Deo praescriptum adhiberi; atque ita rerum diuinarum naturam amittunt.

§. XVI. A sacramentorum ministris ad suscipientes transeundum. Soli homines secundum institutionis oeconomiam sacramentorum capaces sunt. Vt vero homines valide & cum fructu sacramenta suscipiant, rite & recte dispositi accedere debent: quae tractatio potius theologorum est. Tantum ego obseruo, sacramenta, quae animam obsignant, etiam ficta & coacta* voluntate & sine recta fide suscepta valere, & signum imprimere; sed suscipientes in fictionibus & suis erroribus persistentes non sanctificare, *can.*31. *de consecr. D.*4., *cap.* 3. *ex. de ba-*

primis S. Thomas & Ambrosius Catharinus, docent, sufficere intentionem externam; quae sententia videtur oeconomiae christianae religionis & institutioni sacramentorum conformior. V. Iuenin. *de sacram. diss. I. q.* 5. *art.* 3. Cui doctrinae aduersatur vna ex propositionibus a Romanis inquisitoribus coram Alexandro VIII. damnatis, qua tamquam haeretica exploditur sententia, qua validum dicitur baptisma, tantum externa intentione administratum.

baptismo. Contra est in omnino inuitis, qui externis actibus etiam reluctant; his enim data sacramenta nullius effectus sunt, *cit. cap.* 3.; modo resistentia ex summa animi humilitate non pendeat; nam qui ita sacramentis recipiendis aduersantur, potius se impares ad tanta beneficia existimant, quam vere inuiti censeri debent.

§. XVII. Vt vero hanc de sacramentis generalem tractationem absoluamus, aliquid de ritibus, qui ab ecclesia eorum administrationi additi sunt, monendum superest. Sane ecclesiae Christus concessit, vt sacra omnia ad rectum religionis exercitium aequius melius ordinaret. Trident. *sess. XXI. cap.* 2. Conciliant caerimoniae istae maiorem sacramentis reuerentiam, ordinem in ecclesia necessarium sustentant, & ad eorum susceptionem disponunt. Quoniam vero extrinsecus sacramentis accesserunt, natura sua mutabiles sunt, nec generaliter per vniuersam ecclesiam seruantur, nec ad eorum intimam naturam pertinent, nisi ecclesiae auctoritate ad eorum valorem requirantur. Nimirum bene potest ecclesia conditiones aliquas, veluti partes integrantes, sacramentis addere, quibus non seruatis illa nulla sint. Iuenin. *de sacram. diss. VI. q.* 7. *cap.* 2. *art.* 2.

CAPVT II.

De baptismo, vbi de materia, forma & ministro.

§. I. PRimus ex christianis sacramentis baptismus suscipitur. Generatim *baptismus* lotio est, at in re praesenti eo nomine venit sacramentum nouae legis, quo homines in spiritualem vitam regenerantur. Ex antiquis institutis receptissimae fuerunt & apud Iudaeos & apud gentes religiosae per aquam ablutiones (*a*), quod Huetius

---

(a) Apud Iudaeos receptus erat baptismus proselytorum, quo ethnici

tius *in Alnetan. lib. II. cap.* 20. *n.* 2. demonstrat. Ergo Christus aliquid veluti tribuens receptis inter Iudaeos & gentes lotionibus, aquas sanctificauit, & in Iordane baptismum instituit, quando ipse a Ioanne baptizatus est: quae de tempore instituti baptismi verior sententia videtur. Drouuen *de re sacram. lib. II. q.* 7. §. 1.

§. II. Elementum visibile, vnde conficitur Christi baptismus, aqua est. Christus enim per aquam homines baptizari iussit, Ioan. *cap. III.* 5., & apostoli in aqua baptizarunt, *act.VIII. 36. & X.* 47. Aquae vero nomine venit aqua vera & naturalis, quod constanti traditione docuit ecclesia (*b*). Quod si Ioannes Baptista apud Matthaeum *cap.III.* 11. Christi baptisma spiritu sancto & igne constare praedixit: id potius de effectibus baptismi per Christum instituti, quam de externo elemento plures patres acceperunt. Vt vero aqua operetur, tantum requiritur, vt sub inuocatione Trinitatis in vsum adhibeatur. Verum doctrinae & sacratioris mysterii caussa ex antiquis institutis aqua prius benedicitur, idque aquae *sanctificationem* & *consecrationem* veteres dicunt. Duobus diebus apud Latinos aquae ad baptismum consecrantur, sabbatis nempe sancto & pentecostes, quibus sollemnis baptismus dabatur; at apud Graecos in singulis baptismis aquae benedicuntur.

§.III.

---

ethnici ad Israëlitas transibant; & porro erant multae aliae corporis & vestium lotiones, quibus illi legales sordes abstergebant, & ad sacra facienda aliudue magnum opus se accingebant. Similiter gentes ferme omnes, quae religionis cultum habuerunt, baptismos vsurparunt, quibus scelera omnia elui credebant. Qui porro inter sodales religionum recipiebantur, per baptismum solebant initiari, quasi animo & corpore purgarentur.

(b) Exstat rescriptum sub nomine siue Siricii, siue Stephani papae II., siue III. (non enim antiqui MSS. de auctore conueniunt) quo baptismus in vino, quod aqua deesset, puero periclitanti datus probatur & admittitur. At recte Harduinus *diss. de baptismo in vino* hoc rescriptum veluti supposititium reiecit. Qui enim in re tritissima contra euangelicam veritatem pontifices respondere potuissent?

§. III. Aquae elementum ad naturam sacramenti determinatur per verba institutionis, quibus Christus praecepit, vt baptismus daretur: mittens autem Christus apostolos ad baptizandum edixit, vt id facerent *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Ergo Latini hac forma vtuntur, *ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*: Graeci vero, *baptizatur seruus*, vel *serua Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Videntur Graeci ab antiquo eam formulam vsurpasse, vt occurrerent Nouatianis, quorum error late in Oriente diffusus erat, ad vim sacramenti ministri fide opus esse. Vtrouis modo verba proferantur, nulla sensus inducitur mutatio, & sua vis sacramento constat: at ministri ritum ecclesiae suae seruare tenentur.

§. IV. Itaque expressam trium personarum Trinitatis inuocationem & actum ipsum baptizandi formula baptismi continet. Et quod spectat ad inuocationem Trinitatis, ea dubio procul est diuinae institutionis, ad vim sacramenti necessaria. *Lex tingendi*, inquit Tertullianus *de bapt. cap. XIII., imposita est & forma praescripta. Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti* (c). Hinc qui de Trinitate aliquid de-

(c) Interim non leuis hic occurrit difficultas, an aliquando valuerit, & nunc etiam valeat baptismus in solius Christi nomine collatus. Etenim in scripturis sanctis pluries occurrit, apostolos in solius Christi nomine tinxisse, *act. II.* 38., *X.* 47. *seq. & XIX.* 5. Ex antiquis Ambrosius *de Spiritu S. lib. I. cap.* 3. adfirmat, ratum esse baptismum, vbi vna Trinitatis persona inuocetur. Et Nicolaus I. scripturarum & Ambrosii auctoritate ductus, respondit, valide esse baptizatos, qui in solius Christi nomine tincti essent, *can.* 24. *D.* 4. *de consecratione*. At verior sententia videtur, nec vmquam validum fuisse, nec nunc valere baptismum in solius Christi nomine collatum. Etenim verba Christi ad baptizandum apostolos mittentis aperte continent formulam, qua baptismum oportet administrari. Et loca scripturarum de baptismo in nomine Christi dato hunc habent sensum, apostolos baptizasse baptismo Christi, hoc est per Christum instituto, non vero in solius Christi nomine, quod Cyprianus, Basilius aliique patres interpretati sunt.

Item

detrahit, vel toti Trinitati, vel singulis personis aliquid aliud substituit, frustra tingit, quod patres docent. Quod si qui in Trinitate baptizant, non recte de eius personis sentiant, valet baptismus: verba enim & elementa in sacramentis vi sua operantur, & ministri in iis tractandis tantum linguam & manus praestant. Verba quoque *ego te baptizo* omissa baptismum nullum reddunt, *cap.* 1. *ex. de baptismo* (d).

§. V. Primigenia & ordinaria baptizandi potestas est penes episcopos. Vna cum verbi ministerio baptizandi potestatem a Christo apostoli acceperunt. Matth. *XXVIII.* 19. Ab episcopo baptismi datio in presbyteros & diaconos deriuatur, qui de episcopi venia etiam in casibus ordinariis baptizabant. Tertullian. *de bapt. cap. XVII.* & Hieronym. *contra Lucifer. cap. IV.* Sed postquam parochi instituti sunt, qui iure proprio ecclesias regunt, praeter episcopos etiam parochi ordinarii baptismi ministri euaserunt, & ita non amplius indigent in singulis baptismis

---

Item si Nicolaus papa respondit, valere baptismum in Christi nomine datum, id incidenter, non ex proposito videtur docuisse. Estius *in IV. sentent. dist.* 3. §. 5.

(d) Num verba, quae actum baptizandi exprimunt, sint ad vim baptismi necessaria, ex traditione & patrum doctrina non constat. Primi ea de re scholastici quaesiuere, eorumque antiquiores Petrus Cantor, Praepositiuus & Petrus Lombardus docent, verba *ego te baptizo* ad vim baptismi non pertinere. In primis ea de re solliciti fuerunt Stephanus Tornacensis & Mauritius episcopus Parisiensis, quorum ille adfirmabat, validum esse baptisma, in quo verba *ego te baptizo* omissa essent; iste vero contraria omnia sentiebat. Potissima Stephani ratio erat, quod dum actus ipse impletur, superfluum videri debeat, verba addere, quae actum exprimant, praesertim quando euangelium non praecipiat, vt baptizantes dicant *ego te baptizo*, sed tantum vult, vt doceant & baptizent. Interim Alexander III. decretalem edidit, qua nullum esse baptismum edicitur, si verba *ego te baptizo* omittantur, *cap.* 1. *ex. de baptismo*. Innotuit haec decretalis ecclesiae post publicatas Gregorianas decretales, ex quo tempore certa doctrina incoepit, verba actum baptismi exprimentia ad vim sacramenti esse necessaria.

ptismis episcopi delegatione. Tantum ceteri presbyteri & diaconi baptizant de episcopi, aut parochi venia. Et id quidem in casibus ordinariis, nam in necessitate etiam laici baptizant, quod certum ius est, quamuis olim ea de re inter ecclesias non conueniret (e).

§. VI. Num vero haeretici & schismatici baptismum valide conferant, acriter olim in ecclesia disputatum est. Post Agrippinum Carthaginiensem episcopum Cyprianus & reliqui Africani episcopi tribus celebratis conciliis baptismum ab haereticis datum tamquam nullum reiecerunt: cui sententiae accesserunt multi Orientales episcopi, in primis Firmilianus episcopus Caesareae in Cappadocia. Eorum potissima ratio erat, quod baptismus vnus est, ecclesia itidem vna; ac propterea extra ecclesiam baptismus nullus esset. Contra Stephanus papa & multi alii Occidentales episcopi sentiebant, & hinc Stephanus Cypriani legatos aspere excepit; putabat enim summus pontifex, quidquid huius rei erat, ad fidem, non ad disciplinam pertinere. Nihil tum definitum est, sed inde haereticorum baptisma vniuersa recepit ecclesia, postquam *plenarium concilium*, vt loquitur Augustinus *lib. II. de bapt. cap.* 4., haereticorum baptismum validum esse pronuntiauit: quod plenarium concilium num Arelatense I. an Nicaenum fuerit, inter eruditos non conuenit. Ratio vero Cypriani non concludit; nam licet baptismus vnus sit, & haeretici ad ecclesiam non pertineant; tamen haeretici

(e) Sane ecclesiae praesertim Graecae olim validum non videntur habuisse baptismum a laicis christianis, dum instaret necessitas, collatum, quod scite Tillemontius obseruauit. Et qui quaeso in naufragii periculo constitutus Gregorius Nazianzenus, adhuc catechumenus, de sua aeterna salute desperasset, si laici baptismum dare potuissent? in naui enim erant multi christiani: & tamen nec Nazianzenus ab eis baptismum petiit, nec illi ad eum baptizandum se obtulerunt. Similiter Basilius *ep. ad Amphiloch. can. I.* baptismum a laicis christianis collatum inualidum habuit. Sed deinceps in omnibus ecclesiis recepta est sententia, in necessitatis casibus omnes christianos tingendi ius habere.

retici etiam vnum Christi baptisma possunt administrare, modo legitima forma vtantur; ministri enim sacramentorum tantum linguam & manus praestant.

§. VII. Nec tantum haeretici, verum etiam infideles sub legitima forma recte baptizant: quod inde a multis saeculis tenet Latina ecclesia, quamuis olim contrarium receptum fuisse videatur (f). Sane Christi sacramenta a profanis administrata non polluuntur, quippe quae a Christo, non a ministris vim mutuantur suam. Hinc post Nicolaum papam ecclesia Latina validum reputauit baptismum ab infideli rite datum, *can.* 24. *D.* 4. *de consecratione*; sed Graeca adhuc in antiqua sententia perseuerat.

CAPVT III.

De suscipientibus baptismum.

§. I. SVscipiendo baptismo idonei sunt homines omnes, quousque viuunt (*a*), siue mares, siue feminae, siue

(f) Et quidem Tertullianus *de bapt. cap. XVII.* & synodus Illiberitana *can. XXXVIII.* eos tantum baptismos validos reputabant, quos christiani administrassent. Videbatur omnino abnorme, vt qui baptismum non habebat, illum conferre posset. Primus Augustinus *lib. II. contra Parmenian. cap.* 13. ea de re dubitauit, nec tamen quidquam tamquam certi ausus est pronuntiare sine tanti concilii auctoritate, quantum intricatae rei sufficeret. Sed loco concilii nono saeculo Nicolaus I. suam interposuit auctoritatem, & valere respondit baptisma ab infideli sub inuocatione Christi aut Trinitatis collatum, *can.* 24. *de consecr. D.* 4.

(a) Nimirum tantum viuis Christi sacramenta prodesse possunt. Et tamen, vt mittam Cataphryges, qui mortuos tingebant, teste Philastrio *de haeres. cap. II.*, in Africa nonnulli boni christiani baptismum etiam mortuis dare consueuerunt: quem peruersum vsum Africani patres emendarunt, *can. XVIII. C. Afric.*

siue adulti, siue infantes. Et errant profecto Anabaptistae, qui baptismum infantibus administrari posse negant, quod credere nequeant, & ex mandato Christi credentes tantum recte regenerantur. Marc. *cap. XVI. v. 16.* Sane ecclesia catholica semper docuit, infantes recte baptizari: & reapse etiam primis saeculis patres adgnouerunt, baptisma infantibus esse necessarium, quod in peccatis nascantur, vt magno eruditionis apparatu Vossius, Binghamus & in primis Wallus demonstrarunt. Et quamuis infantes per se credere nequeant; credunt tamen opera ecclesiae & susceptorum: & decet profecto, inquit Augustinus *serm. XIV. de verbis apostoli cap. 7., vt ad aliena verba sanentur, qui ad factum alienum vulnerantur:* & deinde Christi praeceptum ad solos adultos, qui credere possunt, restringi debet.

§. II. Vt vero baptismo infantium sua vis constet, necesse est, vt ii secundum carnem nati sint, hoc est ex vtero matris in lucem editi, quae est carnalis natiuitas, quam baptismus supponit. Nimirum baptismus regeneratio est, *ad Tit. III. 5.*, atque adeo qui nati non sunt, non possunt regenerari. Sufficit vero quaecumque natiuitas, adeo vt recte baptizentur caesones, qui instituta matris sectione in lucem eduntur. Quod si adhuc plene infans ex vtero editus non sit, sed solum caput emerserit, mortis periculo instante, in capite baptizabitur, nec inde baptismus videtur iterandus.

§. III. Sed non omnes nati infantes debent baptizari, sed ii, quorum spes est fore, vt adulta aetate in suscepta religione perseuerent, cuius generis sunt christianorum filii. Etenim filii infidelium parentibus inuitis non sunt baptizandi, etiamsi principum christianorum imperio parentes subsint; fides enim in discrimen veniret, si post

---

C. *Afric.* Summa baptismi ad salutem necessitas videtur effecisse, vt qui viui baptizati non essent, saltem mortui tingerentur. A baptismo mortuis dato parum distat *baptisma vicarium*, quod a viuis mortuorum nomine apud nonnullos haereticos suscipi solebat. Bingham. *orig. eccles. lib. XI. cap. 4. §. 4.*

baptismum parentibus relinquantur. S. Thomas 2. 2. *q.* 10. *art.* 12. Quod si infidelium infantes in potestatem & dominium christianorum sine parentibus quocumque modo veniant, eos ecclesia baptizare consueuit, nec enim in hac specie fidei metuendum. August. *de grat. & lib. arbitrio cap.XXII.* Quin si parentum alter esset christianus, alter infidelis, filius infans iure partis christianae ad baptismum admittebatur. Conc. Tolet. IV. *can.* 63.

§. IV. Quod spectat adultos, certi iuris est, eos recte baptizari; sed ante omnia sponte sua debent baptismum petere; nulla enim vis ad credendum est inferenda; & praeterea debent ante credere, Marc. *cap. XVI.* 16., & peccata detestari, *actor.II.*38. Itaque ecclesia catechesim instituit, qua baptizandi in fide & bonis operibus instituantur, & ad baptismum praeparentur. Qui in hoc statu erant, *catechumeni* dicebantur, aliquando etiam *novitioli* & *tirones Dei*. Catechesis vero alibi longior, alibi breuior erat(*b*), & episcopo statutum tempus ex caussa contrahere, aut producere licebat.

§. V. Sed vt rectius catechesis procederet, in varios gradus ecclesia cathecumenos partita est. Non conuenit inter doctos, quot fuerint catechumenorum ordines; at ii rectius videntur sentire, qui eos in *audientes*, *genuflectentes*, & *competentes* seu *electos* partiuntur. Audientes erant, qui fieri christianos prae se ferebant, ac propterea scripturas & praedicationes audiebant, quibus finitis ecclesia exibant. Genuflectentes post egressos audientes in ecclesia remanebant, vbi in genua prouoluti manuum impositionem sub certis precibus ab episcopo accipiebant, & inde ecclesia egrediebantur. Et competentes sollemni baptismi die appropinquante baptismum petebant, & praeuio examine ad baptismum proxime accipiendum eligebantur; hinc varia ratione *competentes* & *electi* dicti sunt.

(b) In ecclesiis Orientis tres anni instituendis catechumenis erant addicti, *const. apostol. lib. VIII. cap.*32., in Hispania catechumeni bonae conuersationis biennio instituebantur, conc. Illiber. *can.XLII.*, & in Gallia octo menses Iudaeis ad fidem instituendis erant praestituti. Conc. Agath. *can. XXXIV.*

sunt. Sed inter genuflectentes per manuum impositionem & signum crucis in fronte impressum catechumeni recipiebantur, qua admissione generale *christiani* nomen consequebantur: & hinc in antiquis monumentis *christianum facere* aliquando tantumdem est ac facere catechumenum. Conc. Illiber. *can.* XXXIX.

§. VI. Statim ac inter audientes catechumeni relati erant, incipiebant catecheses, quibus in fide & bonis operibus instituebantur. Munus instituendi catechumenos ad episcopos pertinebat; sed in multis ecclesiis ad id proprii ministri instituti sunt, dicti *catechistae*, eosque vel ex maioribus clericis, vel ex minoribus & aliquando ex ipsis laicis episcopi eligebant. Quin in ecclesia Alexandrina peculiaris erat schola catechetica, quam a Marco euangelistà institutam Hieronymus *de script. eccles. cap.XXXVI.* tradit. Docebant catechistae in priuatis auditoriis, quae in multis locis erant distincta aedificia ecclesiis coniuncta.

§. VII. Summa vero prudentia & iudicio catechumeni instituebantur, quasi qui primum lacte, tum solidiori cibo indigerent. Et sane vsque ad nominum dationem veritates simplices ac cognitu faciles & vitae christianae officia edocebantur, de mysteriis vero religionis & ritibus sacramentorum vix quidquam audiebant: qua in re catechumeni pares erant ceteris profanis, quos mysteria nostra latebant. Atque haec est celebris arcani disciplina apud christianos receptissima (*c*): quam peculiari dissertatione Schelestratus illustrauit. Hinc intelligis, cur in publicis patrum concionibus frequenter occurrant aposiopeses, vbi potissimum de sacramentis tractant, & subin-

(*c*) Etiam apud gentes obtinuit arcana disciplina. Vulgatum est, mysteria deorum tantum initiatis patuisse. *Samothracia & Eleusinia reticentur*, inquit Tertullianus *apol. cap. VIII.* Hinc viri religionum sciendarum cupidi variis deorum sodalitiis se adscribebant, semel vero initiati *sancta silentii fide* adstringebantur, vt Apuleius loquitur. Similiter philosophi arcani legem seruarunt, qui non cum omnibus de iisdem rebus eodem modo loquebantur, sed sublimes doctrinas tantum suae sectae addictis aperiebant.

de additur formula, qua initiati reticentiae admonentur, *norunt initiati*, seu, *norunt fideles*, *quod dicitur*. Tenebantur vero reticentiae lege non tantum altaris ministri & catechistae, sed etiam fideles omnes, Nazianz. *orat. XL. de baptismo*; non secus ac apud gentes quotquot mysteriis deorum erant initiati, silentio obstringebantur. Reticentia apud christianos ab ipso Christo & apostolis incoepit, stetitque toto quinto saeculo: sed inde quum fere integrae gentes Christo nomen dedissent, & rarior esset adultorum baptismus, veluti sponte sua desiit. V. Pagium *crit. in Baron. ad an. CXVIII. num. 9.*

§. VIII. Postquam iusto tempore inter audientes & genuflectentes catechumeni steterant, appropinquante baptismi die baptizari petebant, ac proinde sua nomina dabant, idque in plerisque ecclesiis initio quadragesimae fieri solebat. Data nomina vna cum nominibus susceptorum libris ecclesiae, quos *diptycha viuentium* dicebant, inserebantur. Interim a datis nominibus exactiore diligentia catechumeni instituebantur & praeparabantur: in quem finem sacros conuentus, quos dicebant *scrutinia*, ecclesia celebrabat. Ergo competentes symbolum & orationem dominicam accipiebant, agebant poenitentiam, peccata sua confitebantur, & exorcismis expiabantur (d). Sal quoque degustandum in scrutiniis dabatur catechumenis, quod Augusf. *lib. II. de peccator. merit. cap. 26. sacramentum catechumenorum* appellat, eoque significabatur, verae sapientiae catechumenos participes fieri. Quod si tempore catechesis catechumeni peccarent, de superiore gradu

(d) Quod homines nascuntur natura *filii irae*, *ad Ephes. II. 4.*, atque adeo potestati diaboli obnoxii, adhibiti videntur exorcismi ad Satanae potestatem frangendam, & ad animas a contractis sordibus expiandas. Nec recte videtur sentire Ant. van Dale *diss. de diuinationib. idolatr. sub veter. testam. cap. VII.*, exorcismos baptismo praemissos propter peruersam veterum christianorum sententiam, qui ex ethnicis principiis sentiebant, nullum paene hominem daemonio carere. Et quoniam etiam infantes in peccatis nascuntur, hinc etiam ii exorcismis percellebantur.

gradu in inferiorem recidebant. Conc. Nicaen. *can.XIV.*

§. IX. Atque hi sunt potiores ritus in instituendis & probandis catechumenis ab ecclesia adhibiti, quorum manuum impositio, preces & exorcismi saepe repetebantur. Verum lapsu temporis, vbi rarior factus est adultorum baptismus, sollemnis catechesis cessauit, & qui ritus vario tempore adhibebantur, ipso baptismi tempore ferme adhibentur omnes. Interim adulti etiam hodie ante baptismum in fide & bonis moribus sunt instituendi; id enim est ex diuino praecepto; tantum non adeo sollemni ritu procedit catechesis. Nec inutile erit in baptizandis adultis ritus baptismo praemitti solitos separatis diebus adhibere, vt ita baptizandi intelligant tanti mysterii celsitudinem, & magis in fide & studio pietatis firmentur.

CAPVT IV.

De baptismi collatione, vbi de susceptoribus.

§. I. Tempore baptismi adueniente recte institutos & probatos catechumenos ecclesia baptizauit; sed ante baptismum tria illi sollemniter praestabant: renuntiabant diabolo, saeculo eiusque pompis & operibus: Christo se deseruire deinceps promittebant: & fidem profitebantur. Renuntiabant diabolo stantes, nudi & in Occidentem versi, Cyrill. Hierosolym. *catech. I. Auctor. ecclesiast. hierarch. cap. III.*, & dum renuntiationis concepta verba recitabant, in Satanam velut praesentem sufflabant & exspuebant. Occidens symbolum Satanae erat: Occidens enim apparentium tenebrarum locus, & Satan princeps tenebrarum dicitur. Peracta renuntiatione, illuminandi se ad Orientem, qui signum erat solis iustitiae, conuertebant, & laeti obseruantiam mandatorum promittebant. Hieronym. *comm. in Amos VI. v.* 14. Et promissione finita, fidem profitebantur: cui vsui certam formulam ecclesia composuit, quae *symbolum fidei* dicta est.

§. II. Iam vero aqua ad baptismum triplici ritu potest

test adhiberi, immersione nempe, effusione & adspersione. In veteri disciplina, quae ab apostolis profecta est, baptismus per immersionem collatus. Tertul. *de baptismo cap. II.* V. Bingham. *orig. eccles. lib.IX. cap.*11. Ita baptizandi omnes masculi, feminae vestibus exuti & omnino nudi in aquam ter mergebantur, & inde educebantur. Repraesentabat autem in aquam immersio & eductio Christi mortem & resurrectionem: & immersio trina erat, quot erant personae sacrosanctae Trinitatis. *Non semel*, inquit Tertullianus *contra Praxeam cap.XXVI.*, *sed ter ad singula nomina in personas singulas tinguimur*. Porro trina haec immersio sacramentum erat triduanae Christi sepulturae, Gregor. Nyssen. *de baptismo Christi*, aut fidei professionem in sacrosanctam Trinitatem indicabat, *can.* 78. *de consecr. D.* 4.

§. III. Generalis quidem mos olim obtinuit dandi baptismi per immersionem; at ecclesia tamquam nullos & vanos baptismos effusione, aut adspersione datos non reiecit. Quin in casibus extraordinariis, vbi immersio non poterat vsurpari, ecclesia baptismum effusione datum olim admisit. Sed tandem disciplina mutata est, & effusio ordinaria baptizandi methodus apud Latinos euasit: quae mutatio ab aetate diui Thomae in adsiduam abiit consuetudinem. Tantae mutationis caussam theologi repetunt a periculo, cui infantes in aquam immersi obiiciebantur; quum enim soli ferme infantes baptizarentur, visum est, eos non immersione, sed potius effusione christianis sacris initiari, vt corporali eorum saluti consuleretur. Drouuen *de sacram. lib.II. quaest.*2. *cap.*2. §. 3. Interim vt baptismus valeat, tanta aquae copia effundi debet, vt communi hominum sensu baptizandus vere lotus dici possit.

§. IV. Dum datur baptismus, adsunt *sponsores*, vulgo *patrini* dicti, qui baptizandos ministris offerunt, eosque de sacro fonte suscipiunt, & in pietate & bonis moribus instituunt. In antiquis monumentis saepe dicuntur *susceptores*, quod ex aqua prodeuntes susciperent, & *sponsores* & *fideiussores*, quod pro iis, quos offerebant, spondereut & fideiuberent. Itaque susceptorum officio haec continentur: baptizandos ministris offerunt, eosque de sacro fonte

te leuant: pro infantibus baptistae interrogationibus respondent: adultos baptizandos docent, quatenus baptistae interrogationibus respondere debent: praesertim vero debent filiorum suorum spiritualem curam habere, eosque in Christo erudire. Vnus vero siue vir, siue mulier, aut ad summum vnus & vna baptizatum de baptismo suscipiunt, Trident. *sess. XXIV. de ref. matrim. cap.2.* idque ne cognatio spiritualis, quae nuptias impedit, inter plures spargatur.

§.V. Ad susceptoris officium seligendus homo christianus bonis moribus praeditus, qui dogmata & morum praecepta christianae religionis calleat. Ita susceptoris officio prohibentur haretici, excommunicati, publici criminis rei, infames, poenitentes, peregrini, non confirmati, aetate minores & ipsi baptizandorum parentes (a). Nat. Alexand. *theol. dogm. & moralis lib. II. tract. 2. cap. 6.* Monachi quoque, vtpote solitudini addicti, susceptores esse vetantur, *can.*103. *seq. D.*4. *de consecr.* Et recentiores canones & S. Carolus etiam a susceptoris officio arceant clericos sacris ordinibus initiatos & beneficiarios.

§. VI. Initio christianae religionis quouis die dabatur baptismus. Bingham. *orig. eccles. lib.XI. cap. 6.* §.9. Sed inde sollemni & longa instituta catechesi, duobus tantum per annum diebus in Occidente baptismus datus est, pascha nempe & pentecoste. *Diem baptismo sollemniorem*, inquit Tertullianus *de baptismo cap.XIX.*, *pascha praestat . . . . Exinde pentecoste ordinandis lauacris latissimum spatium est*. In ecclesia Orientali etiam in epiphania sollemnis baptismus conferebatur, quod indicat Gregorius Nazianzenus *orat.XI. de baptismo*, vbi differentes baptismum

(a) In veteri disciplina ordinarii filiorum infantium susceptores erant parentes ipsi. August. *epist.XXIII. ad Bonifac.* Caesar. Arelat. *hom. XII.* Sed deinceps vetitum est, parentes filios suos de baptismo suscipere. Conc. Mogunt. anno IↃCCCXIII. *can. IV.* Mutationis caussa videtur fuisse cognatio spiritualis, quae ex baptismo orta saeculo septimo nuptiis etiam inter suscipientem & suscepti parentes coeperat obstare. Espen. *par. II. tit. 2. cap. 4.*

ita loquentes inducit: *Luminum diem*, ideſt epiphaniam, *exſpecto*, *paſchatis feſtum pluris facio*, *pentecoſten exſpectabo* (*b*). Et in his tribus diebus noctis potius tempore, quam claro die baptiſmus adminiſtrabatur. Interim ſi qua neceſſitas vrgeret, nulla dierum ratio habebatur, ſtatimque dabatur baptiſmus. Siric. papa *epiſt. ad Himer. Tarrac.* *cap. II.* Sed inde poſtquam rarior euaſit baptiſmus adultorum, quouis tempore ſollemnis baptiſmus datus eſt, tantumque in paſcha & pentecoſte in Occidente fontes benedicuntur.

§. VII. Porro primis ſaeculis quouis loco chriſtiani tingebantur. Verum inde eccleſia baptiſmo dando certa loca dixit, quae *baptiſteria*, & a Graecis *φωτιστήρια loca illuminationis*, hoc eſt baptiſmi, qui ab antiquis ſaepe audit *illuminatio*, appellantur. Erant baptiſteria aedificia ab eccleſiis ſeparata, ſed iis contigua, & ſatis ampla. Non tamen olim eccleſiae omnes parochiales habebant baptiſteria, ſed vnum in tota dioeceſi erat baptiſterium, ſecus eccleſiam cathedralem, in quo ſtatis ſollemnitatibus epiſcopus dabat baptiſmum. Bingh. *orig. eccleſ. lib.*

(b) Statas ſollemnitates non ſine propriae ſalutis diſpendio multi elabi ſinebant, & in aliud tempus baptiſmum differebant, idque ex variis rationibus, quas Walkerus *de paedobapt. in praef.* recenſet. Alii paratiores ad tantum myſterium accedere cupiebant: contra alii diutius ſaeculi voluptatibus frui volebant. Item multi principiis Nouatianis imbuti baptiſmum differebant, quod peccatis poſt eum acceptum admiſſis veniam deſperarent. Multos a baptiſmo deterrebant longae & ſeuerae poenitentiae, quibus fidelium peccata eccleſia expiabat. Alii exemplo Chriſti baptiſmum ad triceſimum aetatis annum differebant, vel in Iordane tingi cupiebant. Alii a miniſtro extraordinariis donis aucto (quaſi ſacramentorum efficacia a virtutibus miniſtri penderet) baptiſmum accipere volebant. His aliiſque rationibus frequens fuit olim baptiſmus clinicorum. Ipſe Conſtantinus M. ad mortem vſque baptiſmum diſtulerat: ſed interim fingebat, ſe velle in Iordane baptizari. Patres interim ſolidiſſimis rationibus huiuſmodi prauos mores exagitabant; ſed quouſque homines adulta aetate baptizati ſunt, non defuerunt, qui baptiſmum differrent.

lib. VIII. cap.7. §. 1. Et inde ecclesiae cathedrales olim *matres* & *matrices* dictae sunt, quasi quae totius dioecesis filios per baptismum generarent. Sed temporis lapsu baptisteria exigua aedificia euaserunt, & intra ecclesias translata sunt, & porro paroeciae ferme omnes illa acceperunt. Interim in multis Italiae ciuitatibus antiquae disciplinae vestigia supersunt; Bononiae enim, Pisis, Parmae, Florentiae, Beneuenti vnicum exstat baptisterium.

CAPVT V.

De effectibus & necessitate baptismi.

§. I. Triplex est baptismi effectus, gratia nempe, character, & spiritualis cognatio. Et ad gratiam quod spectat, certa doctrina est, in baptismo Spiritus sancti gratia homines impleri, qua sanctificantur, & in novam & spiritualem vitam regenerantur. Ita baptizati, quamuis adulta aetate, habentur veluti *modo geniti infantes*, 1. *Petri II.2.*: quo factum est, vt ecclesia ad infantiae significationem olim recens baptizatis lactis & mellis particulam daret degustandam. Bingh. *orig. eccles. lib. XII. cap.* 4. §. 6. Cumque regeneratio ista per immersionem in aquam fieret, hinc Tertullianus *de bapt. cap. I.* christianos *pisciculos* appellat, quasi qui per aquam in Christo renascantur (*a*). Regenerati autem admirabilis Dei lu-

(a) Apud gentes & Iudaeos etiam sollemnis erat per aquam regeneratio. Et gentes quidem in ludis Apollinaribus & Eleusinis *in regenerationem & impunitatem periuriorum* tingebantur, quod Tertullianus testatur. Immo credebant ethnici, crimina omnia, etiam immanissima, aquis elui: quod Huetius *in Alnet. lib.II. cap.*20. probat. Praesertim vero regeneratio receptissima erat apud Iudaeos, qui proselytos suos per baptismum & circumcisionem iterum nasci credebant. Selden. *de iure nat. & gent. lib. II. cap.* 4. Quo spectat illud Christi ad Nicodemum, qui ni-

luminis participes efficiuntur, quo factum, vt neophyti *illuminati*, & baptismus ipse *illuminatio* diceretur.

§. II. Porro Spiritus sancti gratia, quae in baptismo homines in nouam creaturam regenerat, etiam peccata omnia originale & actualia eluit & omnino dimittit, *act.II.* 38., *ad Ephes.V.* 26. Et quî alias christiani vere regenerati per aquam dici possent? Hinc veteres patres baptismum saepe *indulgentiam*, *absolutionem* & *remissionem peccatorum* dicunt. Quin aquis salutaribus non tantum peccatorum culpa, verum etiam iis debitae poenae remittuntur (*b*), adeo vt baptizatis ad delictorum expiationem nullae iniungantur poenitentiae, & si continuo post lauacrum moriantur, statim regni caelorum participes fiant. Quod si competentes a datis nominibus rigidam poenitentiam subirent, poenitentia ista potius rectae ad baptismum praeparationis, quam vindictae peccatorum caussa suscipiebatur. Tum vero adultis in baptismo gratia confertur, & peccata dimittuntur, si sponte accedant, in Christum credant, & cordis conuersionem profiteantur.

§. III. Alter baptismi effectus character est, hoc est nota quaedam spiritualis & indelebilis, qua baptizatorum animae obsignantur: quam ecclesiae catholicae doctrinam Florentini & Tridentini patres confirmarunt. Sane veteres patres saepe eiusmodi notae, qua in baptismo christiani obsignantur, meminerunt, eamque veluti animae adhaerentem describunt. Cyrill. Hierosolym. *catech.XVII.* Basil. *hom.XIII. de exhort. ad baptismum*, Chrysost. *hom. III.*

---

mirabatur, quî ille dixisset, neminem, nisi denuo natum, ingredi regnum caelorum: *tu es magister in Israel*, *& haec ignoras*. Ioan. *cap. III.* 10.

(b) Culpa peccati in baptismo dimissa, dimittuntur simul poenae debitae, sed eae tantum, quae in altera vita deberentur. Itaque post baptismum manent morbi, corporis infirmitas, coucupiscentia, mors & alia mala, quae originale peccatum in humanum genus effudit. Minus vtile hominibus pro sapientia sua Deus esse vidit, vt regenerati primaeui hominis integritatem per omnia recuperarent. August. *de ciuit. lib. XIII. cap.* 4.

III. in 2. *ad Cor.* Et quamuis alias nomine *signi* & *sigilli* veteres intelligant ipsam externam sacramenti administrationem; tamen dum notas veluti in anima insculptas, eique adhaerentes describunt, sigilla interna dubio procul adgnoscunt. Ceterum sigillo baptismi filii Dei conditionem christiani induunt.

§. IV. Tertius baptismi effectus est cognatio spiritualis, quae ex praesenti disciplina inter baptistam & baptizatum eiusque patrem & matrem, item inter suscipientem & susceptum eiusque patrem & matrem contrahitur. Trident. *sess. XXIV. de ref. matrim. cap.* 2. Inde vsque ab initio christianae religionis inter baptistam & baptizatos, itemque inter susceptores & susceptos paterna quaedam cognatio & affectio nasci visa est, quod qui ab aliquo regeneratur, aut in pietate instituitur, ab eo quodammodo in nouam vitam educitur. Origen. *ad Roman. XVI.* 21. Basil. *constitut. monast. cap. XX.* Vt vero spiritualis cognatio contrahatur, susceptores baptizatum de sacro fonte leuare debent, vel ipsum ad baptismum offerre; sed iam receptior sententia est, etiam per procuratorem cognationem contrahi. Espen. *par. II. tit.* 13. *cap.* 6. Non tamen cognatio spiritualis in veteri disciplina nuptiis erat impedimento: & inde ipsi parentes sine coniugii impedimento filios infantes ex baptismo suscipiebant. August. *epist.XXIII. ad Bonif.* Sed labentibus annis spiritalis cognatio nuptias coepit impedire, qua de re in tractatu de matrimonio.

§. V. Venio ad baptismi necessitatem, quae profecto tanta est, vt sine eo nemo vitam aeternam consequi possit, Ioan. *cap.III.*5., & hinc docent scholae, baptismum *necessitate medii* ad salutem requiri. Nimirum homines propter primigeniam labem carnales euaserant ac natura filii irae, & idcirco extra spem aeternae salutis proiecti. Hinc Deus homines miseratus, baptismum instituit, quo homines renascantur, & ius ad beatitudinem recuperent. Ita fit, vt baptismus omnibus, etiam infantibus, ad salutem sit necessarius; non minus enim infantes quam adulti ex carne sunt, ac natura filii irae: quae est catholicae ecclesiae doctrina. Quod si infantes sine baptismo moriantur, in statu quodam medio videntur collocati,

ti, vbi a visione Dei exclusi nulla poena sensus torquentur. Nazianz. *orat. XL.* V. Nat. Alexandr. *hist. eccles. saec. V. cap.* 4. *art.* 3. §. 10. (*c*).

§. VI. Quaecumque vero sit baptismi in aqua necessitas, dantur quidam extraordinarii casus, in quibus invisibili Spiritus sancti gratia baptismus aquae suppletur, veluti si quis non baptizatus martyrium patiatur, vel si quis in discrimine vitae positus, vbi non est copia baptismi, de peccatis doleat, & baptismum desideret. Hinc scholae triplicem baptismum fecerunt, *aquae*, *sanguinis*, & *flaminis*, seu *desiderii*. Et quidem martyrio baptismi defectum suppleri, certa doctrina in ecclesia semper fuit, modo qui martyrium patiuntur, in ecclesia sint. Cyprian. *ep.LXX. ad Iubaian.* Sed quod spectat ad baptismum desiderii, apud veteres dubium fuit, an solo desiderio, quando aqua deficiebat, salus aeterna posset obtineri; nondum primis saeculis omnium dogmatum nostrorum veritas erat eliquata. Sed tandem ecclesia omnis recepit baptismi, fidem in necessitate esse pro sacramento. Trident. *sess. VI. de iustific. cap.* 4.

§. VII. Semel ex forma ecclesiae susceptus baptismus non potest iterari, quae est certa ecclesiae doctrina; baptismus enim perpetua & indelebili nota animam obsignat. Hinc Augustinus *immanissimum scelus* dixit catholici hominis rebaptizationem, *can.* 108. *D.* 4. *ad consecr.* Ex haereticis Nouatiani & Donatistae ad se deficientes, etiam catholicos, rebaptizabant, idque quod catholicorum baptisma nullum esse crederent. Similiter Anabaptistae, qui nullum etiam tenent baptismum infantibus datum, in infantia baptizatos iterum tingunt. Interim in

(c) Pluribus in locis Augustinus infantes sine baptismo abeuntes *morti aeternae* & *aeterno igni* addicit: quae eadem habent Auitus Viennensis, Fulgentius, Isidorus Hispalensis aliique. Sed Augustini doctrina emollienda est aliis Augustini locis, in quibus humanius cum infantibus sine baptismo mortuis agit. Et profecto vbi videtur immisericors, decurrit in hanc sententiam, vt Pelagianos confutaret, qui infantes non lotos extra regnum Dei, sed in vita beata collocabant.

in ecclesia & rebaptizantes & rebaptizati publicae subiiciebantur poenitentiae, Innocent. I. *epist. II. ad Victric. cap. 9.*, atque ideo facti sunt a canone alieni. Conc. Carthag. III. *can.* 11. Porro iure ciuili bona eorum, qui orthodoxorum ritu initiatos iterum tingerent, publicantur, *L.* 5. *& seq. C. Th. ne sanctum baptisma iteretur*, quin etiam capite puniuntur, *L.* 2. *C. Inst. eod.*

CAPVT VI.

De ritibus baptismum consequentibus.

§. I. Reliquum modo est, vt de ritibus, qui baptismum sequuntur, aliquid moneamus. In primis neophyti, hoc est recens in Christo nati, post lauacrum candidas induebant vestes, & ardentes faces in manibus gerebant. Significabant albae vestes innocentiam in baptismo partam, easque octo dies gerebant, & octaua paschae deponebant, Aug. *hom. LXXXVI. de diuersis*; quo factum, vt dominica post pascha *dominica in albis* diceretur. Vsurpatur etiam hodie ritus albae vestis & candelarum, sed alba veste eodem tempore neophyti vestiuntur & exuuntur. Item neophytis ad infantiae significationem lac & mel dabantur degustanda. Tertull. *de cor. cap. III.* Hieronym. *aduers. Lucifer. cap. IV.* Hinc in pascha ad altare vna cum pane & vino lac & mel offerebantur, *can. XXXVII. C. Afr.*. Sed tandem vna cum baptismo sollemni desiit lactis & mellis degustatio.

§. II. Alia quoque caerimonia in ecclesiis Occidentis baptismum consequitur, chrismatis nempe ab episcopis benedicti inunctio, qua neophyti a baptista in capite vnguntur. Et hinc in ecclesia Latina bis chrismate christiani vnguntur, semel in vertice post regenerationem, iterum in fronte ab episcopo dum confirmantur. Sed Graeci ex antiqua disciplina neophytos tantum in fronte chrismate inungunt. Morin. *de sacram. confirmat. cap. IX.*

§. III. Iam egressi de lauacro neophyti orationem do-

dominicam, quam in scrutiniis acceperant, & memoriae mandauerant, solebant recitare, quod tradit auctor constitutionum apostolicarum *lib. VII. cap.* 44.; ante enim vere Deum tamquam patrem vix poterant appellare. Hinc oratio dominica ab antiquis *fidelium oratio* dicebatur, eaque vna cum reliquis christianae religionis mysteriis ethnicos latebat. Theodoret. *epit. diuin. dogm. cap. XXVIII.* Inde magna laetitia & psalmorum cantu & osculo pacis in ecclesiam & sacros conuentus excipiebantur.

§. IV. Porro neophyti septem sequentes baptismum dies, quibus in albis incedebant, peculiari ratione celebrabant: nempe abstinebant se a lautioribus epulis, spectaculis & ipso coniugii vsu, conc. Carthag. IV. *can.* 38. Item psalmos & hymnos recitabant, & balneis abstinere iubebantur. Tertull. *de cor. cap. III.* Propriae quoque missae in rem praesentem accommodatae quouis die fiebant, & episcopi adsiduos sermones habebant, quibus in doctrina & ritibus baptismi, confirmationis & eucharistiae (quae tria sacramenta eodem ferme tempore dabantur) neophytos instituebant. Graeci huiusmodi sermones dicebant *μυσταγωγικους*, quod mysteriorum darent explicationem, iisque finitis nulla pars christianae doctrinae fideles latebat, & arcana disciplina omnino soluebatur. Demum neophyti anno redeunte anniuersariam suscepti baptismi sollemnitatem celebrabant, quae *pascha annotinum* dicebatur. Baillet *des fêtes mobiles par. II.* (*a*).

CA-

(a) Pascha annotinum cum catechumenorum baptismo sollemni, qui sabbato sancto dabatur, videtur desiisse; quod Chardonius *in histor. sacram. lib. I. sect.* 1. *par.* 2. *cap.* 11. obseruat. Sed pertinet ad christiani officium, vt annuam baptismi sui diem sancte recolat.

CAPVT VII.

De confirmatione.

§. I. POst baptismum alio sacramento, confirmatione scilicet, christianis succurritur. Regeneratio, quae summo Dei beneficio in aquis obtinetur, satis quidem est ad salutem consequendam; at quando post baptismum viuere christiani pergunt, alio auxilio indigent, vt partam in aquis innocentiam seruent & perficiant, & diaboli & saeculi tentationibus resistant. Euseb. Emiss. *homil. de pentecoste*. Itaque confirmatio est christianae religionis sacramentum, quo regenerati Spiritum sanctum ad robur & auxilia spiritualia consequuntur, vt Christi perfecti milites euadant. In antiquis monumentis confirmatio passim dicitur *manuum impositio* & *vnctio*, idque quia manuum impositione & chrismatis vnctione datur.

§. II. Chrismatis nomine in hoc sacramento venit vnguentum, quod Latini ex oleo & balsamo, Graeci vero itidem ex oleo & balsamo & triginta quinque aliis aromatum speciebus, addita non exigua vini quantitate, conficiunt. Initio chrisma ex solo oleo confectum videtur, Tertull. *de bapt. cap. VIII.*, successu temporis balsamum & alia aromata addita sunt. Confectum chrisma ab episcopo consecrandum est, idque in veteri disciplina *omni tempore* fieri poterat, conc. Tolet. I. *can.* 20., tum inductum, vt chrisma quotannis feria quinta in coena domini consecraretur, quae disciplina initio saeculi septimi inualuit. Et certe supposititia est decretalis sub nomine Fabiani papae in *can.* 18. *de consecr. D.* 4., quae de chrismate in coena domini consecrando loquitur. Ceterum commistio ista balsami cum oleo non est de sacramenti necessitate: & si quis non chrismate, sed mero oleo consignatus fuerit, nihil debet iterari, sed caute supplendum, quod minus caute praetermissum est, *cap. I. ex. de sacramentis non iterandis*.

§. III.

§. III. Consecrato chrismate, qui confirmantur, vnguntur: quam vnctionem sacramenti *materiam proximam* theologi dicunt. Vnguntur autem ex antiqua disciplina apud Latinos tantum in fronte; sed Graeci praeter frontem vngunt oculos, nares, os, aures, pectus & manus, vt habet vulgatum Euchologium. Fit vnctio in vtraque ecclesia sub signo crucis, a quo signo confirmatio ab antiquis dicitur *consignatio* & *signaculum domini*. Item consignationem comitatur formula verborum, quae non iisdem verbis apud Graecos & Latinos concepta est. Graeci enim inde vsque a quarto saeculo dicunt, *σφραγις δωρεας πνευματος αγιυ*, *signaculum donationis spiritus sancti*, conc. Constantinop. I. *can.* 7., Latini vero hac formula consignant, *signo te signo crucis*, *&* *confirmo te chrismate salutis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti* (a).

§. IV. Alterum signum sensibile, quo datur confirmatio, est sub vocis precatione manuum impositio, qui ritus ex apostolica auctoritate descendit, *act.VIII.*17., & in vtraque ecclesia in confirmandis christianis vsurpatus est. Nec recte multi adfirmant, Graecos a multis retro saeculis manus in consignatione non imponere. V.Drouven *de re sacram. lib. III. q.* 3. *art.* 2. Quae vero fuerit oratio ista, quae, dum manus super confirmandos imponebantur, recitabatur, patres non exposuerunt; sed arcana traditione conseruata est; eaque inuocabatur Deus, vt

---

(a) Initio nec Graeci nec Latini in chrismatis vnctione certam formulam videntur adhibuisse, sed confirmationem solis precibus, quibus datur Spiritus sanctus, administrarunt. Morin. *de poenit. lib. VII. cap* 16. Quoniam vero videbatur incommodum, episcopum, dum vngeret, nihil dicere; primum apud Graecos, inde apud Latinos in chrismatis vnctione etiam propria formula vsurpata est. Post saeculum septimum in Occidente alii dicebant, *signum crucis in vitam aeternam*, alii, *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, nec in formula actum consignationis exprimebant, Morin. *loc. cit.*: tandem vero ecclesiae omnes Occidentales formulam modo receptam admiserunt.

vt Spiritum sanctum suum in regeneratos effunderet, eosque confirmaret atque perficeret.

§. V. Atque ex his omnibus videtur constare, quae sit propria & intrinseca sacramenti confirmationis materia & forma, licet ea de re inter theologos non conueniat. Scholastici docent, materiam esse chrisma, formam vero verba, quae adhaerent vnctioni. Alii in primis Hueninus & Drouuenus manuum impositioni chrisma adiungunt, & ex vtroque ritu materiam coalescere contendunt. Rectius Sirmondus, Habertus, Sambouius aliique totius confirmationis vim & virtutem in manuum impositione eique adiunctis precibus collocant, chrismatis vero vnctionem ecclesiae auctoritate ad sacramenti integritatem pertinere autumant. Sane apostoli orantes, & manus imponentes dederunt Spiritum sanctum: antiqui patres docent, per manuum impositionem dari Spiritum sanctum: chrismatis vnctio non est apostolicae institutionis: & verba *signo te signo crucis &c.* antiquis patribus ignota sunt.

§. VI. Ordinarius confirmationis minister episcopus est; vniuersa enim antiquitas id docet, & nonnulli patres ex apostolica auctoritate deriuant. Cypr. *ep.LXXII. ad Iubaian.* Hieronym. *contra Lucif. cap. IV.* Innocent.I. *epist. ad Decentium cap.3.* Verum olim in Occidente presbyteri, absente, aut veniam dante episcopo, confirmare solebant. Conc. Tolet. I. *can.* 20. Arausic. *can. II.* V. Morin. *de sacram. confirmat. cap. XII. & seqq.* Sed deinceps *pontificum Romanorum instantia*, inquit Holstenius *diss. de ministr. confirmat. apud Graecos in praefatione* desierunt in Occidente presbyteri confirmare: at in Oriente adhuc presbyteri velut ordinario iure confirmant. Graecorum mores sunt legitime praescripti, eosque ecclesia Romana admittit: nec recte profecto sentit Sambouius *de sacram. confirm. disput. VII. art.* 2., Graecos presbyteros ministerio consignationis abuti (*b*). Verum posse

(b) Obstare videtur Innocentius III. qui in *cap.* 4. *ex. de consuetud.* vetat, presbyteros apud Constantinopolim constitutos

hodie presbyteros Latinos ex ecclesiae indulgentia confirmationem dare in compertis est, quamuis id Estius & Sambouius non admittant.

§. VII. Effectus confirmationis duo sunt gratia & character. Et quod spectat ad gratiam, constans & vulgata est ecclesiae doctrina per manuum impositionem dari Spiritum sanctum. Iuenin. *de sacram. diss. III. quaest.7. cap.* 2. Spiritus vero sancti gratia confirmatis adhaerens proprie gratiam in baptismo partam confirmat augetque, non iustitiam & sanctitatem producit (*c*). Nimirum regeneratio satis est ad salutem; at quando post baptismum christiani variis infirmitatibus sunt obnoxii, alio indigent auxilio, quo in gratia fortes persistant. *In baptismo*, ait Eusebius Emissenus *hom. de pentecoste*, *regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum roboramur*. Hinc in confirmatione christiani dicuntur *perfici*, *consummari*, *roborari:* quo fiebat, vt nemo perfectus christianus censeretur, antequam confirmationem accepisset. Cyrill. Hieros. *catech. III.* V. Albaspin. *obser. lib. I. cap.*25.

§. VIII. Non aliis datur confirmatio quam per baptismum regeneratis; perficit enim augetque gratiam in ba-

---

tos chrisma dare & consignare. Verum id pontifex edixit de presbyteris *Latinis*: & perperam Raymundus vocem illam detruncauit, quod ex integra decretali in *comp.III. apud Ant.August.* constat.

(c) Gratia perficiens & roborans ordinarius confirmationis effectus est; at aliquando confirmatio etiam confert donum miraculorum. Id certe ordinarium erat aetate apostolorum, inde sensim fere cessauit, prout creuit res christiana. Ecclesiae primordia, eaque parum tuta, miraculorum dona postulabant. *Signa erant tempori opportuna*, inquit Augustinus *de bapt. lib. III. cap.16.*, *ad commendationem rudis fidei*, *& ecclesiae primordia dilatanda*. Ceterum dona miraculorum post datam ecclesiae pacem non omnino cessarunt: Deus enim pro sapientia sua & ecclesiae necessitate in omnibus saeculis dona miraculorum dedit, dabitque deinceps, quippe qui ecclesiam suam non derelinquet.

baptiſmo partam; & qui natus nondum eſt, quî poteſt adoleſcere? Cuiuſcumque autem aetatis chriſtiani confirmationis capaces ſunt: & reapſe vetus eccleſia etiam infantes conſignare conſueuit: ſed receptis apud Latinos moribus ferme infantes non conſignantur ante ſeptimum vel decimum ſecundum annum: quae diſciplina inualuit, vbi in Occidente presbyteri conſignare deſierunt; quum enim ſtatim a baptiſmo infantes perfici non poſſent, quod raro epiſcopi baptizarent; ſatis viſum eſt, conſignationem in eam aetatem differre, qua confirmandi vim ſacramenti aliquatenus intelligerent.

§. IX. Quoniam vero confirmatio tantum ſanctitatem confirmat, non eſt abſolute neceſſaria. Vt in regnum caelorum ingrediamur, ſufficit aqua. Conc. Illiberit. *can. LXXVII.* Hieronym. *contra Luciferian. cap. IV.* Ceterum adultis omnibus conſignatio neceſſaria eſt ex diuino & eccleſiaſtico praecepto. V. Nat. Alexandr. *theol. dogm. & mor. lib. II. tract. 3. cap. 4.* Vnuſquiſque enim ex diuino praecepto eniti tenetur, vt chriſtianae vitae adquirat perfectionem. Hinc ſalutem ſuam in diſcrimen adducunt, grauiſque peccati rei ſunt, qui confirmationem contemnunt, aut negligunt.

§. X. Ex antiqua diſciplina ſtatim poſt ſuſceptum baptiſmum dabatur confirmatio. Menard. *not. in ſacrament.* Hinc per villas & minores vrbes, vbi presbyteri baptizabant, non vero conſignabant, epiſcopi manus impoſituri excurrere ſolebant, teſte Hieronymo *loc. cit.*, vt ita, quatenus fieri poterat, conſignatio illuminationi adhaereret. Nimirum confirmatio ad baptiſmi perfectionem pertinere credebatur, proinde ſtatim poſt baptiſmum ſequebatur perfectio. Vigent apud Graecos adhuc antiqui mores, quod Goarius *not. in ritual. Graec.* probat; at apud Latinos a multis retro ſaeculis confirmatio ſeorſum a baptiſmo confertur, idque receptum eſt, vbi ſoli epiſcopi confirmare coeperunt. Interim quouſque illuminationi adhaeſit confirmatio, fere tantum in paſcha & pentecoſte dari conſueuit; ſed in noua diſciplina quouis tempore datur.

§. XI. Vt vero confirmatio rite ſuſcipiatur, plura requiruntur. In primis praecedere debet baptiſmus; quî enim creſcere in Chriſto poſſunt, qui nondum ſpiritua-

liter nati sunt ? Item qui adulta aetate, sed non statim post baptismum confirmantur, & grauioris peccati rei sunt, de peccato suo dolere debent; consultius vero confessionem praemittent, *can. 6. de consecr. D.* 5. Corpore quoque ieiuni, si fieri commode possit, debent esse confirmandi. V. Sambou. *de sacram. confirm. disp. VIII. art.* 2. Et pro reuerentia sacri chrismatis frons eluenda, & capilli in eam decidentes attondendi.

§. XII. Iam vero ex noua disciplina proprii sponsores episcopo ad consignationem illuminatos offerunt; verum passim vnus vnum offert, nec plures admitti solent; nec permittit S. Carolus, vt mas feminam, aut contra femina marem offerat. Sponsores autem confirmationis debent esse christiani probi & confirmati; & qui in baptismo sponsores esse vetantur, etiam in consignatione hoc munere fungi prohibentur. Contrahitur etiam in confirmatione spiritualis cognatio inter confirmantem & confirmatum, eiusque patrem & matrem, ac porro inter offerentem & oblatum, eiusque patrem & matrem, quae obstat nuptiis contrahendis, & contractas dissoluit, Trident. *sess. XXIV. de ref. matrim. cap.* 2.

§. XIII. Confirmationem demum hi ritus sequuntur. Episcopus confirmato leuem alapam impingit, qua significatur, christianum militem fortem esse debere in tolerandis, non in inferendis iniuriis. Huius alapae mentio nulla exstat in antiquis monumentis, eiusque primus fortasse meminit Durantus episcopus Mimatensis. Inde episcopus confirmato pacem impertitur: demum confirmati frons diligenter bombyce abstergitur; sed olim loco abstersionis frontes *blandellis*, hoc est vittis lineis, quas per aliquot dies confirmati gestabant, circumligabantur. Sambou. *de sacram. confirm. disp. IX. art.* 3.

CA-

CAPVT VIII.

De sacramento eucharistiae, & primum de materia & forma.

§. I. EVcharistia Graecum nomen est, quod proprie gratiarum actionem significat; at frequentiore vsu est sacramentum corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem fidelium refectionem institutum. Christus nempe, dum hoc sacramentum instituit, Deo gratias egit, & inde factum huius sacramenti nomen. Instituit vero Christus eucharistiam in vltima coena; paschae enim conuiuio, quod de more celebravit, veluti secundas mensas addidit ad Iudaeorum imitationem (a): sed loco mystici panis & vini panem & vinum in corpus & sanguinem suum conuertit, vt essent christianis cibus & potus.

§. II. Elementa, vnde conficitur eucharistia, sunt panis & vinum. Panis autem nomine venit panis triticeus & communis, vini vero vinum ex vuis expressum. Panis ex tritico, siue azymus, siue fermentatus apta sacramenti materia est. Interim Latini in azymis, Graeci vero & reliqui Orientales (exceptis Maronitis & Armenis, qui azymis vtuntur) in fermentato eucharistiam conficiunt (b). Vsum ecclesiae suae singuli tenere debent:

(a) Iudaei sacra conuiuia in diebus festis agitare solebant; conuiuiis vero addebant veluti mensas secundas, quae ex pane & vino constabant: inde gratias Deo agebant, quod creasset panem ex terra & fructum vitis; quibus omnibus accedebat historiae, quae diei responderet, grata commemoratio. Conf. Scaliger *lib. VI. de emendat.* & Grotius *diss. de coenae administrat. vbi pastores non sunt.*

(b) Fermentati panis vsus in sacris mysteriis apud Graecos est antiquissimus, sed an ecclesia Latina panem azymum, vel

& qui aliter faciunt, violatae disciplinae rei sunt. V. Iuenin. *de sacram. diss. IV. quaest.* 2. *cap.* 1. *art.* 4.

§. III. Panis in veteri disciplina nullo studio parabatur ad eucharistiam, sed ex nitidioribus panibus, quos christiani ad altare offerebant, desumebatur: inde diligenti cura paratus est, conc. Tolet. XVI. *can.6.*, & characteres, qui Christum exhiberent, oblatis impressi, licet non iidem semper & vbique fuerint. Erat autem panis congruae crassitiei, etiam postquam apud Latinos azymus in-

---

fermentatum olim adhibuerit, quaestio est obscura & perdifficilis. Iac. Sirmondus contendit, fermenti vsum octingentos & amplius annos generatim in ecclesia obtinuisse, apud Latinos vero receptum azymum medio inter schisma Photii & turbas Michaëlis Cerularii tempore. Contra Christianus Lupus & Mabillonius ab ipsis ecclesiae primordiis Latinos in azymis eucharistiam celebrasse sentiunt. Medius inter has sententias cardinalis Bona *rer. liturgic. lib.I. cap.23.* opinatur, Latinos per novem plus minus saecula fermentum consecrasse, sed azymum non respuisse. In tanta virorum doctissimorum discrepantia illud videtur exploratum, fermenti vsum in ecclesia Latina fuisse receptissimum. Sane panis ad eucharistiam ex populi oblationibus desumebatur: populus autem panem communem & consuetum offerebat. Veteres quoque panem eucharisticum veluti communem & fermentatum describunt, Tertull. *lib. II. ad vxorem cap.5.* Ambros. siue auctor libri *de sacramentis lib. IV. cap.4.* Et Romani pontifices eucharistiam *fermentum* appellant. Innocent. I. *epist. ad Decent. cap.* 5. Nec Christi exemplum, qui in azymis eucharistiam consecrauit, Latinos mouere poterat, vt abiecto fermentato azymum praeferrent; nam Christus id fecit, quod vltimae coenae tempus ex moribus Iudaicis alium panem non suppeditabat. Sed tandem octauo fortasse saeculo coeperunt Latini azymum adhibere: qui vsus sensim creuit; iamque medio saeculo vndecimo Latini tantum in azymis consecrabant: cuius mutationis caussa videtur fuisse desueta frequens christianorum eucharistica communio. Nempe exigua panis quantitas sufficiebat, vbi populus raro Christi corpus sumere coepit: cumque azymus facile pararetur, nec aliquo canone esset interdictus, facile in fermenti locum substitutus est. Bona *loc. cit. n.* 18.

inualuit; at post saeculi vndecimi medium oblatae in formam tenuissimam, quae denarii formam exhibet, abierunt. Card. Bona *rer. liturgicar. lib.I. cap.* 23. *n.* 19. Vnus vero panis ex veteri disciplina consecrabatur, qui eius erat magnitudinis, vt ex eo fideles communicarent; sed vbi oblatae in tenuem formam abierunt, in Latina ecclesia plures oblatae consecratae sunt, grandior vna pro sacerdote, minores aliae pro reliquis manducantibus: quae minores oblatae adhuc *particulae* audiunt.

§. IV. Vinum in sacris mysteriis non merum, sed aqua mistum offerri debet, idque ex apostolica traditione & exemplo Christi, qui vinum aqua mistum praebuit. Cyprian. *ep. LXIII. ad Caecil.* V. Voss. *harmon. euangel. lib. II. cap.* 15. & Grot. *in Matth. cap.XXVI.* Significat autem ex Cypriani sententia aqua vino admista fidelem populum Christo, quem vinum repraesentat, vnitum & adunatum. Sed Gennadius *de eccles. dogmat. cap. LXXV.* aquam vino admisceri scribit, quod ex latere Christi sanguis & aqua effluxerit. Aqua autem vino admista in Christi sanguinem transmutatur, & quidem vi institutionis; Christus enim vinum aqua mistum obtulit; nec recte Thomistae sentiunt, aquam prius in vinum conuerti, inde in sanguinem. V. Druuen *de re sacram. lib. IV. q.* 2. *cap.* 3. Modicum aquae ex noua disciplina est admiscendum; idque fortasse inualuit, postquam in scholis auditum est, aquam prius in vinum conuerti debere, & inde in sanguinem; in veteri enim disciplina duae vini partes & vna aquae admiscebantur. Conc. Triburien. *can. XIX.*

§. V. Quod vero spectat ad verba, quibus elementa panis & vini consecrantur, vulgatum est & in scholis receptum, verba, quibus consecratur panis, esse, *hoc est corpus meum;* & quibus consecratur vinum, *hic est calix sanguinis mei*, vel, *hic est sanguis meus*. Et profecto ex veteribus patribus multi vim consecrationis solis Christi verbis tribuunt. *Acceptum panem*, ait de Christo Tertullianus *lib. IV. aduers. Marcion. cap.* 40., *& distributum discipulis corpus illum suum fecit, dicendo, hoc est corpus meum*. Idem etiam habent Epiphanius, Gregorius Nazianzenus, auctor operis *de sacramentis* sub no-

mine Ambrosii, Chrysostomus aliique (c). Verum verba ista sollemnia non eodem modo in liturgiis exhibentur, sed alibi ampliora, alibi strictiora; sed additiones & detractiones istae sensum non mutant.

§. VI. Iam in eo prae reliquis sacramentis eminet eucharistia, quod etiam reapse continet ipsum gratiarum fontem vberrimum Iesum Christum. Etenim vi consecrationis panis & vinum in verum corpus & sanguinem Christi conuertuntur, quod recepto, sed veteri ecclesiae ignoto vocabulo, *transubstantiatio* dicitur: quod fidei dogma Arnaldus, Nat. Alexander aliique theologi nostri contra Lutheranos & Caluinianos multis demonstrarunt. Hinc eucharistia cultu, qui Deo debetur, est adoranda; quod peculiari opere Iac. Boileau contra Dallaeum probatum dedit. Id tamen verum est, in noua disciplina eucharistiae cultum sollemniorem euasisse instituto peculiari corporis Christi festo, sollemni eiusdem processione, & inducta publica eucharistiae ad adorationem expositione: quae tria antiquis patribus ignota erant. Conf. Io. Baptista Thiersius *de expositione venerabilis*.

CA-

(c) Sed alii tenent, ad vim eucharisticae consecrationis & verba Christi & preces ecclesiae auctoritate additas esse necessaria, quam sententiam Petrus le Brun *diss. X. de Armenor. liturg. art.*17. *quaest.* 2. & Augustinus Touttèe magno veterum patrum & rationum apparatu propugnant. Adserunt, Christum praecepisse, vt quod ipse fecit, ministri facerent; ideoque etiam benedictionem ad vim consecrationis esse necessariam: Christus enim acceptum panem benedixit. Benedictio autem, quam ecclesiae ministri possunt adhibere, non alia profecto est quam oratio. Addunt liturgias omnes & Occidentales & Orientales, quae vel ante vel post Christi verba preces iubent recitari. Demum prouocant ad veteres patres, qui magno numero precibus tribuunt eucharistiae consecrationem. Quod ad me attinet, tutius esse iudico, vt ministri summa pietate etiam preces recitent, & ad eas attendant: etenim Basilius *de Spir. sancto cap. XXVII.* aperte docet, praeter Christi verba etiam preces magnam vim ad consecrationem habere.

CAPVT IX.

De ministro eucharistiae, eamque suscipientibus.

§. I. MVnus ministri, qui sacram coenam administrat, duabus partibus absoluitur, elementorum consecratione, & eorum dispensatione. Et quod spectat ad eucharistiae consecrationem, eius ministri tantum sunt proprie sic dicti presbyteri, non alii inferiores clerici, aut laici. Sane dum Christus eucharistiam instituit, eius conficiendae potestatem tantum apostolis eorumque in sacerdotio successoribus concessit, *hoc facite in meam commemorationem*. Luc. *cap.XXII.* 19. Et deinde ecclesia semper docuit, tantum sacerdotes habere eucharistiae conficiendae potestatem: nec eo munere diaconos, multo minus laicos fungi posse. Conc. Nicaen. *can. XVIII.* Arelat. I. *can. 16.*, Hieronym. *epist.LXXXV. ad Euagr.* (a). Nempe celebratio eucharistiae continet verum christiani nominis sacrificium, atque ideo sine sacerdote non potest consecrari.

§.II.

(a) Contra catholicam sententiam Rigaltius, Grotius, Boëhmerus aliique contendunt, in necessitate & absentia presbyterorum licere etiam laicis eucharistiam consecrare: idque praesertim probant ex Tertulliano *de exhort. castit. cap. VII.*, vbi & laicis sacerdotium tribuit, & in necessitate eucharistiae celebrandae potestatem, *vbi ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers & tingis & sacerdos es tibi solus: sed vbi tres, ecclesia est, licet laici*. Locus hic Tertulliani intricatissimus est, & multis quaestionibus caussam praebuit. Sed Africanus iste videtur errasse, quod etiam Buddeus *inst. theol. dogm. lib. V. cap.* 1. §. 13. adgnoscit: deditque errori caussam sacerdotium laicorum, quod eo vsque Tertullianus extulit, vt omnia iura sacerdotalia complecteretur, quando erat improprium, & certas tantum functiones continebat: qua de re *par. I. cap.* 2. dictum est.

§. II. Sed quod ſpectat ad miniſtrum, qui a ſacerdote conſecratam euchariſtiam diſpenſat, is neceſſario ſacerdos eſſe non debet; diſpenſatio enim euchariſtiae ab ordine ſacerdotali neceſſario non pendet. Sane in veteri diſciplina diaconi velut eccleſiae miniſtri inter miſſarum ſollemnia ſanguinem Chriſti populo tribuerunt, non item corpus, ſi presbyter praeſens eſſet, niſi vrgeret neceſſitas, & id facere iuberentur, Cypr. *de lapſis*, *can.* 18. *D.* 94. Tandem vero diaconi euchariſtiam adminiſtrare deſierunt, idque videtur factum, vbi ſub vna tantum ſpecie Latini euchariſtiam ſumere coeperunt. Verum ſi neceſſitas cogat, etiam hodie diaconi ex epiſcopi mandato euchariſtiam diſpenſant. V. Nat. Alexandr. *theol. dogm. & mor. lib. II. tract. de euchariſt. cap.* 4.

§. III. Itaque in noua diſciplina ſoli presbyteri euchariſtiam diſpenſant; ſed non omnes aequali poteſtate: epiſcopi enim & parochi iure proprio & ordinario, reliqui vero presbyteri ex epiſcopi, parochiue delegatione id faciunt. Immo in *Clement. I. de priuilegiis* excommunicantur regulares, qui clericis, aut laicis ſine parochorum *licentia ſpeciali* euchariſtiam praebent. Sed iam hoc iure vtimur, vt meri presbyteri & regulares in miſſis, quas celebrant, ſine ſpeciali parochorum venia euchariſtiam diſpenſent; ſicque ius parochorum ad viaticum & paſchalem communionem redactum eſt. Quum enim euchariſtiae diſtributio pars ſacrificii cenſeatur, veluti ſponte ſua inualuit, vt fideles in miſſis priuatis praeſentes euchariſtiam ſumerent. Eſpen. *par. II. tit.* 4. *cap.* 1.

§. IV. Qui ſuſcipere poſſunt euchariſtiam, procul dubio chriſtiani ſunt, iuſtitia & caritate praediti, aut qui iuſti & digni reputantur. Etenim euchariſtia ſemper tamquam cibus ſpiritualis habita eſt, quo vita ſpiritualis nutritur & fouetur. Hinc chriſtiani ab ipſa illuminatione ad euchariſtiam ius conſequuntur. Et reapſe eccleſia ſtatim a baptiſmo & conſignatione, quae ferme baptiſmum ſequebatur, dedit euchariſtiam, vt fideles myſtico Chriſti corpori per aquam inſerti, reapſe etiam ipſum Chriſtum reciperent; quo ſpiritualis vita nutriretur. *Caro abluitur*, inquit Tertullianus *de reſurrect. carnis cap. VIII.*, *caro vngitur*, *caro corpore & ſanguine domini veſcitur*.

§. V.

§. V. Nec tantum adulti, verum etiam infantes in baptismo ius ad euchariſtiam conſequuntur. Et ſane in vtraque eccleſia olim infantes ſtatim poſt baptiſmum & confirmationem, aut poſt ſolum baptiſmum ad euchariſtiam admiſſi ſunt. Card. Bona *rerum liturgic. lib. II. cap.* 19. *n.* 2. Stetit in Occidente infantium communio ad decimum ſecundum vſque ſaeculum, ſed inde ſenſim deſueuit; at apud Graecos adhuc vigent antiqui mores. Arcud. *lib. III. de ſacram. euchar. cap.*11. Itaque ex receptis Latinorum moribus pueri tunc admittuntur ad euchariſtiam, quum ea mente & aetate ſunt, qua Chriſti corpus poſſint iudicare: quod epiſcoporum & parochorum iudicio aeſtimandum eſt. Similiter perpetuo amentes praeſentibus moribus euchariſtiam non ſumunt; at qui ante amentiam ſacramentum petierunt, euchariſtia donantur, etſi tempore ſumtionis delirent, niſi periculum vomitus, expuitionis, aut alterius incommodi timeatur. Nat. Alexand. *theol. dogm. & moralis lib. II. tract. de euchariſt. cap.* 5. *art.* 1.

§. VI. Porro chriſtiani alias digni, etiam dum infirmantur, ſumunt euchariſtiam, immo diuinum praeceptum de ſuſcipiendo hoc ſacramento in periculoſis infirmitatibus praeſertim obligat. Euchariſtia, quae datur morientibus, recepto vocabulo nunc *viaticum* dici ſolet; licet in antiquis monumentis ἐφόδιον *viaticum* quidquid morientibus iter in alteram vitam munire poſſit, denotet. Albaſpin. *obſer. lib. I. cap.* 11. Datur autem euchariſtia infirmis, etſi in peccatis vixerint, modo ſaltem in infirmitate petant poenitentiam, conc. Carthag. IV. *can.* 76.; deſueta enim eſt vetus diſciplina, quae in fine quibuſdam peccatoribus etiam poenitentibus pacem, & multo magis euchariſtiam denegabat. Etiam non ieiuni periculoſo morbo laborantes euchariſtiam ſumunt, non vero ceteri infirmi, qui in diuturnis morbis pro pietate ſua caeleſti pane nutriri petunt. Vt vero euchariſtia pro infirmis praeſto ſit, ex antiquis moribus receptum eſt, vt in eccleſia conſeruaretur (*b*).

§.VII.

(b) Primis ſaeculis chriſtiani infirmi videntur ſumſiſſe euchari-

§.VII. Semel in baptiſmo ſumendae euchariſtiae quaeſitum ius, niſi ex publica cauſſa ſe indignos faciant, chriſtiani non amittunt. Hinc occulti peccatores, qui palam petunt, euchariſtia donari debent: at ſi clam petant, excludendi ſunt, modo miniſter extra confeſſionem eorum impietatem nouerit. V. Iuenin. *de ſacram. diſſ. IV. quaeſt. 6. cap. 7. art.* 2. Contra publici peccatores, etſi palam accedant, excluduntur, publicis enim peccatis ſe indignos reddiderunt. Itaque publici peccatores ante debent peccatis renuntiare, & publicae offenſioni per poenitentiam & alia bona opera ſatisfacere, & inde ad euchariſtiam admitti poſſunt. Verum in Hiſpania & Gallia reis vltimo ſupplicio damnatis etiam recte confeſſis hodie euchariſtia denegatur, quod veteris diſciplinae veſtigium eſt.

§.VIII. Quicumque in ſacris conuentibus euchariſtiam accipiebant, ſub vtraque ſpecie panis & vini id feciſſe in compertis eſt. V. card. Bona *rer. liturgic. lib. II. cap.* 18. Sacrificium duabus partibus conſtabat; hinc iuſtum viſum eſt, vt praeſentes omnes vtrimque participarent. Quin ad abſentes & infirmos aliquando ſub vtraque ſpecie euchariſtia miſſa eſt, Iuſtin. martyr. *apol. II.*, immo in aliquibus eccleſiis & corpus & ſanguis Chriſti in vſum infirmorum adſeruata ſunt. Optat. *lib. II.* Chryſoſt. *epiſt. ad Innocent. pontif.* Data eſt euchariſtia ſub vtraque ſpecie in Occidente per duodecim & amplius ſaecula: inde mos iſte ſenſim deſiit; & fortaſſe primum in

riſtiam, quam vel ſani in domum ſuam detuliſſent, vel presbyteri apud ſe in eum finem conſeruarent. Aliquando in priuatis aedibus, vbi infirmi erant, ad eos tanto ſacramento muniendos, conſecrata eſt. V. Bingh. *lib. XV. orig. eccleſ. cap.* 4. §. 10. Communior vero vſus poſt pacem eccleſiae datam fuit, vt in eccleſiis euchariſtia ſeruaretur: eamque multae eccleſiae ſeruabant in altari, cuius rei cauſſa alicubi ſuſpenſae erant columbae aureae, vel argenteae. Aliae vero eccleſiae habebant ad ſeruandam euchariſtiam turriculas quaſdam mobiles, quas vel prope altare in ſacrario, vel in ſecretario reponebant, vnde, quando opus erat, in altare deferebantur. V. Chardon. *in hiſtoria ſacramentorum lib. I. ſect. 3. cap.* 10.

in ecclesia Hierosolymitana peregrini, qui magno numero confluebant, sub panis tantum specie coeperunt eucharistiam accipere, quod Petrus de Marca obseruat. Sed Orientales adhuc perseuerant in antiquis institutis, accipiuntque paruo cochleari panis consecrati particulas sanguine perfusas.

§. IX. Porro veteri stante disciplina quotquot eucharistiam manducabant, vel in ecclesia, vel domi suae id facere solebant (c); nunc vero omnes exceptis infirmis in ecclesia eucharistiam comedunt. Sumebant vero christiani in ecclesia eucharistiam tempore communionis; participatio enim eucharistiae tamquam pars sacrificii, cui adstantes omnes communicare censentur, spectatur: & hinc non permisit vetus disciplina, vt eucharistiam in ecclesiis seruari consuetam extra synaxim sani sumerent. Et *consuetudo hodierna*, inquit Morinus *de administr. poenit. lib. VIII. cap.*14. *n.* 2., *corpus Christi propter fidelium communionem reseruandi, recens est, a monachis mendicantibus primum introducta, deinde ab aliis plerisque vsurpata:* idque contra ipsius missae oeconomiam & ecclesiae mentem.

§. X. Nec tantum christianis eucharistia cibus animae erat, verum etiam cum mortuis olim sepeliri consueuit: quod a S. Basilio ac S. Benedicto reapse factum *vitae Basilii* scriptor, quem Amphilochium dicunt, & Gregorius M. *lib. II. dial.*24. testantur. Et quamuis deinceps synodus Trullana *can.LXXXIII.* eucharistiam cum mortuis sepeliri vetuerit, tamen adhuc saeculo decimo secundo antistites apud Graecos cum eucharistia tumulabantur, quod Balsamon testatur *in cit. can. Trullan.* Sepulta autem videtur Balsamoni cum mortuis eucharistia ad auertendos malos daemones, & vt ea veluti viatico antistites

(c) Christiani in veteri disciplina non solum eucharistiam in ecclesia manducabant; sed eam ab antistite acceptam domum deferre solebant; vt diebus, quibus sacra synaxis non habebatur, caelesti alimonia nutriri possent: qui mos tempore persecutionum inualuit, & postea diu stetit. V. Card. Bona *rer. liturg. lib. II. cap.* 17. *n.* 4.

tes ad caelum deducerentur. Certe S. Benedictus ad quietem cadaueri procurandam, monachi corpus, pectori imposita eucharistia, sepeliri iussit.

CAPVT X.

De effectibus & necessitate eucharistiae.

§. I. IN eucharistia Christum ipsum veluti in cibum & potum christiani sumunt. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Ioan. *VI.* 56. Itaque fideles Christo per eucharistiam veluti incorporantur, & vitam spiritualem in Christo viuunt. Hinc eucharistia vberem gratiam elargitur, qua vita spiritualis christianorum fouetur. Et quemadmodum cibi corporales augent corporis vires, & deficientes continuo reparant; ita eucharistia auget vires vitae spiritualis, & contra futuros lapsus & diaboli tentationes munit & sustentat. Tum vero eucharistia nutrientem gratiam elargitur, si suscipientes satis probati eam comedant (*a*).

§. II. Probatio autem, quae eucharistiae praemittenda est, vel ad animam, vel corpus spectat. Et quod spectat ad animae probationem, qui grauiorum peccatorum rei sunt, etsi contriti sibi videantur, debent per poenitentiae sacramentum se ad eucharistiam disponere, praeterquam si sacerdotes, qui ex officio ad missae celebrationem

(a) Eucharistia cibi & potus instar est, ac proinde non operatur, nisi manducetur & bibatur. Ioan. *VI.* 55. Manducare autem & bibere homines censentur, si cibum & potum ore exceptum in stomachum traiiciant. Hinc damnatus ille mos, quo in Africa, Gallia & Graecia mortui eucharistia donabantur. Conc. Carthag. III. *can.* 7. Antissiodor. *can. XII.* Trull. *can. CXXXIII.* Et satis recens est, nec ratione aut auctoritate fulta deuotio illa, qua pro aliis eucharistia sumitur. Nat. Alexand. *theol. dogm. & moral. lib. II. tract. de eucharist. cap.* 3.

nem adstringuntur, necessitate ad celebrationem vrgeantur, & minister poenitentiae desit: quo casu non praemissa confessione licet celebrare, modo inde quamprimum confiteantur. Trident. *ses. XIII. cap.* 7. Sic per poenitentiae sacramentum a peccatis fideles soluti, porro curare debent, vt per bona opera in iustitia & caritate crescant, & ita demum ad panem angelorum accedant. Et certe non probant boni theologi, vt statim a confessione ad altare christiani procurrant, saltem si grandia aut impuritatis crimina admiserint. V. Iuenin. *de sacram. diss. IV. q.* 8. *cap.* 1. *art.* 1. Quae doctrina veteri disciplinae ad amussim conuenit: vetus enim ecclesia peccatores a peccatis solutos diu inter consistentes in solis precibus sine oblatione, atque ideo sine eucharistia, communicare faciebat.

§. III. Corporis probatio eucharistiae praemittenda in primis requirit, vt fideles saltem a media nocte proxime elapsa ieiuni sint, ita vt nihil cibi aut potus, nec ad instar medicinae, sumserint: quae regula ecclesiastica est, non a Christo profecta. Christus enim post paschale conuiuium apostolis praebuit eucharistiam: & ecclesia primis saeculis sacra mysteria post agapas, quae erant sacra conuiuia post vesperam agitari consueta, videtur celebrasse: quod Estius, Suicerus, Caueus aliique obseruant. Ieiunium eucharistiae praemitti coeptum est, vbi sacra mysteria ab agapis separata horis matutinis celebrata sunt: quae disciplina secundo saeculo iam inceperat vsurpari: quod ex Iustino martyre *apolog. II.* constat. Et decebat quidem christianos omnino ieiunos eucharistiam sumere: quod omnium primum de regno Dei solliciti esse debemus. Quod si Christus apostolis eucharistiam post coenam dederit, id fecit, non vt inde ecclesia regulam sumeret, sed quod ita redemtionis nostrae oeconomia postulabat. Verum eucharistia in viaticum infirmis etiam non ieiunis datur. Porro christiani eucharistiam manducaturi corpore ab aliquo tempore casti & ab omni carnis impuritate etiam licita puri esse debent. V. Iuenin. *de sacram. diss. IV. q.* 7. *cap.* 1. *art.* 2. §. 2.

§. IV. Explorati iuris est, eucharistiam ad salutem absoluta necessitate non requiri, ita vt sine eius vera sum-

ſumtione nemo vitam aeternam conſequi poſſit. Dogma enim fidei eſt, hominem, ſtatim a baptiſmo vita exeuntem, caeleſtis gloriae participem fieri: item certum eſt, ſolo baptiſmi deſiderio vitam aeternam homines conſequi, vbi baptiſmi copia non eſt. Hinc verba Chriſti apud Ioan. *VI.* 44., quibus vita aeterna denegatur chriſtianis, niſi manducauerint carnem filii hominis, & biberint eius ſanguinem; ex patrum ſententia myſticam euchariſtiae perceptionem, quae in baptiſmo obtinetur, veluti medium ſalutis proponunt, non euchariſtiae veram ſumtionem tamquam omnino neceſſariam indicunt. Nat. Alexand. *theol. dogm. & moral. lib. II. tract. de euchariſt. cap.* 1.

§. V. Quamuis autem vera euchariſtiae perceptio abſolute neceſſaria non ſit; tamen ex diuino & eccleſiaſtico praecepto fideles omnes, qui ratione vtuntur, ad eius ſumtionem obligantur. Et quod ſpectat ad diuinum praeceptum, ipſe Chriſtus, qui euchariſtiam inſtituit, eius ſumtionem praecepit. Luc. *XXII.* 19. Satisfaciunt vero huic diuino praecepto laici & clerici non ſacrificantes, ſi corpus Chriſti tantum ſumant; nullum enim exſtat diuinum praeceptum, quo non ſacrificantes ad ambarum ſpecierum ſumtionem compellantur. Trident. *ſeſſ. XXI. cap.* 1. Et certe per ſummam iniuriam adfirmant recentiores haeretici, eccleſiam Romanam errare, & grandis ſacrilegii ream eſſe, quod euchariſtiae ſymbola diuiſerit, & laicis vſum calicis ſubtraxerit (b). Quod ſi vetus eccleſia ſub vtraque

(b) Multis probant theologi, nullum eſſe diuinum praeceptum, quo chriſtiani omnes ad vtramque euchariſtiae ſpeciem obligentur; in quam ſententiam nos pauca ex antiquitate referemus. In primis chriſtiani ſolam panis ſpeciem in domum ſuam detulerunt. Card. Bona *rer. liturgic. lib. II. cap.* 17. *n.* 4. Item ad infirmos modo ſub vna panis ſpecie, modo ſub vtraque euchariſtia delata eſt. Chardon. *in hiſtor. ſacrament. lib. I. ſect.* 3. *cap.* 5. *art.* 2. Porro in miſſa praeſanctificatorum in vtraque eccleſia euchariſtia in ſolo pane data eſt: & ſi corpus Chriſti in vini non conſecrati calicem iniectum ſit, communio ſub vtraque ſpecie dicenda non eſt; nam per contactum ſpecies non conſecrantur.

vtraque specie christianis omnibus in sacris conuentibus eucharistiam dederit ; id non erat ex diuino praecepto, sed ad disciplinam pertinebat, quod peculiari opere Bossuetius illustrat.

§. VI. Iam vero non semel, sed saepius in vita ex diuino praecepto adulti obligantur ad eucharistiam suscipiendam. Est quidem eucharistia animae cibus: vita vero spiritualis saepe indiget cibo, quo sustentetur, & paullatim deperditae vires reparentur. Hinc primis saeculis christiani, quorum erat cor vnum & anima vna, quotidie eucharistiam manducabant: quod cardinalis Bona *rerum liturgicar. lib.II.cap.17.* Grancolas *in veteri sacramentario par.I.* aliique multi demonstrarunt. Quotquot enim sacris mysteriis intererant, eucharistiam sumebant, & porro eam in domum deferebant, vt quibus diebus sacra synaxis non fieret, domi suae possent Christi corpus manducare. V. card. Bona *loc. cit. n.4.* Vigebat initio quinti saeculi Romae & in Hispania quotidiana communio, quod Hieronymus *ep. L. ad Pammach.* testatur. Et Augustinus *ep. CXVIII. ad Ianuar.* refert, varias in Africa fuisse de quotidiana communione sententias, nec, cui ipse adhaeret, declarat. Ceterum vbi ecclesiae pax data est, caritas paullatim deferbuit, atque ita sensim frequens eucharistiae sumtio desueuit: qui mores saeculo sexto in plerisque ecclesiis obtinebant.

§. VII. Quando autem rarior facta est eucharistiae communio, locus esse potuit ecclesiastico de ea sumenda praecepto, quo ius diuinum restituebatur. Saeculo sexto synodus Agathensis *can.XVIII.* & Turonensis III. *can. L.* saeculo nono laicos ter per annum eucharistiam sumere praecipiunt, in natali domini, pascha & pentecoste. Sed saeculo decimo & sequenti tantum non omnino lapsa pietate, nec stare potuit praeceptum, quod ter in anno sumendam praecipiebat eucharistiam. Hinc in synodo Lateranensi IV. decretum est, vt omnis vtriusque sexus ratione vtens semel saltem quotannis proprio sacerdoti peccata sua confiteatur, & ad minus in pascha sacramentum eucharistiae suscipiat, alias excommunicetur, *cap. 12. ex. de poenitent. & remissionibus:* quam regulam inde Tridentini patres *sess.XIII. de eucharist. can.9.* con-

firmarunt. Itaque ecclesiastico praecepto satisfacit, qui saltem paschali tempore in propria paroecia, aut in ecclesia cathedrali, aut de proprii pastoris venia in alia ecclesia eucharistiam manducat. At interim exoptat ecclesia, vt fideles frequenter ad sacram mensam accedant. Trident. *sess. XIII. cap.* 8.

CAPVT XI.

De missarum celebratione.

§. I. Nomen *missa* non Hebraicum, nec Germanicae originis, sed Latinum est, a mittendo seu dimittendo populo factum; atque adeo missa eadem est ac missio siue dimissio, quod cardinalis Bona *rer. liturgic. lib. I. cap.* 1. multis probat. Nimirum dum sacri conuentus celebrabantur, variae fiebant dimissiones, quibus quotquot morari amplius non poterant, vel fideles omnes dimittebantur, a quibus dimissionibus integro officio *missae* nomen inditum est. Et quoniam omnibus sacris officiis finitis fiebant dimissiones, hinc officia omnia in ecclesiis celebrata *missae* dicebantur: & hinc *missae matutinae* & *vespertinae* erant matutini & vespertini conuentus. Sed Graeci omnia sacra officia vocant λειτουργίας, quasi publica ministeria. Verum posteriore aetate *missae* nomen admodum restrictum est: recepta enim notione fere tantum denotat integram eucharistici sacrificii celebrationem, quo sensu de missa deinceps agemus.

§. II. Officium eucharisticum certo precum ordine semper in ecclesia celebratum est (*a*), in quibus verba Christi eu-

---

(a) Sed quaenam primitus fuerint preces istae verbis Christi additae, plane non constat; quamuis certum videatur, earum ordinem fuisse simplicem, nec adeo longum. Certe saeculo secundo liturgia erat simplicissima, teste Iustino martyre *apol. II.* Collectis vndique die dominico christianis, primum legebantur scri-

euchariſtiam inſtituentis principem locum obtinebant; ſed non vno & perpetuo in omnibus eccleſiis ritu. Hinc epiſcoporum auctoritate variae exortae liturgiae: quales apud Graecos liturgiae S. Baſilio & Chryſoſtomo tributae. In Occidente ſenſim vnius prouinciae eccleſiae ad ordinem eccleſiae metropolitanae ſe conformarunt, conc. Agath. *can. XXX.* Tolet. v. *can.*2., quod ſane aequum erat ad precum vnitatem inducendam. Inde imperio Occidentis in plura regna diſſecto, ortae ſunt liturgiae ſingulis nationibus peculiares, quales Gallicana & Hiſpanica, quam *Mozorabicam* appellant (*b*). In Italia erant liturgiae Romana & Ambroſiana, quarum iſta Mediolanenſis eccleſia, illa Romana & inde pendentes eccleſiae vtebantur. Sed tandem ferme omnes Occidentis eccleſiae inſtantia & opera Romanorum pontificum, qui ſemper muneris ſui eſſe crediderunt, eccleſiae ſuae ritus longe lateque diffundere, proprias liturgias reliquerunt, & vario tempore Romanam amplexae ſunt (*c*). Adhuc tamen

ſcripturae, deinceps habebatur ſermo, ſequebantur communes preces, fiebant panis & vini oblationes, oblata conſecrabantur, inde cuique praeſenti diſtribuebantur, abſentibus vero mittebantur per diaconos. Cui ordini ſi conferantur liturgiae, quae Iacobi, Matthaei & Marci nomen praeferunt, facile apparebit, eas apocryphas eſſe; adeo a Iuſtini ſimplicitate diſtant. V. Nicol. de Nourry *appar. ad biblioth. maximam veter. patrum diſſ. II. cap.* 2.

(b) Occupata ab Arabibus Hiſpania, chriſtiani, quod eſſent Arabibus permiſti, *Miſtarabes*, & corrupta voce *Mozorabes* audierunt.

(c) Romana liturgia non ſemper eadem fuit. Poſtquam ſedes apoſtolica negotiorum multitudine obruta eſt, duplex in vrbe fuit diuini officii modus, vnus breuior, quo Romana curia, ſiue capella pontificis, vtebatur, alter prolixior pro ceteris eccleſiis vrbis, qui proprie *Romanus ritus* dicebatur. Ex his duobus officiis fratres minores officium curiae amplexi ſunt. Et Nicolaus III. mandauit, vt eccleſiae vrbis *vterentur libris & breuiariis fratrum minorum*, & inde libri liturgici Franciſcani fuerunt. Conf. card. Bona *rer. liturgic. lib.I. cap.*7. *n.*7.

men pristinae disciplinae supersunt reliquiae, nam ecclesia Mediolanensis retinet ritum Ambrosianum, & aliquot ecclesiae Hispanicae vsurpant Mozorabicum.

§. III. Quaecumque vero fuerint veteres liturgiae, illud certum est, illas, vt reliqua omnia diuina officia, lingua vulgari & cuiusque gentis propria fuisse celebratas, quod ex Origene *lib.VIII. contra Celsum*, Cassiodoro *in psalm.XLIV.* aliisque multis veteribus monumentis constat. Sane diuina omnia officia ad hominum institutionem & pietatem fouendam pertinent; ac proinde lingua, quae esset omnibus nota, debuerunt celebrari. Primus Gregorius VII. saeculo vndecimo videtur prohibuisse, vt ecclesiastica officia lingua vulgari fierent, quod Fleuryus *lib. LXIII. hist. eccles. n.* 8. obseruat. Id autem factum tradunt, vt maior sacris officiis accederet veneratio, & ne ex frequenti linguarum mutatione sententiae ipsae mutarentur. Sed recte Fleuryus *disc. III. in hist. eccles. n.* 24. monet, ecclesiastica officia & veram religionem eo magis aestimari, quo melius cognoscuntur & intelliguntur. Et deinde vbi diligentia adhibetur, integrae sententiae in nouas linguas recte possunt transferri, dum interim diligenter autographa adseruantur, quo ad eorum fidem versiones possint expendi.

§. IV. Missa proprie sic dicta duas ex veteri disciplina continet partes, quarum prima *missa catechumenorum*, altera *missa fidelium* appellatur. Missa catechumenorum preces omnes ante oblationem complectebatur, veluti psalmodiam, scripturarum lectionem, praedicationem & preces pro catechumenis, poenitentibus & energumenis fieri solitas. Huic missae vsque ad praedicationem omnes, etiam ethnici, poterant interesse, conc. Carthag.VI. *can.* 84., sed praedicatione finita audientes mittebantur; & inde fiebant preces pro catechumenis, poenitentibus & energumenis, qui precibus finitis ordine suo etiam dimittebantur. A catechumenis haec missa nomen videtur accepisse, quod maior fuerit catechumenorum, quam poenitentium numerus: quod Vicecomes *lib.VI. de missae ritibus cap.* 1. docet. Missa fidelium incipiebat ab oblatione, & preces omnes vsque ad finem complectebatur: & in ea solis christianis, qui in precibus, vel in precibus

bus simul & oblatione communicabant, licebat interesse. Hinc antequam inciperet, clamabat diaconus, *alii alios noscite*. Chrysost. *hom. I. contra Iudaeos*. Verum in noua disciplina nulla est sollemnitas missae catechumenorum, vbi enim nulli ferme fuerunt infideles, & baptismi & poenitentiae mutata est disciplina, qui vsus esse poterat missae catechumenorum?

§. V. Porro missa alia est *publica*, alia *priuata*. Publica missa apud veteres ea praesertim erat, ad quam populus cum suo pastore conueniebat, & in precibus & oblatione communicabat, clerici vero adstabant concelebrantes, & suorum ordinum officia exercentes (*d*). Hinc missa haec *collecta* & *synaxis* veteribus dicebatur, quod fideles colligerentur ad offerendum, & in precibus & eucharistia communicandum. Et certe totus missae ordo populum praesentem & communicantem supponit. Sed labentibus annis quum populus plane desiisset frequenter eucharistiam sumere, missa publica seu *conuentualis* & *canonica* ea dicta est, quae cum cantu & caerimoniarum apparatu celebratur, quamuis nemo aut pauci ex fidelibus ad sacram mensam accedant.

§. VI. Priuata missa ea est, quae sine cantu & caerimoniarum apparatu a solo sacerdote celebratur, vno dumtaxat ministrante, siue pauci alii, siue nulli intersint, siue solus sacerdos, siue alii etiam eucharistiam sumant

(d) Nimirum non tantum clerici missae praesentes erant, sui ordinis munia implentes; verum etiam presbyteri celebranti adhaerebant & concelebrabant, & eiusdem sacrificii participes erant: quem ritum late adstruit Morinus *de sacris ordinationib. par. III. exercit.* 8. *cap.* 1. Certe apostolicae sic dictae constitutiones *lib. VIII. cap.* 11. *seqq.* episcopum sistunt sacris operantem cum presbyteris circumstantibus, offerentibus & communicantibus. Concelebrantes autem presbyteri etiam mystica consecrationis verba proferebant, quod aperte tradit Amalarius *lib. I. de offic. cap.* 12. Apud Graecos adhuc viget concelebratio, sed apud Latinos iamdiu desiit, tantumque eius vestigia in missa, qua ordinantur episcopi & presbyteri, supersunt.

mant (e). Priuatae missae perpetuus vsus in ecclesia fuit, quod probat cardinalis Bona *rer. liturgic. lib. I. cap.* 14., vt proinde haeretici recentiores non recte eam veluti novam & contra missae oeconomiam traducant. Illud tamen verum est, in noua disciplina in immensum numerum creuisse priuatas missas: qui mos inualuit, postquam frequens populi eucharistica communio desueuit, & fideles coeperunt sacerdotibus stipendia offerre, vt pro singulis sacrificium facerent: ex quo etiam originem habuerunt tot legata missarum celebrandarum. Verum etiam hodie exoptat ecclesia, vt fideles, qui missae intersunt, vere eucharistiam sumant. Trident. *sess.XXII. de sacr. missae cap. 6.* Et certe parum conuenit cum missae oeconomia mos ille, qui fidelium adstantium communionem post missam reiecit.

§. VII. Iam missa stricte sic dicta continet proprium & verum christianae religionis sacrificium, quod dogma fidei est. V. Iuenin. *de sacram. diss. V. q.* 1. *cap.* 2. *&* 3. Soli Deo, non angelis & sanctis missae sacrificium offertur; ad cultum enim vni Deo debitum, qui Graece λατρεια dicitur, sacrificiorum oblatio pertinet. Deo autem offertur pro omnibus hominibus etiam ethnicis & excommunicatis; praesertim vero offertur pro viuis fidelibus

(e) Distat autem a missa priuata *missa solitaria*, quam nemine ministrante &. praesente sacerdos vnus idemque celebrat. Id missae genus octauo saeculo a monachis inuentum est, vt in suis solitariis cellis propriae deuotioni, seu simplicitati satisfacerent, tum reliqui saeculares presbyteri siue ignorantia, siue auaritia adripueruut. Sane solitaria missa omnino aduersatur missae oeconomiae: & hinc sacri canones missas solitarias statim inuentas prorsus eliminarunt, quod absurdum erat, sacerdotem, qui solus celebrabat, dicere, *dominus vobiscum*, *sursum corda*, *gratias agamus*, *oremus*. Conc. Paris. vi. *lib.* 1. *cap.* 48. Nannat. *ap. Iuon. par. III. cap.* 7. Et inuitis profecto sacris canonibus Petrus Damianus missas solitarias veluti probas adseruit satis mystica ratione, quod ecclesia est vna in multis, & tota in singulis, atque ideo solitarios dicentes *dominus vobiscum*, vniuersam ecclesiam salutare.

libus, & pro mortuis in domino, sed non plene expiatis (f). Prodest vero sacrificium missae iis, pro quibus offertur, ad peccatorum remissionem, & ad alia, quorum indigent, bona, sed quatenus per fidem & propriam dispositionem capaces sunt; nam sacrificium missae, effectum quod spectat, infiniti valoris non est. *Non enim*, inquit Petrus Soto *de sacrif. missae lect. VII.*, *quantum celebrans intendit, aut vult, consequitur is, pro quo celebrat, sed quantum sua fides & deuotio digna vel capax est*. Sed haec potius theologorum sunt.

§. VIII. Iam vero generalis in ecclesia mos obtinuit, vt finita catechumenorum missa fideles ad altare panem & vinum offerrent. V. card. Bona *rerum liturgic. lib. I. cap.* 23. (g). Receptis oblationibus nomina offerentium per diaconos ab altari solebant recitari. Hieronym. *in Ierem. XI. lib.* 2. Non omnes tamen christiani ad altare offerre tenebantur, sed tantum qui poterant, & diuites erant, Cyprian. *de operib. & eleemosyna*: & praeterea reiiciebantur oblationes eorum, qui in eucharistia non communicabant, quorum numero erant poenitentes *consistentes* dicti, vtpote qui in precibus sine oblatione communicabant. Ex his oblationibus panis & vinum ad eucharistiam desumebantur, quod multis tradit mox laudatus

(f) Immo & pro sanctis in caelo regnantibus sacrificia de veteri more offeruntur. Sed pro sanctis oblata sacrificia sunt laudes & gratiarum actiones in Deum, qui sanctos illos coronauit. *Iniuria est*, inquit Augustinus *serm. XVII. de verbis apostoli*, *pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari*. Ceterum in veteri disciplina non semper in gratiarum actionem pro mortuis in domino oblata sunt sacrificia, sed aliquoties, vt citius in resurrectione partem haberent; etenim non adhuc omnium dogmatum nostrorum detecta veritate, aliqui opinionem de milliarensi regno Christi in terris ante diem iudicii fouebant, in quo fidelium alii citius, alii tardius, prout vixerant, resurgere & partem habere credebantur.

(g) Nouae quoque spicae & vuae ad altare offerebantur, *can. IV. apostol.*, & tempore baptismatis etiam lac & mel, quae neophytis dabantur degustanda, *can. XXXVII. C. Afric.*

cardinalis Bona *loc. cit. n.* 13., reliquum vero alendis clericis & pauperibus inseruiebat.

§. IX. Sollemnes ad altare panis & vini oblationes diu factae sunt; at vbi apud Latinos panis azymus ad eucharistiam adhibitus est, qui a clericis parabatur, desierunt; earumque loco farina, vnde panis eucharisticus fieret, oblata est: immo paullo post nummi oblati sunt: quod Honorius Augustodunensis *in gemma animae cap. LVIII.*, qui saeculo decimo secundo medio scribebat, aperte testatur. Verum nummi in pauperum aut sacrificii vsum cedebant, quod expresse Augustodunensis addit. Constat quoque ex Petro Damiano *lib. V. epist.* 13. turpe tum fuisse, sacerdotes in vsum proprium vertere pecuniam oblatam. Sed haec puritas non diu stetit, & sacerdotes acceptos nummos in vsum proprium verterunt, praesertim quando in locum oblationum successisse videbantur. Atque ex hac pecunia originem habet hodiernum missae honorarium, seu stipendium, quod & ante & post missam offerri potest: quodque si piae oblationis & eleemosynae loco sit, sine vitio a sacerdotibus accipitur. Sed de honorario missae consulendus Espenius *par. II. tit.* 5. *cap.* 5. *& seq.*

§. X. Receptis missarum stipendiis vna inualuit, vt missae pro singulis speciatim offerrentur, earumque exuberans fructus vni offerenti stipendium priuatim prodesset. Veteri stante disciplina vni sacrificio fideles intererant, offerebant, & in commune participabant, illudque pro omni & ab omni ecclesia offerebatur, nec vllus fidelium diffidebat, ne sua meritorum portio minueretur, si alii, si complures accederent; oblata enim hostia inexhaustum gratiarum fontem continebat, quod Thomassinus *de vet. & noua eccles. disciplina par. III. lib.* 1. *cap.* 71. *n.* 8. obseruat. At labentibus annis vbi desueuerunt ad altare oblationes, & stipendia missarum recepta sunt, sic missae offerri consueuerunt, vt earum potior fructus vni offerenti stipendium cederet. Hinc tot missarum legata & anniuersaria, hinc missarum priuatarum numerus immane quantum excreuit: hinc desiit apud Latinos concelebratio. Verum non ex eo quod passim missae pro singulis offerantur, idcirco non omnibus prosunt: etenim etiam hodie pro to-

ta

ta ecclesia sacrificium offertur, etsi sacerdos speciatim pro vno celebret, quod Tridentini patres *sess. XXII. cap. 6.* docent: tantum ille, pro quo speciatim offertur, vberiorem fructum capit, modo sacrificii fructus capax sit.

§. XI. Quamuis autem etiam in noua disciplina missae, quae speciatim pro vno celebrantur, toti ecclesiae prosint; tamen tenentur sacerdotes pro eo speciatim sacris operari, a quo eleemosynam acceperunt; nec licet pro pluribus missis stipendia accipere & missam vnam celebrare. Fidem enim suam adstringunt sacerdotes, vt pro vno missam offerant, nec licet venire contra pacta: & deinde damnanda est sacerdotum auaritia, qui facile in quaestum missae celebrationem verterent, si pro pluribus stipendiis vnam missam liceret celebrare. Et merito Alexander VII. eam damnauit sententiam, quae ferebat, nec contra iustitiam, nec contra fidelitatem esse *pro pluribus sacrificiis stipendium accipere & sacrificium vnum offerre*. Hinc obligatus ad missae celebrationem ratione beneficii aut capellaniae, non potest pro eadem missa eleemosynam accipere, quod sacra congregatio declarauit. Quod si missarum numerus adeo excreuerit, vt non omnes possint celebrari, aut si reditus earum stipendiis addicti deminuti sint, potest ecclesia numerum missarum moderari, aut eas ad receptam taxationem reducere. V. Espen. *par. II. tit. 5. cap. 7.*

§. XII. Iam ex praecepto ecclesiae tenentur christiani diebus dominicis & festis missae interesse. Missa autem, cui christiani debent interesse, est publica, quae in propria paroecia celebratur; haec enim eo spectat, vt fideles pastori adhaereant suo, atque vno ore & spiritu Deum precentur; parochus vero pro grege sibi commisso sacrificium offerat. Hinc statuunt canones, vt *nullus presbyter alterius parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum*, hoc est litem, *ibi habuerit, ad missam recipiat*. Conc. Nannat. *can. V.* Stetit haec obligatio integra ad saeculum decimum tertium, at deinceps opera praesertim mendicantium laxata est; hi enim docere coeperunt, per priuilegia suis ordinibus concessa iuri, quod sacra parochialia frequentare iubet, fuisse derogatum: qua de re (quod merito mireris) controuersiam in Germania

nia

nia quibusdam episcopis & parochis fecerunt. Et quamvis victores in lite non fuerint, *extrauag.2. de tregua & pace inter communes*, tamen sententiam non deposuerunt: & hinc apertis mendicantium ecclesiis vix erat, vt obligatio audiendae missae parochialis suis viribus consisteret. Quo factum, vt fideles non amplius cogantur diebus dominicis & festis ad missam parochialem. Interim Tridentini patres *sess.XXII. in decr. de celebrat. missae* docent, monendum esse fidelem populum, *vt frequenter ad suas parochias saltem dominicis & maioribus festis accedat*.

§. XIII. Primis ecclesiae saeculis non omni die mysteria sacra fiebant. Solius diei dominicae Paullus apostolus 1. *ad Cor. XVI.* & Iustinus martyr *apol. II.* meminerunt. Sed inde pace ecclesiae data etiam aliis per hebdomadam diebus missa celebrata est, quamuis non eadem vbique disciplina fuerit. *Alibi*, inquit Augustinus *epist. CXVIII. ad Ianuarium*, *nullum diem praetermissum, quo non offerretur, alibi sabbato tantum & dominico, alibi tantum dominico*. Sed iamdiu obtinet apud Latinos, vt omnibus diebus praeter feriam sextam & sabbatum maioris hebdomadis sacra mysteria fiant. Graeci vero non celebrant per quadragesimam, exceptis sabbatis, dominicis & festo Annuntiationis: ieiunium enim cum celebratione eucharistiae, quae laetitiam christianis ingerit, non bene conuenire putant. Quibus vero diebus Graeci non celebrant, adhibent missam *praesanctificatorum*, hoc est corporis Christi ante consecrati, qua etiam Latini feria sexta maioris hebdomadis vtuntur.

§. XIV. Diebus liturgicis vno eodemque die idem sacerdos plures missas celebrabat, idque vel quia fideles erant, qui missae non interfuerant, vel quia idem presbyter duas ecclesias regebat, vel quia eodem die plura occurrebant officia, vel festa, quod cardinalis Bona *rer. liturgic. lib.I. cap.18.* & Martene *de sacr. ecclesf. ritib. lib. I. cap. 3. art. 3.* pluribus probant. Ita in natali Domini, calendis Ianuarii, in coena domini, in pascha, in rogationibus, in ieiuniis post pentecosten, in festo apostolorum Petri & Paulli, S. Ioannis Baptistae, S. Laurentii aliorumque nonnullorum plures missae, & quidem ab eodem sacerdote fiebant, quot nempe erant officia,

vel festa, quae in diebus occurrebant. Immo etiam pro arbitrio sacerdotum olim plures missas licebat celebrare, quod Walfridus Strabo *cap. XXI.* testatur. Sed tandem decimo secundo saeculo plures eodem die ab vno sacerdote missas celebrari interdictum est, *can.* 53. *D.* 1. *de consecratione*, *cap.* 3. *ex. de celebr. missarum*, die natiuitatis domini, casu necessitatis aliisque paucis speciebus exceptis; vbi enim missarum stipendia inducta sunt, ad turpem quaestum numero missarum mali sacerdotes abutebantur, nec amplius necesse erat, vnum sacerdotem pluries sacris operari, quando singuli sacerdotes seorsum celebrabant.

§. XV. Celebrari autem debet sacra liturgia in ecclesiis consecratis, aut saltem iussu episcopi benedictis. Quod si necessitas sacra mysteria in ecclesia fieri non permittat, quouis commodo & decenti loco recte celebrantur. Hinc vbi in christianos persecutiones insaeuiebant, *ager*, *solitudo*, *nauis*, *stabulum*, *carcer instar templi*, *ad sacros conuentus peragendos*, *fuit*, quod Dionysius Alexandrinus *ap. Euseb. lib. VII. cap.* 22. testatur. Praeter regulam quoque in priuatis sacellis sacra mysteria celebrantur, *can.* 35. *D.*1. *de consecr.* Sunt priuata sacella aedes sacrae, quae ordinarium populi conuentum non habent: quin passim nobiles priuilegiis obtinuerunt domi suae sacella, in quibus missae celebrarentur (*h*).

§. XVI. Quod vero spectat ad tempus missae celebrandae, vbi primum ecclesia pacem accepit, certa hora diei naturalis missae faciendae dicta est (*i*); & quidem diebus

(h) Nec tantum in sacellis domi constitutis permissa est missae celebratio; verum etiam pontifices & episcopi mendicantibus & saecularibus presbyteris saepe dederunt, vt quouis loco in altari mobili sacrificium offerrent. Sed tandem Tridentini patres *sess. XXII. decr. de celebr. missae* altaria mobilia omnino sustulerunt.

(i) Tempore apostolorum eucharistia post vesperam solebat celebrari, adhaerebat enim agapis, quae noctu agitabantur. Sed inde quum agapae sine eucharistia celebrari coeptae sint, missae & noctis tempore & claro die celebratae sunt, prout ab inimicorum insidiis licebat christianis conuenire. Tertull. *de cor. cap. III.*

bus dominicis & festis hora tertia matutina, diebus ieiuniorum per annum nona, in ieiuniis vero quadragesimae vespertina. V. card. Bona *rer. liturgic. lib. I. cap.* 21. Ieiunium enim & luctus stare non poterant cum laetitia, qua per eucharistiae celebrationem & sumtionem christiani perfundebantur: & hinc in diebus ieiuniorum eucharistiae celebratio ad horam, qua ieiunia soluebantur, dilata est. Et certis temporibus etiam missae noctu celebratae sunt, veluti in nocte natalis domini, in vigiliis paschae & pentecostes, & in diebus ordinationum. Sed temporis lapsu ieiuniorum desueta disciplina, tantum vestigia quaedam antiquitatis in sollemnis missae celebratione supersunt; etenim missa publica siue sollemnis in diebus festis duplicibus & semiduplicibus, in dominicis & infra octauas dicta in choro hora tertia, in festis simplicibus & feriis per annum dicta sexta, in aduentu & in diebus ieiunii dicta nona celebratur. Missa vero priuata ab aurora ad meridiem recte celebratur. Et ex missis nocturnis ferme sola missa natalis domini superest.

§. XVII. Vt vero hanc de celebratione missarum tractationem absoluamus, de agapis aliquid dicere oportet. Erant *agapae* conuiuia sacra caritatis, amoris & religionis plena, quae christiani expensis diuitum inter se mutuo in ecclesiis agitabant: nomenque sortitae sunt ab amore & caritate, qua christiani se mutuo complectebantur. Tertull. *apol. cap. XXXIX.* Agitabant autem christiani agapas vespere, easque sequebatur eucharistia, idque ad insigniorem passionis dominicae commemorationem: quod Estius *in* 1. *ad Cor. XI.* Suicerus *thes. eccles. v.* ἀγάπη aliique docent. Sed deinceps ab agapis separata est eucharistia (*k*), quae propterea in sacris matutinis celebrari coepit. Immo labentibus annis ipsae agapae omnino abrogatae sunt. Nimirum data ecclesiae pace in luxus

---

(k) Separata ab agapis est eucharistia in multis locis ob severa imperatorum ethnicorum edicta, quibus *hetaeriae*, hoc est conuiuia & sodalitates vetabantur, *L.* 1. *pr. D. de colleg. & corporibus*. Ipsi etiam christiani aucti numero & a primaeua caritate in diem deficientes, sensim agapas celebrare desierunt.

luxus & ebrietates versae sunt, & hinc varii canones agapas in ecclesiis celebrari vetuerunt. Conc. Laodic. *can.XXVIII.* Carthag III. *can.* 30. Trull. *can. LXXIV.*

C A P V T XII.

De sacramento poenitentiae, & primum de materia.

§. I. POEnitentia propter Deum, in quem peccatum est, suscepta, & virtus & sacramentum apud christianos est. Virtus poenitentia est, si homo se ad Deum conuertit, peccata commissa detestatur, plangit, punit, & deinceps se non peccaturum serio proponit. Sic accepta poenitentia ad peccatorum veniam a Deo impetrandam omni tempore homini necessaria fuit, Trident. *sess. XIV. cap.* I.: etenim secundum diuinae iustitiae oeconomiam Deus peccatori non parcit, nisi prauae voluntati renuntiet, & poenas peccato debitas sponte subeat. Vt vero poenitentiae virtute peccata expientur, dolor & contritio malitiam peccatorum saltem aequare debet; morbis enim exstirpandis maior, aut saltem par vis medicamentorum esse debet: idque ex lege naturae, quae veluti talionis poenam criminibus proponit.

§. II. Sed apud christianos poenitentia est etiam sacramentum, quo corde dolentibus, confessis & poenas peccatis debitas luentibus peccata post baptismum admissa per sacerdotis absolutionem remittuntur (*a*). Ergo sacra-

(a) Pluribus nominibus sacramentum poenitentiae appellatur: quae nomina desumta sunt vel ab vna ex eius partibus, vel a ritu, quo administrabatur, vel ab effectu. Ita appellatur *confessionis* sacramentum a peccatorum confessione, quae sacerdoti facienda est: *manuum impositio* ab externa caerimonia, qua administrari consueuerat: & vt ab aliis manuum impositionibus distingueretur, saepe dicitur *manuum impositio reconciliatoria*. Conc.

cramentum poenitentiae virtutem poenitentiae continet, & praeterea habet peccatorum confessionem & sacerdotis absolutionem. Nimirum Christus abundans in misericordia christianis, qui post regenerationem labuntur, nouo sacramento succurrere voluit, vt ita facilius deperditam gratiam recuperarent: ardua enim prorsus est virtus poenitentiae, quae ad eluenda peccata sufficiat: & quae auxilia in sacramentis dantur, robustiora & perfectiora sunt, quam quae sunt ex opere operantis. Sacramentum vero poenitentiae Christus praecipue instituit, quum alias promissam post resurrectionem apostolis reapse dedit remittendorum & retinendorum peccatorum potestatem. Ioan. *XX.* 21. *seq.*

§.III. Potestas autem ecclesiae, quae per poenitentiae sacramentum peccata dimittit, generalis est; nec profecto peccatum vllum licet inuenire, cuius dimittendi potestatem ecclesiae suae Christus non fecerit: quae est catholica doctrina. Sane sine vlla exceptione ligandi & solvendi potestatem apostolis suis Christus demandauit, Ioan. *XX.* 23.: & reapse apostoli etiam grauissimis sceleribus veniam indulserunt, 1. *ad Cor.II.* 10. Clemens Alexadr. *ap. Euseb. lib. III. cap.*17. Errarunt itaque Montanistae & Nouatiani, qui docebant, ad peccata grauiora dimittenda nullum ecclesiae ius esse (*b*). Et si peccato in Spiritum

Conc. Arausic. 1. *can.* 3. Ab effectu vero dicitur *absolutio*, *reconciliatio*, *communio*, *pax*, quia per poenitentiam fideles a vinculis peccatorum soluti in pacem & ecclesiae communionem restituebantur.

(b) Quamuis autem omnium peccatorum dimittendorum potestate ecclesia aucta sit; tamen in plerisque Occidentalibus ecclesiis fortasse post saeculi secundi medietatem inualuit, vt grauioribus criminibus pax & venia etiam in exitu denegaretur, idque etsi peccatorum admissorum reos poeniteret, quod Petavius, Sirmondus, Albaspinaeus aliique pluribus probant. Ea crimina praesertim erant idololatria, homicidium & adulterium, quibus ecclesias Romanam & Africanam etiam in fine absolutionem denegasse Tertullianus *de pudic. cap. V. VI. IX. & vlt.* testatur. Item ecclesia Hispaniensis negabat etiam *in fine*

ritum sanctum numquam venia conceditur, Matth. *XII.* 31., id fit, non quod ecclesia remittendi potestate destituatur; sed quia deficit in homine poenitentia & recipiendae veniae apta conditio; peccatum enim in Spiritum sanctum ex receptiore sententia in peruersitate & obstinatione animi in aliquo crimine vsque ad mortem consistit, quo fit, vt in Spiritum sanctum peccantes impoenitentes moriantur. Bingh. *orig. eccles. lib.XVI. cap.*7. §.3.

§.IV.

---

fine communionem, hoc est absolutionem, idololatris, lenonibus, puerorum stupratoribus, fratrum delatoribus aliisque peccatoribus, qui vno crimine duo aut plura scelera patrarent, aut vnum grande crimen admitterent. Conc. Illiber. *can. XII. LXXI. LXXIII.* V. Bingh. *orig. eccles. lib. XVIII. cap.* 4. §.4. Porro in exitu denegabatur venia iis, qui in quolibet peccato mortali consenuerant, nec nisi in summis vitae angustiis poenitentiam petebant. Cyprian. *ep. LII. ad Antonian.* Carebant quoque venia, qui post actam publicam de criminibus poenitentiam iterum eadem vel alia grandia crimina admitterent, Ambros. *lib. II. de poenit. cap.* 10. August. *ep. LIV. ad Macedonium*; rei vltimo supplicio damnati; & episcopi, qui ambitione ducti ab vna ad alteram ecclesiam transibant. Conc. Sardicen. *can.I. & II.* Negabat autem veniam ecclesia recensitis peccatoribus non defectu potestatis, sed seueritate disciplinae, quo a Nouatianis distabat. Sed lapsu temporis a veteri seueritate ecclesia desciuit, & omnibus peccatoribus pacem dedit.

Plures theologi negant, ecclesias Occidentis in omnibus recensitis criminibus pacem etiam in fine denegasse. Hinc aiunt, Tertullianum falsam disciplinam ecclesiae Romanae affinxisse, vt inde Montanistas, qui negabant, esse in ecclesia peccatorum remittendorum potestatem, tueretur: *communionem* vero in canonibus Illiberitanis eucharistiam interpretantur. V. Nat. Alexand. *diss. VII. in saec.* 3. *hist. eccles.* Sed facile non videtur admittendum, Tertullianum, hominem seuerum, falsam disciplinam ecclesiae Romanae tribuisse; inde enim contra potestatem ecclesiae in dimittendis peccatis argumentatur; nec veri speciem habet, ex falsa hypothesi catholicos adgredi voluisse. Porro *communio* in Illiberitanis canonibus absolutio est, non eucharistia; origine enim sua ea vox fidelium societatem denotat, ad quam fideles lapsi per absolutionem reducebantur: quod Albaspinaeus *obser. lib. II. cap.* 8. pluribus probat.

§. IV. Quo autem per poenitentiae sacramentum peccata dimittantur, necesse est, vt peccator doleat, confiteatur, & satisfacere proponat. Qui tres actus sunt sacramenti poenitentiae *quasi materia*. Trident. *ses. XIV. cap.* 3. Sed tres isti actus non omnes eiusdem necessitatis sunt, vt singuli reapse praestari debeant: etenim sine contritione omnino venia non obtinetur: at confessio & satisfactio in necessitate desiderio & voluntate suppleri possunt. V. Nat. Alexand. *theol. dogm. & mor. lib. II. de sacramento poenitentiae cap. 4. art.* 1.

§. V. Non conuenit inter theologos, quo sensu tres poenitentis actus, contritio nempe, confessio & satisfactio sacramenti poenitentiae *quasi materia* sint. Plerique post S. Thomam tenent, eos actus proprie sic dictae materiae rationem habere, idque quia Iesus Christus poenitentiae virtuti vim sacramenti attexuit: dici vero *quasi materiam*, non quod verae materiae rationem non habeant, sed quod eius generis materia non sint, quae extrinsecus exhibetur. Contra Scotistae docent, sacramenti poenitentiae essentiam in sola absolutione positam esse, tres vero poenitentis actus esse poenitentiae partes, quatenus sunt conditiones, vt illud peccata remittat, non quod ex illis intrinsecus, veluti ex aqua baptismus, constet. Et quoniam absolutio potius forma, quam materia sacramenti est; hinc Maldonatus docet, eam esse materiam, quatenus ritus est sensibus subiectus, formam vero, quatenus absolutionem significat. Neutra harum sententiarum pertinet ad fidem, at plausibilis est Thomistarum sententia: quae tamen in eo peccare videtur, quod quae ad sacramenti effectum sunt dispositiones, eiusdem elementum constituat (c).

§ VI.

(c) Multi veteres ex schola theologi, in primis Alexander Halensis, Guilelmus Parisiensis episcopus, Vincentius Bellouacensis, Marianus Victorius aliique elementum, vnde conficitur poenitentiae sacramentum, manuum impositionem faciunt, cui verbum absolutionis accedens sacramentum constituit. Quae sententia veri specie commendatur. Constat quippe ex vniuersa antiquitate, absolutionem per manuum impositionem datam fuisse,

§. VI. Ex tribus poenitentis actibus, vnde sacramenti absolutionis quasi materia constat, primus dolor est, qui alias *contritio* dicitur. Est contritio animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Quoniam vero dolor est animi adfectus, ac proinde internus actus, qui saepe in actiones externas erumpit; lacrimae & alia externa signa interioris doloris indices sunt; at potest esse dolor etiam sine lacrimis: immo in altis doloribus homines obstupescunt. Continet dolor non solum detestationem malae actae vitae, sed etiam nouae vitae instituendae propositum; qui enim priorem viuendi rationem detestatur, necessario nouam vitam deinceps instituendam proponit. Et quia dolor iste impium ad iustitiam ducit; hinc debet esse ex argumentis supra naturam positis conceptus, hoc est motu fidei, non rationibus naturalibus excitatus; vt ita peccatores vere ad Deum conuersi dici possint.

§. VII. Contritio autem seu dolor duplex est, perfecta nempe & imperfecta, quarum illa nomine generis *contritio*, ista vero *attritio* dicitur. Perfecta contritio est dolor de peccato commisso, ex amore Dei super omnia conceptus & caritate perfectus, cum proposito in posterum non peccandi. Dolor autem iste perfectus summae efficaciae est; voto enim sacramenti instructus peccatorem Deo reconciliat, priusquam sacramentum suscipiatur.

fuisse, Morin. *de administr. poenit. lib. VIII. cap.* 15.: a quo ritu sacramentum poenitentiae *manuum impositio*, & distinctionis caussa *manuum impositio reconciliatoria* a patribus appellatur. Conc. Arausic. 1. *can.* 3. Porro nihil alienum est a sacramento poenitentiae, vt eius materia sit manuum impositio: haec enim a Christo & apostolis ad patrationem miraculorum vsurpata est: & qui maior & diuinior effectus, quam vt homines peccata dimittant? Quod vero idem ritus etiam confirmationi & sacris ordinationibus conueniat, id nihil obturbat; nam verbum elemento accedens ritum manuum imponendarum ad proprium effectum determinat. Verum sententia ista inter scholasticos non adeo multos patronos inuenit, at ecclesia in soluendis peccatis etiam in noua disciplina manus eleuationem seruat.

tur. Trident. *sess. XIV. cap.* 4. Hinc necessario poenitentiae sacramento praemitti non debet; peccata enim dimittenda non dimissa poenitentiae sacramentum supponit. V. Drouuen *de re sacram. lib. VI. quaest.* 4. *cap.* 4.

§. VIII. Attritio est dolor & detestatio de peccato commisso vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae & poenarum metu conceptus, qui si cum spe veniae voluntatem peccandi excludat, ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit. Trident. *loc. cit.* Et quoniam spes veniae attritioni inesse debet; etiam caritatis & amoris erga Deum actu, saltem inchoato, debet esse instructa & excitata; erratque profecto quotquot tenent, dolorem ex mero gehennae metu sine Dei amore conceptum in sacramento ad hominis iustificationem prodesse. Sane qui propter meras poenas dolent, adhuc peccatis haerent, tantumque non peccant, quod poenas timent, *sit spes fallendi, miscebis sacra profanis:* hinc ad Deum conuersi non sunt, atque ideo eis poenitentiae sacramentum non prodest. V. Drouven *de re sacram. lib. VI. quaest.* 4. *cap.* 4.

§. IX. Alter poenitentis actus, qui quasi materiae sacramenti poenitentiae pars censetur, confessio est, qua omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria ex diligenti praemeditatione occurrit, & adiuncta, quae peccati speciem mutant, ad sacerdotem deferri debent ex institutione & mandato Christi. Trident. *sess. XIV. cap.* 5. (*d*). Et certe errant recentiores haeretici, qui tenent, doctrinam de necessitate confessionis demum ab Innocentio III.
in

(d) In scripturis aperte proditum non est, confessionem a Christo institutam, quod S. Thomas *suppl. quaest. VI. art.* 6. adgnoscit; at sponte sua ex auctoritate clauium ecclesiae concessa deriuatur. Et qui alias retinere & remittere peccata possent sacerdotes? iudices incognita caussa qui iudicabunt? Deinde, nisi peccata aperiantur, apta remedia iis non possunt adhiberi, quod pertinet ad ligandi & soluendi potestatem. His accedunt veteres patres, qui passim docent, sacerdotibus peccata esse aperienda. V. Nat. Alexand. *diss. XIV. in saec.* 13. & 14. *hist. eccles.*

in synodo Lateranensi excogitatam & inductam fuisse.

§. X. Vt legitima & recta sit sacramentalis confessio, debent sponte & distincte aperiri mortalia omnia peccata, & quidem ad veniam obtinendam. Sufficit vero si confessio clam & ad aures solius sacerdotis fiat; nec enim exstat vllum diuinum praeceptum, quo fideles adigantur ad sua peccata palam aperienda. Trident. *loc. cit.* (*e*). Tantum postulat diuinum praeceptum, vt pro publicis peccatis publica poenitentia agatur, vt publicae offensioni satisfiat. Ceterum si quis ad maiorem suorum scelerum vindictam & humilitatem & aliorum exemplum velit publicam confessionem edere, is laude dignus est, & tanta humilitas praemio non carebit.

§. XI. Peccata & reliqua omnia in ordine ad sacramentalem confessionem manifestata sancto secreto subiecta sunt; nec ea verbis, aut signis prodere fas est, idque iure diuino. Atque hoc est *sigillum confessionis*, quod servare debent nedum sacerdotes, verum etiam omnes, qui peccata in ordine ad confessionem audierunt, quamuis maior sit sacerdotum, quam aliorum obligatio. Immo nec scientia peccatorum in confessione habita vti possunt superiores ad externum ecclesiae regimen; cauendum enim omnino est, ne confessio aliquo modo odiosa reddatur.

(e) In veteri disciplina & apud Graecos & Latinos sollemne fuit, peccata etiam occulta palam confiteri. Morin. *de administr. poenit. lib.II. cap.9. & seq.* Non omnia vero peccata vulgari solebant, sed tantum ea, quae in vtilitatem ecclesiae cedebant, nec periculum aliquod peccatori ingerebant. Hinc prius peccata omnia sacerdoti aperiebantur, qui pro prudentia sua, quae euulganda erant, indicabat. Origen.*hom.II. in psalm.* 37. Stetit hic mos in Oriente vsque ad Nectarium, qui ob facinus a diacono cum matrona, in ecclesia poenitentiam agente, admissum, Constantinopoli & poenitentiarium & publicam confessionem & publicam poenitentiam abrogauit. Socrat. *lib. V. cap.* 19., exemplumque Nectarii ceterae per Orientem ecclesiae imitatae sunt. Sed in Occidente vna cum publica occultorum criminum poenitentia desiit consuetudo quaedam occulta crimina palam aperiendi.

V. Drouuen *de re sacram. lib. VI. q.* 5. *cap.*3. Tantum habita confitentium venia de auditis in confessione sacerdotibus loqui fas est. Quod si contra silentii fidem peccent, sacrilegii rei sunt, & depositi officio suo in arctum monasterium ad perpetuam poenitentiam includuntur, *cap.* 12. *ex. de poenitentiis & remiss.*

§. XII. Postremus poenitentis actus *satisfactio* est; quae alio nomine etiam *poenitentia*, sed stricto sensu dicitur; nam alias poenitentia etiam dolorem & sententiae mutationem continet. Veniunt satisfactionis nomine opera laboriosa & dura, quae a sacerdote imposita peccatores sponte subeunt, ad peccatorum suorum vindictam & iniuriam Deo illatam expiandam. Nempe per sacramentum poenitentiae peccatorum culpam Deus remittit, sed non simul poenam vniuersam: qua in re distat poenitentia a baptismo, vbi & culpa & debitae poenae condonantur. Itaque ad peccatorum post baptismum admissorum omnimodam expiationem necessario poenitentia ex diuina ordinatione requiritur. Trident. *ses. XIV. cap.*8.: quo factum, vt patres poenitentiam *laboriosum baptismum* dixerint. Iuenin. *de sacram. diss. VI. q.*6. *cap.*1.

§. XIII. Est autem poenitentia aut publica, aut occulta, quarum illa palam & coram ecclesia, ista clam peragitur. Mortalia peccata palam admissa publica poenitentia esse expianda, constans semper fuit ecclesiae doctrina, vt ita publicae offensioni satisfiat. Sed pro peccatis mortalibus occultis ab antiqua distat noua disciplina. Sane olim etiam pro criminibus occultis, saltem gravioribus, publica imponebatur poenitentia. Morin. *de administr. poenit. lib. V. cap.* 2. & 4. (*f*).

§.XIV.

(f) Intererat vero inter publicam publicorum & publicam occultorum criminum poenitentiam; illa enim palam ab episcopo, haec vero clam & etiam a presbytero imponebatur: rei quoque publicorum criminum censuris cogebantur ad poenitentiam, non vero occulti peccatores, quibus clam tantum negabatur pax, si agere poenitentiam detrectarent: & demum publici peccatores palam & a solo episcopo pacem accipiebant, nisi

§.XIV. Publica poenitentia nullis certis definitis spatiis & sollemnibus initio peracta est ; sed post schisma Nouatianum , quod medio ferme saeculo tertio erupit , sollemnitas & spatia poenitentiae inducta sunt , vt ita vel externis ritibus ecclesia occurreret Nouatianis , qui negabant esse in ecclesia ad peccata grauiora dimittenda potestatem . Sollemnitas & ars agendae poenitentiae praesertim in poenitentium stationibus seu classibus posita erat. Stationes istae quatuor erant , per quas tributi poenitentes dicebantur *flentes* , *audientes* , *substrati* & *consistentes*. V. Morin. *de administr. poenit. lib.VI. cap.*1. *&* *seqq.* & Bingh. *orig.eccles. lib.XVIII. cap.*1. Fuerunt hae stationes apud Orientales quarto saeculo sollemnes, easque in suis canonibus Gregorius Thaumaturgus primus vsurpat ; sed in ecclesia Occidentali praesertim fletus & auditio non adeo frequentes fuerunt . Morin. *loc. cit. cap.* 4.

§. XV. Flentes pro foribus ecclesiae stabant, vbi lacrimis sibi imponi poenitentiam exorabant : atque ideo fletus potius praeambulum ad poenitentiam , quam vera poenitentia erat . Audientes ecclesiae narthecem ingressi, diuinam scripturam & sermonem audiebant , quibus finitis cum reliquis audientibus siue ethnicis , siue catechumenis ecclesia exibant. Quod audientes grauiter peccassent , videbantur rudimenta fidei vix didicisse , & hinc ad ea iterum audienda mittebantur : quod profecto maximum erat opprobrium . Substrati in ecclesiam vsque ad ambonem ingrediebantur , vbi post eiectos audientes in genua prouoluti manus impositionem sub certis precibus ab episcopo accipiebant , inde etiam ecclesia exibant : interim vero duris & laboriosis operibus se exercebant . Consistentes demum cum fidelibus in ecclesia consistebant & precabantur , sed in Christi corpore non communicabant : idque erat *fine oblatione cum populo in precibus communicare* . Conc. Nicaen. *can. XI.* Ancyr. *can. IV.*

§. XVI. Poenitentia ecclesiae auctoritate imponeba-

nisi aut episcopus iuberet , aut in eius absentia vrgeret necessitas ; occulti vero peccatores clam etiam a presbytero poterant reconciliari . Morin. *de administr. poenit. lib. V. cap.* 16.

tur (*g*), eaque suscepta praesertim tempore *substrationis* opera poenalia poenitentes tolerabant. Etenim haec statio proprie erat poenitentialis, aliae potius ad poenitentiam praeparabant: quo factum est, vt substrati sine alio addito *poenitentes* a veteribus dicerentur. Conc. Laodic. *can. XIX.* Ergo continuis ieiuniis corpus macerabant: eleemosynas erogabant: diebus dominicis & festis & integra pentecoste, quibus ceteri fideles stantes orabant, flexis genibus preces fundebant: & (quod maxime in ecclesiis Africanis sollemne erat) mortuos efferebant & sepeliebant. V. Bingh. *orig. eccles. lib. XVIII. cap.* 2. Abstinebant quoque balneis, conuiuiis, & ipso matrimonii vsu, nec nouas nuptias contrahere poterant (*h*). Voluptates enim a balneis, conuiuiis & nuptiis deriuatae non bene cum poenitentia conueniebant (*i*).

§. XVII.

(g) Peccatores accipiebant poenitentiam cinere adspersi & operti cilicio: & si mares essent, capillos inaequaliter tondebant, aut capita radebant: feminae vero vel velum poenitentiae sumebant, vel crines tondebant, vel illos per humeros spargebant & confundebant: quae moeroris signa erant. Cilicium erat vestis aspera ex pilis animantium contexta, qua totum corpus operiebatur. Ambros. *ad virgin. lapsam cap. VIII.*

(h) Porro in Occidentali ecclesia quarto & seqeuentibus saeculis poenitentes militiam & saecularia negotia, quae peccatis erant occasioni, veluti mercaturam, forenses caussas, officia publica deponebant. Morin. *de administr. poenit. lib. V. cap.* 18. *seq.* Quin eo seueritatis euasit in Occidente poenitentia, vt etiam post datam pacem ad saecularia negotia & matrimonii iam contracti vsum amplius redire non liceret, nec reliquo vitae tempore nouas nuptias contrahere. Siric. papa *ep. ad Himer. Tarrac. cap. V.* Leo M. *ep. XCII. ad Rustic. Narbon. edit. Quesn.*

(i) Vniuersus poenitentiae publicae apparatus, seu ritus externi, item luctus & dolor, *exomologesis* nomine a patribus Graecis & Latinis dictus est. Tertul. *de poenit. cap. IX.* V. Albaspin. *lib. II. obser. cap.* 26. *Exomologesis* proprie est confessio: & quia peccata sua confitentes, ea sacco & cilicio induti plangere & detestari, & in humilem statum se deiicere solebant; hinc vniuersa poenitentiae actio eo nomine dicta est.

In-

§. XVII. Iam opera poenalia in poenitentiam imposita congrua & salutaria esse debent, hoc est criminum grauitati respondentia, & in poenitentium salutem & medicinam directa: & praeterea in longum continuanda; nec enim momento temporis curantur animae infirmitates. Hinc summa fuit veterum patrum cura, vt propria remedia & iusta poenitendi tempora singulis criminibus tribuerent. Tractabant ea de re in conciliis, in quibus plures canones conditi sunt: consulebantur quoque primarum sedium episcopi, & qui scientia & probitate supra alios eminebant: & consulti episcopi canonicas epistolas dabant, quae poenitentias & poenitendi tempus praescriberent. Atque ex his synodorum & patrum regulis, quae labentibus annis numero creuerunt, collecti sunt *libri poenitentiales*, qui canones de re poenitentiali continebant. Latis vero canonibus poenitentialibus ex eorum auctoritate, non pro arbitrio sacerdotum poenitentiae imponebantur. Hinc dum episcopi synodum celebrabant, inter alia presbyteros admonebant, vt *non ex corde, sed sicut in poenitentiali scriptum est*, poenitentias imponerent, ap. Reginon. *lib. I. cap.* 98.

§. XVIII. Publica poenitentia vna erat, & siue propter publica, siue propter priuata scelera semel peracta, iterum eidem in eadem vel alia scelera relapso non dabatur. Nat. Alexandr. *diss. X. hist. eccles. saec.* 3. Tantae seueritatis caussa videtur fuisse, *ne christiani lusisse de dominica communione videantur*, vt patres Illiberitani *can. III.* loquuntur, seu *ne medicina vilis minus vtilis esset aegrotis*, vt Augustinus *ep. LIV. ad Macedon.* habet. Qui autem secundam non accipiebant poenitentiam, abundantia doloris tantum a Deo, non ab ecclesia sperare veniam poterant, quod Petauius *in Epiph. haer. LIII.* docet. In Oriente sub Nectario, qui publicam poenitentiam abrogauit, vnius poenitentiae disciplina desiit; in Occidente vero sensim desueuit, tantumque deinceps obtinuit,

Interim amplior haec significatio vsu scriptorum restringi solet, significatque vel ipsam confessionem, vel alium poenitentis actum.

vt sic dicta *sollemnis* poenitentia semel daretur (*k*).

§. XIX. Non omnes etsi grauiorum criminum rei, publicam poenitentiam subibant; multi enim crimina sua priuatis poenitentiis expiabant, quales iuuenes *propter aetatis fragilitatem*, conc. Agath. I. *can.* 15.; mulieres adulterae, quod facile proderentur, iisque poenitentia mortis caussa esse posset, Basil. *ad Amphiloch. can. XXIV;* & coniugati, nisi ex coniugis consensu. In primis vero maiores clerici publicae poenitentiae non subdebantur. Conc. Carthag. v. *can.* 2. Siric. *epist. ad Himer. Tarrac. cap. XIV.* In tanta humilitate, qua agebatur publica poenitentia, praesertim post stationes inductas, indignum fortasse visum est, maiores clericos poenitere. Ergo propter crimina ab officio suo deiecti, clam in monasterio crimina sua deflebant, nisi sponte publicam poenitentiam elegissent. Conc. Arausic. I. *can.* 4. Ceterum clerici minores, non secus ac laici, publicae poenitentiae addicebantur. V. Iuenin. *diss. VI. q.* 6. *cap.* 8. *art.* 1.

§. XX. Poenitentialis disciplina per antiquos patres statuta lapsu temporis in vtraque ecclesia ferme per omnia mutata est. Et in Oriente quidem quarto exeunte saeculo sub Nectario patriarcha Constantinopolitano occasione cuiusdam matronae, quae dum agebat poenitentiam, a diacono in ecclesia constuprata est, & poenitentiarius confessionibus & poenitentiae praepositus, & publica quorumdam occultorum criminum confessio, & publica poenitentia non minus pro occultis, quam pro publicis cri-mi-

(k) Publica poenitentia scholasticis alia *publica* est stricte sic dicta, alia *sollemnis*. Publica sine vlla sollemnitate, sed palam peragitur: sollemnis ob enormia crimina ab episcopo die cinerum ex forma synodi Agathensis imponitur, *can.* 64. *D.* 50.; & praeterea haec habet attributa, clericis non datur, iterari non potest, laicus ea functus a canone est alienus, ea impleta matrimonium contrahi non potest, militia deserenda, & negotiis saecularibus amplius non vacandum. Nata est haec partitio ex ignorantia antiquitatis. Nempe desuetis publicae poenitentiae sollemnibus & conditionibus, scholastici sollemni poenitentiae dederunt, quae in veteri disciplina publicae conueniebant.

minibus omnino sublata sunt. Socrat. *lib. V. cap.* 19. Sozom. *lib. VII. cap.* 16. Hinc breui per Orientem poenitentiarum disciplina mutata est, & poenitentium stationes praeter consistentiam abolitae. Sed non simul abrogatae priuata confessio & canonicae peccatorum poenitentiae: etenim deinceps Graeci vel secundum canones, vel poenitentiales libros semper imposuerunt poenitentias: tantum quod publicum erat, occultum euasit. V. Morin. *de administr. poenit. lib. VI. cap.* 22. *seq.*

§. XXI. Sed quod spectat ad Latinam ecclesiam, in ea diutius stetit inuariata poenitentialis disciplina, tandem saeculo septimo inualuit, vt publica crimina publicis; occulta vero occultis poenitentiis, sed ex canonum regulis, expiarentur: cui innouationi Graecorum disciplina praecipuam caussam praebuit. Nimirum Theodorus monachus Graecus Romam venit, & a Vitaliano papa anno IↃCLXVIII. episcopus Cantuariensis creatus est. In Anglia vero constitutus Theodorus ex moribus praesertim Graecorum poenitentialem librum composuit, in quo publicis peccatis publicam, occultis vero occultam imponebat poenitentiam, omissis manuum impositionibus & stationibus poenitentiarum. Statim hi mores per Angliam & per vniuersum Occidentem recepti sunt. Ita inualuit in Occidente regula, *de peccatis occultis occulte, de publicis publice poenitendum*, capit. reg. Franc. *lib. V. cap.* 52., *cap.* 1. *ex. de poenit. & remissionibus*.

§. XXII. Recepta hac doctrina, nihil quidquam deminutum de canonicis poenitentiis (*l*), tantumque poeni-

(l) Immo potius seueriores euaserunt; nescio enim qua ratione creditum est, singulis eiusdem speciei peccatis poenitentiam in canonibus praescriptam deberi: atque ideo si ponas, vni adulterio decem annorum poenitentiam canones tribuisse, pro decem adulteriis centum annos poenitere oportebat. Petr. Damian. *de perfect. monach. cap. VI.* Quod & canones ridiculos & poenitentiam impossibilem faciebat. Fleuryus *disc. III. in hist. eccles. n.* 16. Inuenta item genera publicarum poenitentiarum antiquis ignota & indoli poenitentiae parum conformia, qualia circulus ferreus, quo per plures annos membra cor-

nitentia, quae antea palam fiebat, euasit occulta; at saeculo decimo secundo & sequentibus canonicae poenitentiae apud Latinos sensim desierunt, idque ex pluribus caussis. Principio iamdiu receptae erant poenitentiarum redemtiones, quibus canonicae poenae cum certis precibus, corporis flagellis, praesertim vero cum pecunia & agris pro arbitrio poenitentium commutabantur, qua de re plura habet Muratorius *diss. LXVIII. antiq. Italic.* Porro commutatae sunt poenitentiae cum aliquo laborioso aut pio opere, quod in euidentem, aut apparentem ecclesiae vtilitatem cederet, qualia opera censebantur arma capere contra infideles & haereticos, praesertim in Hierosolymitana expeditione, pecuniae erogatio in ecclesias aedificandas, aut reparandas, ad pontes construendos, & itinera munienda. Ex his caussis longo temporis spatio canonicae poenitentiae intermissae sunt; nec inde finitis sacris expeditionibus facile fuit eas restituere; praesertim quando mendicantes coeperant poenitentiam administrare; hi enim missi transeuntes erant, atque ideo diu poenitentium vitam & conuersationem non poterant obseruare. Fleuryus *disc. hist. VI. n.* 11.

§. XXIII. Desuetis apud Latinos canonibus poenitentialibus, sacerdotis tamquam boni viri arbitrio poenitentiae impositae sunt; at in noua disciplina poenitentiae etiam congruae & salutares esse debent. Sunt poenitentiae opera laboriosa & dura, quibus iniuria Deo illata expiatur, & animi morbi & adfectiones curantur: quae poenitentiarum natura vna est & immutabilis, tantumque ritus, quibus exercentur, mutari possunt. Et recte docent Tridentini patres *sess. XIV. cap.* 8. debere sacerdotes *salutares & congruas satisfactiones iniungere*, quae sint tam in vitae nouae custodiam, quam ad peccatorum castigationem. Hinc eo sensu arbitrariae sunt hodie poenitentiae, quod non debeant ad amussim ex canonibus imponi, non quod a mero sacerdotis arbitrio dependeant.

Vt

corporis arctissime constringi solebant; virgae & cruenta flagella, quibus peccatores corpus dilacerabant; incertae & vagae peregrinationes.

Vt vero officio suo recte fungantur poenitentiae ministri, scire debent canones poenitentiales; inde enim & peccatorum grauitatem & congruas poenitentias dignoscent.

CAPVT XIII.

De indulgentiis.

§. I. Nomine *indulgentiae*, quae alias *donatio*, *remissio* & *humanitas* dicitur, vbi de poenitentiis agitur, venit remissio poenarum temporalium, quas poenitentes in suorum criminum expiationem subire debent, facta ecclesiae auctoritate. Itaque non peccata ipsa indulgentiae remittunt, (hoc enim proprium est absolutionis) sed potius poenas temporarias, in quas aeternae vi sacramenti commutantur. Iure diuino ecclesia habet indulgentiarum concedendarum potestatem, quae in iure ligandi & soluendi continetur, idque dogma fidei est. Trident. *sess.XXV.* in *decreto de indulgentiis*. Duplicis vero generis est indulgentia, plenaria nempe & partialis, prout vel integra poenitentia, vel eius pars relaxatur.

§. II. Ministri, qui concedunt indulgentias, iure ordinario episcopi sunt, quibus ligandi & soluendi potestatem Christus directis verbis demandauit. V. Iuenin. *de sacram. diss. XIII. q. 3. cap.* 1. Et quamuis sacramenti poenitentiae administratio etiam meris presbyteris conceditur; tamen non consueuit ecclesia etiam poenarum remittendarum potestatem presbyteris facere; idque fortasse ne neruus ecclesiasticae disciplinae solueretur. Tantum presbyteri, immo inferiores clerici ex speciali delegatione indulgentias elargiuntur, hodie enim earum concessio exterioris fori esse reputatur. Concedunt episcopi in suis paroeciis ex noua disciplina tantum partiales indulgentias, summus vero pontifex etiam plenarias.

§. III. Vt vero rite indulgentiae concedantur, regulae ab ecclesiae praescriptae seruandae sunt, nec enim pro arbitrio sacris ministris hunc spiritalem thesaurum admi-

ministrare licet. Et praecipua quidem caussa indulgentiarum est abundantia doloris, qua ipsi peccatores adficiuntur; apud Deum enim multum valet cordis contritio etiam ad poenarum remissionem. Chrysost. *hom. XIV. in 2. ad Cor.* Hinc antiquae regulae permittunt episcopis, vt pro dolore, lacrimis & poenitentium tolerantia vel indulgentiam faciant, vel tempus adiiciant. Conc. Nicaen. *can.XII.* Ancyr. *can.V.* Quae auctoritas tanta erat, vt si sincera & abundans esset contritio, episcopi possent poenitentes ab audientibus ad consistentes transferre. V. Morin. *de administr. poenit. lib. VI. cap.* 19.

§. IV. Praeterea ex antiquae disciplinae regulis legitimae caussae ad concedendas indulgentias erant libelli martyrum (*a*), imminens in christianos persecutio, & reditus haereticorum ad ecclesiam. Sed post saeculum decimum nouae indulgentiarum caussae receptae sunt, quales visitationes certarum ecclesiarum & altarium, qua de caussa concessae indulgentiae *stationariae* dicuntur (*b*), militia contra ethnicos aut haereticos suscepta, pecuniae erogationes ad ecclesias & nosocomia aedificanda, item ad pontium & itinerum constructionem aut refectionem. Semel inductae hae indulgentiarum species ex genio saeculi eua-

(a) Tempore persecutionis consueuerunt confessores in custodia detenti libellos dare ad episcopos, eosque enixe deprecari, vt quibusdam lapsis poenitentiam eiusue partem remitterent, & pacem darent. V. Morin. *de administr. poenitentiae lib.IX. cap.* 26. Magna erant apud Deum martyrum merita, ipsique etiam pro iis, quos libellis suis commendabant, preces ad Deum fundebant. Hinc episcopi eorum libellis multum tribuebant, & indulgentias dabant, praesertim si commendati venia digni essent. Errarunt vero nonnulli martyres, qui libellis suis se dedisse pacem profitebantur, non dandam rogabant. Cyprian. *epist. XXIII.* Valebant martyrum libelli sedata iam persecutione & post ipsorum mortem. V. Albaspin. *lib. I. obser. cap.*20. Sed haec indulgentiarum species cum ipsis martyribus desiit.

(b) Inter indulgentias stationarias celebris & omnium plenissima illa est, quae *Iubilaei* nomen praefert, quod demum aetate Bonifacii VIII. institutum creditur. V. Espen. *par. II. tit.* 7. *cap.* 4.

euaſérunt frequentiſſimae, quamuis vix eſt, vt cum ſincera poenitentia componi poſſint, ſi ex his cauſſis petentes indulgentias, vera poenitentia deſtituantur.

§. V. Inductis propter eccleſiarum, hoſpitalium, viarum & pontium aedificationem & reparationem indulgentiis eleemoſynariis, ſimul *quaeſtores eleemoſynarii*, vt vocabantur, inſtituti ſunt, qui indulgentias praedicarent, fouerent, & poenitentium oblationes & eleemoſynas colligerent. Non alienum a ratione erat ad lucrandas indulgentias praedicari poenitentiam: at quaeſtores tanto munere ſaepe abuſi ſunt, & potius ſua & mittentium negotia, quam animarum ſalutem procurarunt, vota, peccata grauiſſima & ipſam beatam vitam commercio exponentes. *Clement.* 2. *de poenit. & remiſſ.* Quis neſcit, haereſim Lutheranam ex quaeſtorum nundinationibus originem habuiſſe? Sed tandem Tridentini patres eleemoſynarios quaeſtores ſuſtulerunt, & indulgentias ab epiſcopis cum duobus canonicis adnuntiari voluerunt, eleemoſynas vero nulla mercede colligi. Trident. *ſeſ. XXI. de ref. cap.* 9.

•§.VI. Tot nouae indulgentiae fundamento aliquo niti debebant: ea enim aetate, qua maxime inualuerant indulgentiae eleemoſynariae, theologis ſcholaſticis occurrebat illud veterum patrum dictum, *aut Deus punit, aut homo*: quod cum indulgentiis ob ſolas eleemoſynas, aut ob leues labores datis non bene conueniebat. Varia commenti ſunt ſcholaſtici ad hunc nodum extricandum, ſed tandem ad eccleſiae theſaurum confugerunt, quo largitatem indulgentiarum inaedificarent: quae ſententia inde a Clemente VI. *extrauag.*2. *de poenit. & remiſſ. inter communes* & Leone X. probata inter eccleſiaſticas doctrinas conualuit. Semper fuit in eccleſia theſaurus, qui ex meritis Chriſti in hominum redemtionem abundanter redundat; at ante ſaeculum decimum ſecundum vix ſcriptor inuenitur, qui vim indulgentiarum ex theſauro eccleſiae metiatur, niſi eo trahantur indulgentiae propter martyrum libellos olim conceſſae. Conſtat vero theſaurus iſte eccleſiae inexhauſtus ex Chriſti meritis, eique B. Virginis omniumque ſanctorum merita praeſtant adminiculum, *cit. extrauag.*

§.VII.

§. VII. Ceterum in concedendis indulgentiis summa moderatione vti debent ecclesiae praepositi ; effusa enim liberalitas eneruat poenitentiam , & ad peccandum inuitat . Habere debent ob oculos exempla veterum patrum, qui pro quantitate doloris & abundantia lacrimarum indulgentias concedebant . Trident. *sess. XXV. in decr. de indulgentiis.* Quaecumque vero caussa ad lucrandas indulgentias proponatur, certi iuris est, etiam in noua disciplina non simplici operarum iniunctarum exsecutione christianos indulgentias lucrari , sed requiri veram poenitentiam & contritionis abundantiam , quod boni theologi docent .

CAPVT XIV.

De forma & effectu sacramenti poenitentiae.

§. I. Forma sacramenti poenitentiae sunt verba , quibus ministerio presbyterorum peccata dimittuntur . In veteri disciplina emensis ferme poenitentiae siue publicae siue occultae spatiis peccatores pacem accipiebant: quousque enim in tribus primis poenitentiae stationibus persistebant , cum ecclesia nec in precibus communicabant: quod indicat, eos a peccatis absolutos non fuisse . V. Morin. *de administr. poenit. lib. IX. cap.* 3. & 17. (*a*). Sed

(a) Dabatur in veteri ecclesia absolutio sacramentalis , vbi poenitentes a substratis ad consistentes transibant . Morin. *de administr. poenit. lib. VI. cap.* 21. Verum si iusta & grauis subesset caussa , veluti si poenitenti mortis periculum immineret, aut si persecutio proxima videretur, aut si ex dilata pace aliquod ecclesiae incommodum instaret ; etiam ante expletam poenitentiam publici peccatores reconciliari solebant . V. Nat. Alexand. *diss. IX. in 3. saec.* Quin in priuatis poenitentiis etiam ob caussas non admodum graues statim post confessionem, aut paullo post , nondum impleta poenitentia , absolutio data est . Morin. *lib. IX. cap.* 27. Quod si instante mortis periculo ante

Sed mutata iamdiu est haec disciplina, & in vtraque ecclesia post peccatorum confessionem, & indictam, sed non impletam poenitentiam, datur absolutio (*b*). Antiqui mores indoli poenitentiae conformiores erant; at nullum exstabat diuinum praeceptum, quo edicebatur, peccatores post impleta poenalia opera absolui debere. Et profecto non recte rigidiores quidam theologi vsum, qui absolutionem satisfactioni praemittit, veluti euangelio contrarium & abusionem traducunt: quam doctrinam Alexander VIII. merito proscripsit. Verum vbi sacerdotes minus probatos peccatores animaduertunt, debent differre absolutionem, quousque de vera poenitentia constet.

§. II. Formula autem absolutionis in veteri disciplina non directa, sed precatiua fuit, qua sacerdotes Deum siue Christum, vt peccata dimitteret, rogabant, quod fuse docet Morinus *de administr. poenit. lib. VIII. cap. 8. & seqq.* Graeci aliique Orientales adhuc per preces peccata dimittunt; sed apud Latinos a tempore S. Thomae formula absolutionis directa facta est, hisce verbis comprehensa, *ego te absoluo a peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti* (*c*). Et hac recepta formula inde Tri-

---

ante impletam poenitentiam pax data esset, & inde infirmi conualescerent, iterum poenitentiae subdebantur. Conc. Carthag. IV. *can.* 78. Arausic. I. *can.* 3.

(b) Distat vero Graecos inter & Latinos, nam hi statim post absolutionem admittunt ad eucharistiam; illi speciem antiquae consistentiae adhuc obseruant, in qua absoluti a peccatis longo tempore ad impositas poenas implendas detinentur, & demum noua veluti absolutione, qua a poenis soluunt, ad eucharistiam admittunt. V. Chardon. *in histor. poenitentiae sect. III. par. 3. cap. 8.*

(c) Tenebant initio saeculi decimi tertii plerique ex schola magistri, tantum vere contritos absolui debere, ideoque vi contritionis peccata iam dimissa esse. Hinc minus placuit formula precatiua, eiusque loco substituta est directa, quae apta videbatur ad declarandos in terris absolutos, quos ante Deus in caelis absoluerat: etenim etiam magistratus verbis directis, quos innocentes deprehendunt, absoluunt.

Tridentini patres *sess. XIV. cap.* 3. docuerunt, preces ad vim absolutionis non pertinere, & formam, in qua vis sacramenti praecipue posita est, illis verbis, *ego te absoluo &c.* contineri. Sic mutata formula absolutionis, theologi multi docere coeperunt, per preces datam pacem non valere.

§. III. Effectus autem sacramenti poenitentiae est remissio peccatorum & gratiae sanctificantis in animam effusio, qua peccatores in filiorum Dei adoptionem restituuntur. Vt vero per absolutionem gratia sanctificans conferatur, rite dispositi peccatores esse debent: nempe debent peccata confiteri, & ex amore Dei, saltem inchoato, detestari. Quod si ob contritionis vehementiam diuina absolutio sacerdotalem praeueniat, tum sacerdotalis diuinam confirmat & ampliorem facit. Per absolutionem reuiuiscunt quoque omnia bona opera, quae in caritate facta inde per subsequens peccatum veluti extincta sunt. Sed peccata virtute absolutionis non semper per omnia dimittuntur: nam absolutio dimittit culpam, poenam vero aeternam in temporalem conuertit; & hinc necessariae sunt operae poenales, quibus temporalis poena exsoluatur.

CAPVT XV.

De ministro sacramenti poenitentiae.

§. I. Sacramenti poenitentiae minister, qui excepta in confessione peccata valeat dimittere, solus sacerdos est: sacerdotis autem nomine episcopi & presbyteri tantum veniunt. Trident. *sess. XIV. cap. 6.* (*a*). Et epi-

(a) Quamuis autem soli presbyteri poenitentiae sacramentum administrent; tamen per plura saecula mos stetit, vt in necessitate & absentia sacerdotis etiam laicis christiani peccata sua confiterentur, *can.* 1. *D.* 6. *de poenitentia*, *can.* 36. *D.* 4. *de consecra-*

episcopi quidem poenitentiae, vt ceterorum sacramentorum, primarii ministri sunt. Et reapse in veteri disciplina episcopi integrum ferme poenitentiae negotium administrarunt; praesertim vero eis reseruata erat publicae poenitentiae administratio, vbi de publicis criminibus agebatur. Conc. Carthag. II. *can.*3. Lapsu temporis sensim id onus pro maxima parte deposuerunt; at non propterea desierunt esse primarii poenitentiae ministri.

§. II. Ex inferioribus presbyteris alii iure proprio, quales parochi & poenitentiarii generales, alii delegata potestate poenitentiam administrant. Et parochi quidem ipsa parochiae & beneficii collatione curam animarum sub episcopi eminenti potestate accipiunt, atque iure officii sui poenitentiam & reliqua sacramenta gregi sibi commisso administrant: institutio enim parochiarum & beneficiorum perpetuo & ordinario iure officia ecclesiastica beneficiariis demandauit. Trident. *sess.XXIII. de ref. cap.* 15. Nec opus est examine, aut episcopi mandato, vt parochi confessiones excipiant. Includitur autem hoc ius parochorum propriae ecclesiae finibus; at moribus receptis saltem de consensu propriorum sacerdotum per totam dioecesim etiam sibi non subditis poenitentiam administrant. V. Espen. *par. II. tit. 6. cap. 6.*

§. III. Poenitentiarius generalis etiam iure proprio seu ordinario in tota dioecesi poenitentiam administrat, idque tamquam episcopi vicarius (*b*). Itaque ex quacum-

 que

secratione, qui mos post S. Thomam desueuit. Confessiones vero istae laicis factae non erant sacramentales, vbi enim deest clauium potestas, qui esse potest verum sacramentum? Sed ex feruore caritatis, quae per confessionem magis magisque excitabatur, peccata dimittebantur: quod S. Thomas *in IV. sent. dist.* 17. *q.* 3. obseruat.

(b) In ecclesiis Orientalibus post persecutionem Decianam primum institutus fertur presbyter poenitentiarius, qui deinceps sub Nectario patriarcha Constantinopolitano sublatus est. Socrat. *lib. V. cap.* 19. Sozom. *lib. VII. cap.* 16. Contra in Occidente per plura saecula nullus fuit, qui vice episcopi poenitentiam in tota dioecesi administraret. Vales. *not. in cit.* Sozom.

que dioecesis parte confessiones excipit, a casibus episcopo reseruatis absoluit, ab aliis sacerdotibus impositas poenitentias relaxat, & dubia circa poenitentiam exorta definit. Officium poenitentiarii decreto synodi Tridentinae *sess. XXIV. de ref. cap.* 8. in perpetuum beneficium euasit, quod inter dignitates ecclesiae cathedralis censetur. Hinc poenitentiarius post episcopum totius dioecesis proprius parochus in poenitentiae negotio censetur, adsumique ad id munus debet presbyter, qui in theologia, aut iure canonico emeritus sit, & annorum quadraginta, seu qui aptior pro locorum conditione reperiatur. Trident. *loc. cit.* Quod grauitas officii postulabat.

§. IV. Qui potestate delegata poenitentiam administrant, sunt ceteri presbyteri, quibus poenitentiae administratio sine cura animarum demandatur, siue ex saecularibus, siue ex regularibus eligantur. Abolitis in Occidente canonicis poenitentiis frequentiores factae sunt confessiones: atque ita plures presbyteri ad eas excipiendas fuerunt necessarii. Ceterum non tantum episcopi, sed etiam archipresbyteri & parochi inferioribus presbyteris confessiones excipiendi potestatem faciebant, *cap.* 12. *ex. de poenitentiis & remissionibus;* at in comitiis Tridentinis hoc ius archipresbyteris & parochis ablatum episcopis cessit, *sess. XXIII. de ref. cap.* 15. Presbyteri vero hoc iure aucti per totam dioecesim fidelibus episcopo subiectis poenitentiam administrant, nisi definitam potestatem episcopus concesserit.

§. V. Quamuis autem regiminis ecclesiastici forma postulet, vt sine episcopi aut proprii sacerdotis venia inferiores presbyteri poenitentiam non administrent; tamen mendicantes diu sola pontificis auctoritate confessiones exceperunt, & poenitentiam administrarunt. Primus hoc priuilegium Gregorius IX. concessit, illudque propterea Mat-

---

zom. *loc. cit.* Sed post saeculum decimum ecclesiae Occidentales poenitentiarium receperunt: iamdiu enim episcopi negotiis temporalibus distracti non adeo adsidui in vinea domini excolenda facti erant; & inde etiam in negotio poenitentiae vices suas alteri mandare voluerunt.

Matthaeus Parisiensis *ad an. CIƆCCXLVI. inauditum & nouum* appellat. Hinc mendicantes coeperunt ecclesias circumire, & omnium confessiones excipere: & quod benignitate & facilitate vtebantur, facile omnes ad eos concurrebant; ceciditque propterea dignitas propriorum sacerdotum, & fideles audacter peccarunt. Hinc sexcentae lites inter ecclesiarum praelatos & mendicantes excitatae, quae diu ecclesiam exagitarunt; etenim pontifices dissidiorum iudices potius mendicantibus, quam propriis sacerdotibus fauerunt. V. Espen. *par. II. tit. 6. cap. 5.* Sed tandem Tridentini patres *sess. XXIII. de ref. cap. 15.* priuilegia ista excusserunt, iterumque mendicantes in negotio poenitentiae episcopis subiecerunt.

§. VI. In veteri disciplina, postqnam instituta sunt beneficia, quibus cura animarum andexa est, quisque suo proximo in spiritualibus superiori confiteri peccata tenebatur: quod argumentum Grancolasius *in veteri sacramentario* fuse persequitur. Certe postulabat cura animarum, vt illi oues suas adgnoscerent & pascerent, quibus earum cura erat demandata. Qua stante disciplina, vt quis alieno sacerdoti confiteretur, aut venia proprii sacerdotis, aut priuilegio indigebat, *cap. vlt. ex. de poenit. & remiss.* Proprius autem sacerdos erat parochus, at eo nomine etiam episcopus & poenitentiarius veniebant. Sed vbi confessiones, desuetis canonicis poenitentiis, multiplicatae sunt, haec disciplina mutata est, passimque obtinet, vt sine proprii sacerdotis venia fideles cuique sacerdoti sua peccata possint confiteri: hactenus vt in Italia & Hispania christiani etiam satisfacere praecepto annuae confessionis censeantur, si peccata sua cuique sacerdoti confessionibus praeposito adaperiant: quod omnino lapsae ecclesiasticae disciplinae indicium est.

§. VII. Iam non omnes poenitentiae ministri peccata quaeuis dimittere possunt, sed tantum ea, quae ecclesiae praepositi sibi non reseruarunt. Sane episcopi in suis dioecesibus & pontifices per omnem ecclesiam grauiora peccata sibi reseruare consueuerunt (*c*), idque vt difficultate

 abso-

(c) Episcopales reseruationes ferme cum ipsa ecclesia inualue-

abſolutionis grandia crimina cohiberentur, & grauiores morbos medici peritiores curarent. Peccata epiſcopis reſeruata inferiores miniſtri etiam regulares remittere vetantur: tantumque poenitentiarius generalis, & qui ab epiſcopo ſpeciale mandatum habent, ea dimittere poſſunt. A peccatis vero pontifici reſeruatis nemo olim ſoluebatur, niſi peccator ipſe pontifici ſe ſiſteret, exceptis feminis, ſenibus aliiſque, qui impares erant ad iter Romanum, quos epiſcopi ſoluebant, *cap.6. & 13. ex. de ſent. excommunicationis:* at praeſentibus moribus peccata publica reſeruata pontifices epiſcopis dimittenda committunt; occulta vero ex iuris conceſſione epiſcopi ſuis ſubditis dimittunt, Trident. *ſeſ. XXV. de ref. cap. 6.:* & ſacra congregratio poenitentiis praepoſita in diem inferioribus miniſtris abſoluenda demandat.

C A P V T XVI.

De ſubiecto & neceſſitate ſacramenti poenitentiae.

§.I. SOli chriſtiani, qui poſt baptiſmum in peccata grauia lapſi ſunt, ſacramentum poenitentiae ſuſcipere poſſunt: & hinc ſacramentalis poenitentia a patribus ſe-

luerunt; quidquid enim arduum inerat poenitentiae, epiſcopi ſemper ſuae cognitionis eſſe voluerunt; ſed pontificiae ignotae ſunt antiquitati, & demum poſt ſaeculum decimum exortae ſunt: & quidem initio potius auctoritate epiſcoporum quam pontificum. Nempe in ſumma morum corruptione vt quorumdam criminum maior horror eſſet, epiſcopi reos Romam mittere coeperunt, vt pontifex imponeret, aut ab epiſcopo impoſitam mitigaret poenitentiam; mox etiam in ſynodis quaedam crimina pontifici abſoluenda reſeruare. Ab his inſtitutis ſtatim ipſi pontifices ad ſibi peccata reſeruanda tranſierunt, quae diſciplina eundo amplificata eſt. V. Eſpen. *par.II. tit. 6. cap.7.*

secunda post naufragium tabula dicitur. Itaque non baptizati incapaces sunt absolutionis, quae in sacramento poenitentiae datur: & licet olim catechumeni peccata sua confiterentur, & de iis poenitentiam agerent; tamen confessio ista & poenitentia non erat sacramentalis; sed erat ad baptismum praeparatio. Quod si christiani solis venialibus peccatis adstringantur, non necessario per poenitentiae sacramentum curari debent; plura enim alia remedia, in primis oratio dominica, ad eorum curationem praesto sunt. Et hinc licet veniales culpae vtiliter in confessionibus aperiantur, taceri tamen possunt impune.

§. II. Administrari debet sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum, si ex forma diuinorum praeceptorum accedant, hoc est, si peccata sua confiteantur, de iis doleant, & satisfacere proponant. Hinc denegari iis debet absolutio, qui adhuc in peccatis, aut peccandi occasione haerent, qui praescriptis remediis vti detrectant, qui de iisdem peccatis se accusant, quoties confitentur. V. Nat. Alexand. *theol. dogm. & moral. lib. II. de poenit. cap.* 7. *art.* 3. Porro incapaces sunt absolutionis, qui in criminis actu vsum rationis amittunt, nec inde recuperant, vt petant poenitentiam; & publici peccatores, qui morbo decumbunt, nec prae eius acerbitate aut verbis, aut signis dolorem testantur. Conc. Carthag. IV. *can.* 76. Sed quid si boni christiani prae morbo signa poenitentiae edere non valent? Humanius est, si saltem sub conditione absoluantur; praesumuntur enim sine necessario viatico ex hac vita nolle discedere. Morin. *de administr. poenit. lib. X. cap.* 10. *n.* 2. *seqq.*

§. III. Iam vero christiani quoties post baptismum labuntur, euangelico iure per poenitentiae sacramentum resurgere & reconciliari possunt. Trident. *sess. XIV. can.* 1. At in veteri disciplina ecclesia parce admodum pacem & absolutionem dabat, ne medicina vilis minus vtilis esset aegrotis: aliis enim etiam in fine denegabatur absolutio: aliis tantum in fine pax dabatur; nec dari solebat secunda poenitentia iis, qui semel publicam propter crimina poenitentiam egissent. Quin stantibus canonicis poenitentiis confessiones frequentes esse non poterant. Sed haec disciplina iamdiu desueuit, iamque poenitentia saepe re-

peti solet: at videant sacerdotes confessionibus praepositi, ne tanta facilitate peccata foueant.

§. IV. Venio ad sacramenti poenitentiae necessitatem. Iure euangelico christianis in grauia peccata lapsis ad gratiae recuperationem absoluta necessitate sacramentum poenitentiae requiritur, Trident *sess. XIV. cap. 2.*, in noua enim oeconomia non solis lacrimis Deus peccata remittere statuit. Quod si necessitas vrgeat, & sacerdos absit, peccata remittuntur per contritionem desiderio sacramenti instructam: & hinc manauit doctrina, poenitentiae sacramentum iure diuino *in re*, *vel in voto* esse necessarium. Obligat vero hoc diuinum praeceptum praesertim in mortis articulo, aut si aliquod sacramentum administrandum est: at extra hos casus non diu confessio differri debet.

§. V. Porro ecclesiastico praecepto tenentur fideles, saltem semel in anno, peccata proprio sacerdoti confiteri, alias excommunicantur, quod Innocentius III. in concilio generali statuit, *cap.* 12. *ex. de poenit. & remissionibus*. Tempore Innocentii tantum non desuetis canonicis poenitentiis, locum habere poterat ecclesiasticum praeceptum, quod pluries, aut saltem semel in anno ad confessionem adigeret. Nullam anni partem ad edendam confessionem concilium designat, quamuis eucharisticam communionem paschae addicat; at moribus ecclesiarum iam inductum est, vt praeceptum edendae confessionis etiam in pascha adstringat, vt ita fideles ad sacram mensam se disponant. Et quoniam ecclesia eam confessionem faciendam edicit, quam Christus instituit; sacrilega confessione illuditur potius, quam impletur praeceptum.

CAPVT XVII.

De sacramento extremae vnctionis.

§. I. IEsus Christus, qui omni tempore seruos suos salutaribus praesidiis muniuit, eos in fine vitae etiam

etiam sacramento extremae vnctionis armauit. Est extrema vnctio sacramentum, quo per olei vnctionem & ei adhaerentem orationem infirmis gratia confertur, peccata & eorum reliquiae absterguntur, ad morbi incommoda superanda vires augentur, & corporis sanitas, si eorum saluti expedierit, restituitur. Ab oleo & vnctione, quibus confertur; hoc sacramentum a Latinis dicitur *oleum sanctum*, *oleum benedictionis* & *vnctio infirmorum*.

§. II. De sacramento vnctionis infirmorum exstat conceptissimus Iacobi apostoli locus in *epist. can. cap. V. v. 14. & seq.*, ex quo ferme omnia, quae de extrema vnctione habet ecclesia, hausta & recepta sunt. *Infirmatur quis in vobis?* sunt Iacobi verba, *inducat presbyteros ecclesiae, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine domini. Et oratio fidei saluabit infirmum: & adleuiabit eum dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.*

§. III. Itaque elementum, vnde conficitur extrema vnctio, est oleum, quod ex Iacobi verbis & perpetua traditione docet ecclesia. Trident. *sess. XIV. de sacram. extr. vnct. cap.* 1. Olei vero nomine venit oleum oliuarum, debetque esse merum; nulla enim permistionis mentio in antiquis monumentis & ritualibus libris occurrit. Ex antiqua disciplina oleum benedicitur, & quidem apud Latinos ab episcopo feria quinta in coena domini; apud Graecos vero a presbyteris semper ac dandi sacramenti datur occasio. Benedictio autem ista olei ad sacramenti naturam non pertinet, sed ecclesiae auctoritate addita est, vt eo magis de eius virtute constaret. Sambou. *de sacram. extr. vnctionis diss. III. art.* 1.

§. IV. Consecrato oleo infirmum inungi oportet: quae vnctio theologis *materia proxima* dicitur. Nihil de partibus vngendis Iacobus edixit: & hinc super ea re ecclesiae disciplina varia fuit. Olim vna pars corporis, puta pectus, videtur inuncta, quod Mabillonius *praef. ad saec. I. Benedict. n.* 97. obseruat: inde plures partes placuit inungere, inter quas alicubi fuit pars male prae reliquis adfecta, quo referebant verba Iacobi, *& adleuiabit eum dominus*. Moribus praesentibus Latinorum vnguntur quinque organa sensuum, & praeterea renes & pedes: sed renum vnctio in feminis propter honestatem semper omit-

 titur,

titur, omittiturque etiam in maribus, si prae infirmitate commode moueri non possint.

§. V. Partium vnctionem formula verborum comitatur, quae olearem istam vnctionem sacramentalem facit. Iacobus apostolus orandum super infirmum edixit, nec expressit, quibus verbis orare oporteret. Hinc ecclesiae variis orationibus & formulis vsae sunt. Formula Graecorum continetur in Euchologio, incipitque *πατερ αγιε pater sancte*, in qua praeter Deum plures sancti inuocantur. Sed Latina ecclesia in praesenti disciplina sub hac formula partes inungit, *per istam sanctam vnctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi dominus quidquid per visum* (& ita porro in aliis membris) *deliquisti. amen* (*a*). Quibus verbis contineri formam extremae vnctionis Eugenius IV. & Tridentini patres *ses. XIV. de sacram. extremae vnctionis cap.* I. docent.

§. VI. Minister extremae vnctionis iure diuino *presbyter* est: quo nomine episcopus & proprie sic dictus presbyter intelligitur (*b*). Non vero omnis sacerdos recte infirmos inungit, sed tantum parochus, qui est ordinarius sacramenti extremae vnctionis minister, *Clement. vnic. de priuilegiis*, extra quam si necessitas vrgeat, quo casu

(a) Formula ista, qua ecclesia Latina infirmos inungit, non adeo antiqua est; verba enim, quibus vnctio exprimebatur, olim directa erant, non precatiua, veluti, *inungo te oleo sancto*, aut his similia: quod Hugo Menardus *not. in sacram. S.Gregorii* & Launoius *de sacramento vnctionis infirmorum* pluribus probant. Verum semper ecclesia ante & post vnctionem preces adhibuit, quae ad vim sacramenti videntur spectasse.

(b) Verbis Iacobi conuenienter in vtraque ecclesia ad vngendum infirmum plures presbyteri conuenerunt. Vigent apud Graecos adhuc antiqui mores; at apud Latinos iamdiu vnus presbyter vngit, *cap.*14. *ex. de verbor. significat.* Cui innouationi caussam fortasse dedit auaritia sacerdotum, qui nisi accepta pecunia ad vngendos infirmos conuenire detrectabant. Quod vero oleum infirmorum operatur per fidei orationem etiam in praesenti disciplina bene est, si plures presbyteri & clerici aduocentur, quod S. Carolus *conc. IV. Mediolanensi par. II. cap.* 6. admonet: immo si tota ecclesia ad orandum inuitetur.

casu quilibet sacerdos extremam vnctionem administrat.

§. VII. Iam soli christiani infirmi, qui actualia peccata post baptismum admiserunt, extremae vnctionis capaces sunt. Infirmi autem, qui oleo Iacobeo vngendi sunt, ex praesentibus ecclesiae Latinae moribus illi censentur, *de quorum morte timetur*, vt habet Eugenius IV. *in decreto.* Et certe conuenit huius sacramenti institutioni, vt adhuc integris sensibus, nec omnino fractis viribus infirmi vngantur, vt ita salus corporis facilius restituatur (*c*).

§. VIII. Effectus extremae vnctionis est Spiritus sancti gratia, qua infirmi interius persusi, plures & salutares gratias consequuntur. Trident. *sess.XIV. de sacram. extr. vnctionis cap.* 2. In primis oleum sanctum abstergit peccatorum reliquias, & infirmos adleuat, excitatque ad morbi incommoda aequo animo ferenda, & ad daemonum tentationes superandas. Item si quae adhuc supersunt, peccata dimittit, & praesertim venialia, & indirecte etiam mortalia, puta quae commisisse infirmus ignorat, aut si confiteri non valeat. V. Nat.Alexand. *theol. dogm. & moral. lib.II. de extr. vnct. cap.*2. Et demum extrema vnctio ipsam corporis sanitatem restituit, si id spirituali infirmorum saluti Deo expedire videatur, qui secundarius, non primarius olei sancti effectus est.

§. IX. Vt vero oleum sanctum effectus producat suos, apti & dispositi infirmi sint, oportet. In primis requiritur, vt sint corde contriti & a peccatis absoluti, est enim infirmorum vnctio poenitentiae complementum. Ipsi infirmi

---

(c) Vsu veterum etiam in leuibus morbis aut morborum initio infirmi vngi solebant. Sambou. *de extr. vnct. disp.VIII. art.* 1. Qui mos apud Graecos etiam hodie seruatur. Sed in Occidente post saeculum decimum secundum extrema vnctio in mortis articulo dari coepit: qui peruersus vsus videtur inualuisse a vulgi ignorantia, qua in Anglia & Gallia credebatur, suscepta extrema vnctione non licere amplius matrimonio vti, nec carnes comedere, nec nudis pedibus ambulare, nec condere testamentum: hinc in vitae vltimam periodum dilatum est oleum infirmorum, ne si eo suscepto infirmi conualescerent, tantis incommodis obnoxii forent. V. Mabillon. *praef. in saec. I. Benedict. n.* 100. Plures canones hunc erroneum morem damnarunt.

firmi extremam vnctionem petere debent: & si id facere non valeant, etiam vnguntur, modo bene & religiose vixerint; aut si male, dum mente constabant, doloris & poenitentiae signa dederint. Praediti etiam fide viua infirmi esse debent & summa obtinendae salutis fiducia, vtpote qui per fidei orationem eriguntur.

§. X. Sacramentum extremae vnctionis ab ecclesia veluti poenitentiae perfectio & consummatio semper habitum est. Trident. *sess.XIV. de sacram. extr. vnctionis*; dimittuntur enim per hanc vnctionem reliquiae peccatorum, & quae supersunt, peccata. Hinc in veteri disciplina extrema vnctio ante eucharistiam dari consueuit, quod fuse Launoius & Grancolasius probant. Stetit hic mos ad saeculum decimum tertium, tum sensim mutatus est, iamque obtinet, vt infirmi post eucharistiam vngantur (*d*). Quod si qui hodie infirmi veteris disciplinae non ignari ante eucharistiam suscipere oleum sanctum malint, tantae religioni videtur annuendum, modo inde fideles non offendantur. V. Espen. *par. II. tit.* 8. *cap.* 2.

§. XI. Quum extrema vnctio non solum infirmos erigat, & peccata dimittat; verum etiam, si Deo placuerit, sanitatem restituat; nemo profecto, qui eius capax est, eam debet omittere. Interim iusti, qui tantum venialium peccatorum conscii sunt, nullo diuino praecepto ad suscipiendum oleum sanctum adstringuntur, nisi graves tentationes vrgeant. V. Sambou. *de sacr. extr. vnct. disp.VII. art.*3. Sed qui mortalium peccatorum, de quibus nequeunt confiteri, sibi conscii sunt, necessitate diuini praecepti ad extremam vnctionem obligantur. Praecepto autem ecclesiae etiam iusti in infirmitatibus oleo Iacobeo vngi tenentur; id enim habent omnium ecclesiarum mores, qui loco canonum sunt (*e*).

CA-

(d) Nouae disciplinae fortasse occasionem dedit dilatio extremae vnctionis ad vltimas vitae angustias; & nomen ipsum *extremae vnctionis*, quod scholastici vltimum sacramentum interpretati sunt, quando vnctionum vltimam significabat.

(e) Extremam vnctionem proxime exciperet de sacris ordinationibus tractatus, sed quidquid eius rei est parte 1. abunde explicuimus.

CAPVT XVIII.

De sponsalibus.

§. I. SPonsalia ex receptis moribus matrimonio praemitti solent, idque vt cautius matrimonium ineatur, & christiani ad sacramenti gratiam se disponant. Sunt sponsalia proprie sic dicta *futurarum nuptiarum promissio*, *can.* 3. *C.* 30. *q.* 5., seu, vt habet Florentinus iurisconsultus in *L.* 1. *D. de sponsalibus*, *mentio & repromissio futurarum nuptiarum*. Dicta autem sunt Romanis sponsalia a spondendo, quia moris fuit veteribus *stipulari & spondere sibi vxores futuras*, *L.* 2. *D. eodem:* quamuis temporis lapsu posthabitis stipulationibus solo consensu Romani sponsalia contraxerint, *L.* 4. *&* 7. *D. eod.* Cui iuri adhaesit ecclesia, quae semper docuit, etiam solo consensu sponsalia contrahi. Sunt vero canonistis sponsalia duplicis generis, alia *de praesenti*, alia *de futuro*, quorum ista sunt consensus in futuras nuptias, illa sunt consensus in praesens matrimonium.

§. II. Sponsalia proprie sic dicta omnes recte contrahunt, qui in futuras nuptias possunt consentire. Hinc sponsalia contrahere vetantur furiosi, mentecapti, infantes, *L.* 8. *& L.* 14. *D. de sponsalibus*. Sed impuberes, qui sunt septem annis maiores, siue patres siue filiifamilias, quod in futuras nuptias possunt consentire, sponsalia recte contrahunt, *cit. L.* 14., modo si contrahentes filiifamilias sint, etiam parentes consentiant, aut saltem non dissentiant: quod naturae redolet honestatem, & vtroque iure consecratum est, *L.* 7. §. 1. *D. eodem*, *can.* 1. *&* 3. *C.* 30. *q.* 5. Quoniam vero lubricum est impuberum consilium, adueniente pubertate a sponsalibus possunt resilire, *cap.* 8. *ex. de despons. impuberum*. Ipsi quoque parentes filiorum impuberum, puberumue nomine futuras nuptias paciscuntur, pactoque parentum filii stare tenentur, si expresse vel tacite consenserint, *L.* 13. *D. eo-*

D. eodem, cap. vn. §. vlt. de sponsal. in 6.

§. III. Quamuis sponsalia nudo consensu contrahantur; tamen multis sollemnibus confirmari consueuerunt, veluti sacerdotali benedictione, donationibus sponsalitiis, quas saepe sponsus sponsae, raro haec illi mittere solebat (*a*). Immo adhibiti testes sunt, & instrumenta confecta, vt ea iam contracta fuisse constaret (*b*).

§. IV. Ex sponsalibus nascitur obligatio ad nuptias contrahendas: at si sponsi fidem implere renuant, potius monentur, quam coguntur, *cap.17. ex. de sponsalibus* (*c*): nu-

(a) Vocantur huiusmodi munera *donationes sponsalitiae*, *arrhae* & *pignora*: inter quae maxime eminebat anulus, quem, tamquam mutuae pactionis signum, sponsus sponsae dare consueuit, eumque *pronubum* Tertullianus *apol. cap. VI.* appellavit. Vsus anulorum receptissimus erat apud Romanos, at non ornatus caussa, sed in signandi vsum: obsignari enim solitas arcas penuarias, ne a seruis surriperentur, ex Plinio Baronius *ad an. LVII.* obseruat. Etiam in pignus futurarum nuptiarum mulieribus Romani anulos dabant, idque vt indicaretur custodia rei domesticae, quae vxori erat demandata. Vsum anuli pronubi christiani retinuerunt, eique signum fidei insculpere solebant. Erat vero anulus Plinii aetate ferreus & sine gemma, sed secundo ecclesiae saeculo iam aureus vsurpabatur.

(b) Porro sponsalia confirmata per osculum, quod vir sibi desponsae mulieri impingebat. Vsus osculi in matrimoniis etiam apud ethnicos cognitus fuit, teste Tertulliano *de veland. virginib. cap. XI.*, at potiori ratione illud in sponsalibus suis christiani, apud quos nihil osculo sanctius & vsitatius, vsurparunt, *L.5. C. Th. de sponsalibus.* Sed in Occidente simul ac pristina simplicitas in malitiam degenerauit, osculum sponsalitium sensim desueuit, at apud Graecos adhuc perseuerat. V. Mazoch. *diatr. in can. Illiber. LIV.* apud Muscettulam *de sponsalib. & matrim. filiorumfam.*

(c) Iure Romano ex sponsu actio efficax ad nuptias contrahendas non dabatur; nuptiis enim, quae potius animos, quam corpora debent illigare, aduersari videbantur coactiones: & praeterea vbi diuortiorum licentia recepta erat, sponsaliorum firmitas nulla esse poterat. Sed apud christianos inde vsque ab initio magna vis sponsalibus haesit, praesertim si per osculum & sacerdotalem benedictionem contracta essent. Conc. Illiber. *can.*

nuptiae enim potius mutuo amore, quam coactionibus iniri debent. Franc. Florens *in Gratiani cauf.XXVII. q.* 2. Et si Alexander III. etiam *ecclesiastica censura compellendum* inuitum sponsum respondit, *cap.9. ex. eodem*, id ea exceptione dixit, *nisi rationabilis caussa exstiterit:* & in hoc negotio, vbi coactiones fini videntur aduersari, vel leuissima caussa rationabilis censetur, quod recte Mazochius *in Muscettul. not. XXXIV.* obseruat. Quod si adiuncta aliud suadeant, puta si per osculum pudicitia delibata sit, vel si sponsa deflorata; omnino ad nuptias sponsus cogi debet.

§. V. Pluribus modis sponsalia, etsi rite contracta, dissoluuntur, nec enim indissolubili vinculo adstringunt. In primis soluuntur mutuo consensu, etiamsi iureiurandi religione confirmata sint, *cap.2. ex. de sponsalibus*. II. per matrimonium, quod sponsorum alter iniuria quidem, sed valide cum alia, alioue contraxit. III. per ordinis sacri susceptionem, *cap. vn. de voto in 6.*, & per ingressum in religionem eiusue professionem; sed quousque religionis emittitur professio, conuersi obligatio potius in suspenso est, quam soluitur; relictus vero ab initio liberatur. IV. soluuntur sponsalia sequenti alterutrius fornicatione, idque in solius innocentis gratiam, *cap. 25. ex. de iureiurando*, itemque constanti & insigni alterutrius infirmitate, aut deformitate, quae superuenit, veluti si mulier leprosa fiat, aut paralytica, seu quidquam aliud ei turpius aduenerit; omnibus enim pactionibus, multo magis sponsalibus, inest conditio, *rebus ita stantibus*. V. per profectionem alterutrius ad longinqua sine alterius consensu, respectu tamen partis relictae, *cap.5. ex. de sponsalib.*

CA-

can. LIV. Trullan. *can. XCVIII.* Ex qua disciplina christiani imperatores poenis subiecerunt sponsos fidem implere nolentes, *L.6. C.Th. de sponsalibus*, *L.5. C. eod.* Stat adhuc in Oriente tanta sponsaliorum vis, quod osculum & arrhae fidei datae accedant; at in Occidente, vbi osculum & benedictio vsurpari desierunt, obligatio ex sponsalibus aliquatenus oblanguit.

CAPVT XIX.

De ſacramento matrimonii.

§. I. NVptiae, ſeu matrimonium ex creatoris intentione videntur eſſe ſocietas indiuidua, quam maſculus & femina procreandae & educandae ſobolis & mutui praeſidii gratia ineunt. Sane contrahuntur nuptiae ad filios procreandos & educandos; parum eſt genuiſſe filios, niſi educentur; infantes enim recens nati ſibi non ſufficiunt, & deinde dum adoleſcunt, longa & ſtudioſa inſtitutione indigent. Hinc tener amor parentibus erga filios inditus, vt ſcirent, ſe ad eos educandos teneri. Porro qui in indiuiduam vitae conſuetudinem & in generationem liberorum conſentiunt, ſibi mutuo ſunt adiutorio. Hinc naturae inſtitutis aduerſantur omnes vagae & incertae commiſtiones, quae parum ad generationem, nihil ad educationem liberorum proſunt.

§. II. Natura & origine ſua matrimonium contractus eſt; at apud chriſtianos etiam inter ſacramenta cenſetur: quae eccleſiae doctrina eſt. Duplici vero ratione matrimonium ſacramenti religione donatur, & quod rem arcanam, coniunctionem nempe Chriſtum inter & eccleſiam, ſignificat: quo ſenſu apoſtolus *ad Epheſ. V.* 32. illud *magnum ſacramentum* dixit: & quod ſub ſigno ſenſibili gratiam effundit, per quam coniuges caeleſti benedictione augentur, quidquid lutei nuptiis ineſt, purificatur, & vires dantur ad matrimonii onera ſuſtinenda. Sane antiqui patres, Tertullianus *lib. II. ad vxorem cap. vlt.* Ambroſius *epiſt. LXX.* & Chryſoſtomus *hom. XLVIII. in Geneſim* nuptias chriſtianas caeleſti benedictione impleri & ſanctificari docent. Et hoc poſteriore ſenſu matrimonium eſt vnum ex ſeptem eccleſiae ſacramentis.

§. III. Matrimonium a theologis diuidi ſolet in *legitimum*, *ratum* & *conſummatum*. Legitimum ſecundum leges gentium contrahitur, non in fide Chriſti, qualia ſunt

funt matrimonia infidelium. Ratum a fidelibus ex regulis chriftianae religionis contrahitur, fed nondum corporum coniunctione in vfum deductum eft. Confummatum vero eft, fi corporum vfus accedat, exprimitque facramentum inter Chriftum & ecclefiam; cuius facramenti ratione perfectum & confummatum dicitur, nam ratione ciuilis negotii & alterius facramenti, quod gratiam effundit, etiam ratum cenfetur perfectum.

§. IV. Iam quod fpectat materiam, formam & miniftrum facramenti matrimonii, theologi difputant, ecclefia filet. Eorum multi ipfos contrahentes materiam, & verba, quae confenfum exprimunt, formam faciunt. Alii verba ipfa, feu confenfum mutuum verbis aut fignis expreffum, diuerfa ratione materiam & formam effe docent: & materiam quidem, quatenus determinantur, formam vero, quatenus determinant. Item fcholaftici ipfos contrahentes facramenti miniftros faciunt. Sed ex meliori eft fententia Melchior Canus, Eftius, Drouuenus, Natalis Alexander aliique docent, materiam facramenti effe ipfum ciuilem contractum, formam in benedictione facerdotali contineri, miniftrum vero effe facerdotem, qui nuptiis benedicit. Sane nuptiis gratia accedit per facerdotalem benedictionem, quae eft veterum patrum fententia. Ambrof. *ep. LXX.* Chryfoft. *hom. XLVIII. in Genef.* Tranfuerfos egit fcholafticos vtriufque iuris fententia, matrimonium confenfu perfici: atque ita materiam, formam, & miniftrum facramenti in ipfis contrahentibus quaefiuerunt. Sed facile erat obferuare, confenfu perfici contractum, facramentum vero hierologia.

§. V. Cauffa efficiens contractus matrimonii eft mutuus contrahentium confenfus, quo verbis, aut fignis declarant, fe in indiuiduam vitae confuetudinem confentire, *L.30. D. de regulis iuris*, *can.1. & 2. C.27. quaeft. 2.* Nimirum matrimonium focietas eft, & focietates confenfu contrahuntur. Edi vero poteft confenfus in nuptias etiam vicaria alterius opera, modo ad id fpeciale mandatum detur, procurator datus per fe mandatum impleat, & mandans tempore contracti matrimonii in confenfu perfeueret, *cap. vlt. de procurat. in 6.*

§. VI. Praeter coniugum confenfum, fi filiifamilias

nu-

nuptias ineant, etiam parentum, sub quorum potestate sunt, consensus requiritur: quod ius ipsa natura duce omnes peraeque gentes seruarunt, in primis Romani, apud quos inuito patrefamilias filiorum nuptiae prorsus irritae erant, *pr. tit. instit. de nuptiis*, *L.2. D. de ritu nuptiar.* Ecclesia in imperio nata leges ciuiles secuta est, quod ius vsque ad saeculum decimum secundum stetit. V. Ivenin. *de sacram. diss. X. q. 5. cap. 3. art. 1.* Inde obtentu libertatis matrimonii noua inualuit doctrina, quae adserit, grauiter peccare filios sine parentum consensu contrahentes, at valere contractas nuptias: cui sententiae Tridentina synodus *sess. XXIV. de ref. matrim. cap.1.* adhaesit. Hinc tristis & inauspicata libertas matrimonii apud catholicos viget: nam libertas matrimonii certe non postulat, vt filii pro libidine & licentia sua sibi quaerant vxores (*a*).

§. VII. Quoniam vero qui errant, non consentiunt, hinc si coniugum vnus, aut ambo errent, nuptiae nullae sunt. Sed distinguere oportet, vtrum error sit circa personam contrahentium, an circa qualitates. Etenim error personae omnino nuptias nullas facit; at errore qualitatis contractae nuptiae valent, veluti si quae pulchra aut diues putetur, inde deformis, aut pauper inueniatur; qui enim hoc errore contrahit, vere in personam consentit, nisi error qualitatis *redundet in personam*, inquit S. Thomas *in IV. sententiar. dist. 30. q. 1. art.2.*, hoc

(a) In Gallia regum edictis matrimonia filiorumfamilias inuitis parentibus inita habentur *inualide contracta*, quod alii de solis ciuilibus effectibus interpretantur, alii vero ita accipiunt, vt matrimonium ipsum omnino nullum & irritum sit. Et multarum gentium legibus parentes filios suos talia matrimonia contrahentes exheredes scribere possunt: quod pluribus Muscettula & Mazochius illustrant. Similiter apud nos Regis nostri lege, quae VI. Kal. Iulias anno CIↃIↃCCLXXI. prodiit, inter caussas exheredationis censetur, si filii aut filiae, etiamsi emancipati sint, matrimonia sine patris, aut eius, qui vice patris est, consensu ineant, modo mares nondum elapso anno tricesimo, feminae nondum vicesimo quinto contraxerint.

hoc eſt, niſi contrahens ita adhaeſit illi qualitati, vt ſi haec abeſſet, matrimonium non contraxiſſet, veluti ſi principis offeratur filia tamquam primogenita & heres regni, quae vere talis non eſt. Verum detecto errore conſenſus etiam praeſumtus nuptias irritas conualidat.

§. VIII. Porro non eſt in nuptias conſenſus, atque ideo nullae nuptiae, ſi ex vi metuque graui exterius illato contrahantur, *cap.* 28. *ex. de ſponſalibus*. Conſentiunt quidem qui metu agunt, at non omnino libere: & hinc coactus iſte conſenſus ex graui metu extortus non ſufficit ad matrimonium, quod animos potius, quam corpora adligat. Nihil vero intereſt, vtrum ab ipſo coniuge, an a patre, an ab alio metus fiat, *cap.*11. *ex. de deſponſ. impuberum*, modo directe in finem matrimonii contrahendi inferatur, Gonzalez *in cap.* 15. *ex. de ſponſalibus n.*4.; & qui metum infert, id nullo iure faciat: nam ſi quis metu poenarum a magiſtratu cogatur mulierem, quam violauit, vxorem ducere, matrimonium valet; magiſtratus enim iure cogit: & actio imperio eius, cui cogendi ius eſt, ſuſcepta agenti imputatur.

§.IX. Contractis ſponſalibus, antequam matrimonium contrahatur, fieri debent proclamationes, ſeu *banna*, vt appellantur Gallica lingua, quibus vtriuſque contrahentis parochi tribus continuis diebus feſtis inter miſſarum ſollemnia populo denuntiant nomina eorum, qui nuptias contrahere intendunt, vt impedimentum, ſi quod fortaſſe ſubſit, detegatur, *cap.*3. *ex. de clandeſt. deſponſatione*, Trident. *ſeſ.XXIV. de ref. matrim. cap.*1. (*b*). Sed edicta iſta ad matrimonii vim non pertinent, recteque poſſunt epiſcopi eorum vel in totum vel pro parte veniam facere.

§. X. Iam matrimonia ſollemni ritu contrahenda ſunt, quod intereſt reipublicae & eccleſiae, vt familiarum ſtatus conſiſtat. Sane gentes omnes ſollemnibus modis nu-

Pars II. Y ptias

(b) Inde vſque a primis ſaeculis chriſtiani nuptias *apud eccleſiam profiteri* conſueuerunt, quod Tertullianus *de pudicit. cap. IV.* teſtatur: qui mos mediis ſaeculis in multis eccleſiis intermiſſus, in ſynodo Lateranenſi ſub Innocentio III. ab aliquibus locis ad omnes eccleſias extenſus eſt, *cap.*3.*ex. de clandeſt. deſponſat.*

ptias contraxerunt; & ecclesia suos ritus addidit, quibus illae sacrae fierent. Praecipuus vero christianorum ritus fuit hierologia, seu sacerdotalis benedictio: qui ritus vel a primis saeculis obtinuit, Tertull. *lib. II. ad vxor. cap. 9.* Ambros. *epist. LXX.* V. Bingham. *orig. eccles. lib. XXII. cap. 4. §. 1.* Benedictio ista nuptiarum a sacerdote de more aliarum benedictionum facta videtur, nempe per manuum impositionem. Clem. Alexandr. *paedag. lib. III. cap. 11.* Et quidem inter missarum sollemnia, & hinc missa propria nubentium tandem recepta est.

§. XI. Sollemnis & publica christianarum nuptiarum benedictio diu sola religione stetit: nec iure ciuili christianorum principum ad vim contractus matrimonii pertinuit. Probabant quidem christiani principes per benedictionem nuptias consecrari; at interim legitima habebant matrimonia ex forma legum ciuilium contracta. Hinc in veteri disciplina non defuerunt christiani parum religiosi, qui benedictionem omitterent, praesertim vbi non ex sententia ecclesiae nuptias contrahebant, contenti legitimas, etsi non sacras, nuptias contraxisse. Sed tandem christiana nuptiarum benedictio in legem ciuilem abiit, & ita nec legitima fuerunt matrimonia, nisi coram ecclesia benedictione sacerdotum consecrarentur: quod ius in Occidente Carolus M. *lib. VII. capitul. cap. 363.* & in Oriente Leo Sapiens *nouel. LXXXIX.* constituerunt.

§. XII. Per ecclesiam inducta & inde per leges ciuiles confirmata nuptiarum benedictio in ecclesia Graeca deinceps stetit; at in Occidente remissior disciplina inualuit, quae tenebat quidem, matrimonia coram ecclesia benedictione sacerdotali esse celebranda, verum simul valida, etsi illicita, habebat matrimonia clandestina, quae sine hierologia clam ceteris omnibus ipsi sponsi contraxissent, *cap. 11. ex. de clandest. desponsatione, cap. 3. ex. de sponsalib.* (c). Magno autem incommodo & reipublicae & ecclesiae

(c) Inualuerunt hi degeneres mores ex male accepta sententia legum & canonum, per consensum nuptias contrahi. Consensus nempe, qui legitimus & sollemnis esse debebat, sic acceptus est, quasi etiam clam editus sufficeret. Franc. Florens *in Grat. caus. XXX. quaest. 5.*

clesiae fuerunt clandestina matrimonia: filiorum & familiarum status incertus erat; & mariti suarum vxorum saepe pertaesi eas dimittebant, & nouas nuptias attentabant.

§. XIII. Sed tandem ecclesia Occidentalis matrimonia clandestina omnino irrita fecit. Statuerunt enim Tridentini patres *sess. XXIV. de ref. matrim. cap.* 1. matrimonium contrahi debere coram parocho, seu alio sacerdote, de ipsius parochi, seu ordinarii venia, & duobus vel tribus testibus, & aliter contractum nullum esse (*d*), itemque matrimonium ab eodem parocho benedici debere (*e*). Parochus autem, coram quo matrimonium contrahere oportet, est ille, in cuius paroecia contrahentes vere morantur, etsi eo loci perpetuo morari non intendant: & si contrahentes sint diuersarum paroeciarum, vnus parochus siue viri, siue mulieris matrimonio adsistet, quamuis in multis locis mos ferat, vt coram parocho mulieris matrimonium celebretur. Et quod spectat ad testes, ii cuiuscumque generis sint, sufficiunt, modo quid agitur, intelligant.

§. XIV. Sollemnia nuptiarum ex regulis nouae disciplinae non licet celebrare ab aduentu domini vsque ad Epiphaniam, & a feria quarta cinerum vsque ad octauam Paschae. Trident. *sess. XXIV. de ref. matrim. cap.* 10. Poenitentiae nimirum tempus nuptiarum pompis & deliciis aptum non censetur.

§. XV. Plures iustarum nuptiarum effectus sunt, qui vel ex ipsius coniugii natura, vel ex ciuili iure, vel sa-

(d) Quo decreto etiam contractui ciuili certa forma data est, idque ex disciplina a pluribus saeculis in Occidente recepta, qua ecclesia etiam de contractu matrimonii edicebat, & ex consensu christianorum principum, qui vel per legatos suos, vel postea huic decreto consenserunt.

(e) Num benedictio sacerdotalis ad vim nuptiarum pertineat, simul Tridentini patres non definierunt. Hinc receptum est inter nostros, valere nuptias coram parocho inuito & sine hierologia contractas, modo parochus de matrimonio contrahendo certior factus sit. Sed si admittatur, per benedictionem nuptias sanctificari, in hac specie matrimonium sacramentum esse non videtur.

cramenti religione dimanant. In primis coniuges per matrimonium fiunt duo in vna carne, & alter in alterius corpus ius adquirit. Item liberi nascuntur legitimi & in patris potestate. Per matrimonii quoque sacramentum coniuges gratia implentur, qua mutuus eorum amor adiuuatur, fides matrimonii sustinetur, & matrimonii & familiae onera euadunt leuiora.

§. XVI. Quaeres, an omnes natura habiles matrimonium contrahere tenentur? Satis aucto humano genere non omnes ex principiis iuris naturalis ad nuptias contrahendas obligantur, quod Pufendorfius *de iur. nat. & gent. lib. VI. cap.* 1. §. 7. probat: non desunt enim qui ferundo familiae & educationis filiorum onere impares sunt; alii vero, qui caelibes vtiliores ceteris hominibus esse possunt. Nec christiana religio singulos ad nuptias contrahendas adstringit: quin potius qui dono caelibatus donantur, melius faciunt, si procul a nuptiis Deo animum & corpus suum consecrent. Et merito pro religione sua Constantinus M. caelibatus poenas sustulit. *L.* 1. *C. de infirmand. poenis caelibatus.*

C A P V T XX.

De iis, qui nuptias contrahere vetantur.

§. I. SVnt quaedam receptae regulae, quae quasdam personas omnino inhabiles ad matrimonium contrahendum reddunt, & si reapse contrahant, illud tamquam initio nullum, dirimunt; aliae vero tantum personas impediunt, quo minus contrahant, sed contractum non soluunt. Hinc matrimonii impedimenta duplicis generis exorta, *dirimentia* nempe, & *impedientia*, vt appellantur.

§. II. Proueniunt autem omnia matrimonii impedimenta aut iure naturae, aut iure diuino, aut legibus principum, aut sacris canonibus. Est enim matrimonium non tantum naturae institutum, verum etiam ciuile negotium & ecclesiae sacramentum. Et quod spectat ad leges ci-

ciuiles, in compertis est, summis imperantibus ius esse, quo impedimenta, etiam dirimentia, constituant: quod doctiores theologi docent. *Matrimonium*, ait S. Thomas *lib. IV. contra gent. cap.* 78., *in quantum ordinatur ad bonum politicum, subiacet ordinationi legis ciuilis*. Sane christiani imperatores & deinceps reliqui reges legibus suis varia nuptiarum impedimenta dirimentia constituerunt; gradus cognationis & adfinitatis, in quibus illae contrahi non possent, finierunt; rescriptis suis vetita matrimonia permiserunt, & totius contractus curam ad se pertinere professi sunt. Verum a multis saeculis rariora facta sunt principum edicta, quae de vi ipsa matrimonii statuant, siue quod illi religioni sibi ducerent de re, quae magnum erat sacramentum, leges ferre; siue quod sua interesse viderent cum episcopis non disceptare.

§. III. Potestate quoque dirigendi & ordinandi matrimonii, vt ad finem religionis tendat, donatur ecclesia. Et reapse omni tempore ecclesia canones condidit, vt fideles in domino nuptias inirent. Verum regulae istae per sex priora & amplius saecula videntur spectasse solam sacramenti religionem, non naturam & vim contractus; inde ecclesia sensim aucta est potestate, qua ipsum ciuile negotium dirigeret, & personas ad contrahendum omnino inhabiles faceret: quod Basilius Pontius *de matrimonio* pluribus adstruit (*a*). Nempe sacramentum matrimonii, quod ciuili contractui innitebatur, principale iudicatum est: & ita inualuit, vt ecclesia impedimenta dirimentia statueret.

§. IV. Iam iure naturae in primis nuptias non contra-

(a) Et sane antiqui canones numquam edicunt, matrimonia dirimi, si non ex eorum scitis contracta essent, sed tantum poenitentiam iniungunt: & porro constat ex concilio Mileuitano II., cui S. Augustinus interfuit, ecclesiam summos imperantes adire consueuisse, si legem ad matrimonii vinculum spectantem edendam iudicaret, *can. CII. C. Afric.* Sed temporis lapsu ecclesia etiam impedimenta dirimentia constituit, quin ipsa ciuilia modificauit, auxit, abrogauit: quod ius saeculo sexto incepisse videtur, inde sensim creuit, & saeculo decimo secundo per Occidentem receptum erat.

trahunt inhabiles ad concubitum, siue per teneram aetatem tales sint, siue alio corporis vitio, vel magicis incantationibus frigeant (*b*). Puberes iure Romano censentur mares anno decimo quarto expleto, & feminae decimo secundo item expleto viri potentes habentur, *pr. tit. inst. quibus modis patria potestas soluitur*. Itaque ante hanc aetatem nuptiae nullae sunt, nisi malitia suppleat aetatem, hoc est, nisi natura praecox vim generandi praeuertat, *cap.9. & 14. ex. de desponsat. impuberum*. Nec nuptias iure naturae ineunt, qui aetate maiores perpetua & immedicabili impotentia laborant, *cap.4. & seq. ex. de frigid. & maleficiatis*. Quod si reapse matrimonium inter impotentes contractum sit, & dubia sit impotentia, triennium ad explorandas vires conceditur, quo exacto matrimonium dirimitur, nisi velint tamquam fratres & sorores cohabitare, *cap. 5. & 7. ex. eodem*.

§. V. Item iure naturae nuptiae in certis gradibus vetantur inter cognatos & adfines. Cognatio proprie sic dicta est proximitas inter eos, qui per generationem ab eodem stipite descendunt, siue ex iustis nuptiis, siue ex quouis alio etiam illicito congressu proueniat. Constat cognatio lineis, lineae vero gradus habent suos. Linea est series personarum a communi stipite descendentium: eaque vel recta est, quae genitores & genitos exhibet, vel transuersa, in qua ex latere coniuncti continentur: qui si aequo gradu distant a stipite, transuersa aequalis est, si vnus altero remotior sit, inaequalis appellatur. Gradus est distantia inter cognatos, quae a communi stipite aestimatur.

§. VI. Iure ciuili vna & perpetua regula in omnibus lineis

(b) Impotentes ad matrimonium vitio debilis frigidaeque naturae vocantur *frigidi*, obstricti vero daemonum ope *maleficiati*, exstatque in decretalibus tit. *de frigidis & maleficiatis*. Nimirum antiqua sententia est, etiam apud ethnicos recepta, venereum impetum incantationibus & susurris magicis infringi, quod Chardonius *in historia matrimonii cap.XIV.* probat: etsi alioquin dubitandum non videatur, saepe ex physicis caussis & phantasiae vitio iacere in frigido lecto, qui se maleficiatos putant.

lineis gradus computantur, *generata persona gradum adiieit*, §.7. *instit. de gradib. cognatorum*, seu tot sunt gradus, quot generationes. In linea recta ex ciuili regula canones gradus metiuntur, nisi quod loco generationum personas vsurpant, & ita tot numerant gradus, quot personas, demto tamen stipite. Sed in linea transuersa ab iure ciuili recentiores canones distant (c): etenim in transuersa aequali collaterales eo gradu sunt inter se, quo distant a stipite communi: & in inaequali, eo gradu inter se distant, quo remotior a stipite. Valet vero ecclesiasticus computus tantum in matrimoniis; nam in hereditatibus adhuc ex ciuili regula gradus aestimantur.

§. VII. Iure naturae in linea recta, seu inter generantes & genitos nuptiae omnino interdictae sunt; natura enim a talibus nuptiis abhorremus; & officia coniugum non bene conueniunt cum officiis, quae parentes & liberi sibi mutuo debent. Sed in linea transuersa etiam naturalis pudor, sed non tantus, videtur vetare nuptias inter fratres & sorores. Iure Romano nuptiae inter fratres & sorores semper vetitae sunt: & in linea transuersa inaequali vetabantur inter patruum aut auunculum & filiam fratris aut sororis: nec quis neptem fratris aut sororis vxorem ducere poterat, §.3.*inst.tit. de nuptiis.* Nuptiae vero inter patrueles & consobrinos iure antiquo Romano non vetabantur. V. Euerard. Ottonem *diss. de nuptiis consobrinor. cap.III.* Primus Theodosius M. eas nuptias vetuit, *tantum pudori tribuens & continentiae*, inquit de eo Aurelius Victor *epit. histor.* Sed Arcadius reuocata pristini iuris auctoritate legem patris sustulit, *L.* 19. *C. de nuptiis*. Et similiter Iustinianus consobrinorum nuptias permisit, §. 4. *institut.*

(c) Per plura saecula ecclesia etiam in linea transuersa ciuilem graduum computationem secuta est: quod Cuiacius, Espenius aliique viri docti obseruant. Certe Ambrosius *ep.LX. ad Patern.* fratres patrueles quarto gradu, & auunculum & filiam sororis tertio gradu inter se sociari adfirmat: quae ipsissima ciuilis computatio est.

§. VIII. Quod vero ſpectat ad eccleſiam, ea in cognatorum nuptiis & naturae inſtituta & leges ciuiles ſecuta eſt. Ergo in linea recta nuptiae in infinitum inter chriſtianos interdictae ſunt. Et ante Theodoſium M. nuptiae inter conſobrinos non erant interdictae, quod Auguſtinus *lib. XV. de ciuit. Dei cap.* 16. teſtatur. Inde ius Theodoſianum ſemper ſeruauit eccleſia, licet Arcadii & Iuſtiniani legibus conſobrinorum matrimonia reſtituta eſſent. Immo poſt ſaeculum ſeptimum in Occidente nuptiae vſque ad ſeptimum ex latere gradum interdictae ſunt (*d*). Inde recepta canonica graduum computatione, & retenta eadem nuptiarum prohibitione, nuptiae inter coniunctos ex latere vſque ad decimum quartum gradum ex ciuili computatione interdictae ſunt: quod ius & in cognatione & in adfinitate ſaeculo decimo ſecundo receptum fuiſſe videtur, quod Eſpenius *par. II. tit.*13. *cap.* 5. obſeruat. Tam vero patens nuptiarum prohibitio incommodo erat reipublicae & eccleſiae, quod nuptias admodum difficiles reddidiſſet. Hinc Innocentius III. in concilio generali tam vagam prohibitionem reſtrinxit, ſtatuitque, vt tantum vſque ad quartum conſanguinitatis gradum deinceps nuptiae vetarentur, *cap.* 8. *ex. de conſanguinit. & adfinitate* (*e*).

§. IX. Praeter cognationem ex ſanguine etiam cognationes ciuilis & ſpiritualis nuptias nullas faciunt, dirimuntque.

(d) Cauit ſynodus Romana anno IↃCCXXI. ſub Gregorio II., vt nullus de propria cognatione vxorem accipiat: idque ex *Leuit. cap. XVIII. v.6.* repetitum videtur. Hinc ſolliciti epiſcopi quovſque cognatio extenderetur, auctoritate Paulli iuriſconſulti *in lib. IV. ſententiar. tit.*11., vbi ſucceſſionis gradus ſeptem conſtituuntur, videntur concluſiſſe, cognationem ad ſeptimum gradum extendi, & in eo nuptias etiam ex làtere interdici.

(e) Huius iuris hanc pontifex dedit rationem, *quia quatuor ſunt humores in corpore, qui conſtant ex quatuor elementis*. Nouum non eſt, etiam viros ſummos ineptas iuris conſtituti rationes adſignare, vt exemplo eſſe poteſt Paullus iuriſconſultus *lib. IV. ſentent. tit.* 9. §. 5.

que. Cognatio ciuilis ex adoptione eſt, dirimitque nuptias iure ciuili inter adoptantem & filiam adoptatam, & in linea recta generatim inter eos, qni parentum & liberorum loco ſunt, etiam diſſoluta adoptione, §. 1. *inſt. tit. de nuptiis*, *L.*55. *D. de ritu nuptiar.* Item filius naturalis nec ſororem adoptiuam, nec amitam, nec amitam magnam adoptiuam ducere poteſt, *L.*17. *D. eod.* Sed in linea tranſuerſa nuptiae diſſolnta adoptione conſiſtunt, *cit. L.* 55. Impedimentum cinilis cognationis integrum ab iure cinili eccleſia recepit, nec in eo aliquid mutauit, *can.6. C.*30. *q.*5., *cap. vn. ex. de cognat. legali.* Hinc Cuiacius *in tit. decretalium de cognat. legali* docet, ciuilem fraternitatem etiam hodie nuptias dirimere.

§. X. Cognatio ſpiritualis ex baptiſmo & confirmatione eſt, quod ſuperius explicnimns. Antiqua eſt eccleſiae doctrina, qua veluti pater ſpiritualis cenſebatur, qui alicui baptiſmum dederat, aut aliquem in Chriſto inſtituerat, & de ſacro fonte ſuſceperat. Origen. *ad Rom. XVI.* 21. Sed cognatio iſta olim nuptiis non erat impedimento, adeo vt ipſi parentes de baptiſmo filios ſuos ſuſciperent. Auguſt. *epiſt.XXIII. ad Bonif.* Saeculo ſexto lege Iuſtiniani ſtatutum, ne qnis ex baptiſmo ſuſceptam vxorem duceret, *L.* 26. *C. de nuptiis*. Sed temporis lapſn impedimentum hoc extenſnm eſt ad alias perſonas ad inſtar conſanguinitatis & adoptionis, hactenus vt ſuſcipiens ex ſacro fonte eiuſque filii nec ſuſceptam, nec eius cognatos ducere poſſent. Ita nuptiae difficiles factae: tandem vero Tridentina ſynodus *ſeſ. XXIV. de ref. matrim. cap.* 2. cognationem ſpiritnalem reſtrinxit, ac contrahi ſtatnit inter ſuſcipientem & baptizatnm ipſum & huins patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum huinſque patrem & matrem: quod ius etiam in confirmatione ſeruari voluit.

§. XI. Venio nunc ad adfinitatem, quae iure ciuili eſt neceſſitudo inter coniugem vnnm & alterius cognationem, ita dicta ex eo quod vna cognatio per nuptias ad alterius finem, qui maritus, ant vxor eſt, accedit, *L.* 4. §.2. *D. de gradibus*. Iure cinili tantnm ex nnptiis adfinitas exorta videtur, ſed iure decretalium ex quacumque carnis commiſtione inducitur, *cap.* 8. *ſeq. ex. de eo,*

qui

qui cognouit consang. (f). Quod vero adfines ab adfinibus non generantur, nulli proprie gradus inter eos sunt: at exemplo cognationis etiam quasi adfinitatis gradus recepti sunt: & ita quo gradu quis est cognatus viro, eo est adfinis vxori, & contra, *can.* 3. C. 35. *q.* 2. *&* 3.

§. XII. Iure gentium non minus quam ciuili in linea recta adfinitatis nuptiae in infinitum vetitae sunt. Sed inter adfines ex latere iure Romano neque frater vxorem defuncti fratris ducere, neque soror marito sororis defunctae nubere potest, quoniam per adfinitatem frater & soror facti censentur, *L.* 5. 8. *seq. C. de incest. nuptiis.* Longo tempore etiam in adfinitate ecclesia ciuile impedimentum secuta videtur; at inde impedimento cognationis ad septimum ex latere gradum extenso, etiam adfinitas vsque ad septimum ex latere gradum nuptiis fuit impedimento: quod difficiles nuptias, non secus ac in cognatione, faciebat. Ergo Innocentius III. in concilio generali nuptias inter adfines ex latere tantum intra quartum gradum canonicae computationis fieri vetuit, *cap.* 8. *ex. de consang. & adfinit.* Et demum synodus Tridentina *sess. XXIV. de ref. matrim. cap.* 4. adfinitatem ex illegitima coniunctione ad secundum gradum restrinxit.

§. XIII. Porro ex quasi adfinitate, seu potius publica honestate iure Romano non licebat filio sponsam patris, nec huic illius sponsam ducere, *L.* 12. §. 1. *&* 2. *D. de rit. nuptiarum*, nec erant nuptiae inter sponsum & sponsae matrem, *L.* 14. §. 4. *D. eodem:* quae omnia locum habebant

(f) Quin ex nuptiis exorta adfinitas iure decretalium triplicis generis erat ex triplicibus gradatim contractis nuptiis. Etenim primae nuptiae cognatos viri adfines primi generis vxori faciebant; quae est proprie sic dicta adfinitas: inde si superstes vidua ad secundas nuptias transiret, hic secundus maritus adfinis secundi generis cognatis primi viri erat: & demum si muliere mortua eius superstes maritus aliam vxorem duceret, haec tertii generis adfinis cognatis primi viri censebatur. V. Cuiac. *ad tit. decret. de consang. & adfinitate.* Sed tandem Innocentius III. in concilio generali duas posteriores adfinitatis species, quae difficiles admodum nuptias fecerant, abrogauit, *cap.* 7. *ex. eodem.*

bant etiam dissolutis sponsalibus; inhonestum enim visum, vt dissolutis sponsalibus filius sponsam patris, aut sponsus matrem sponsae duceret. Longo tempore ecclesia etiam in publica honestate leges ciuiles secuta est, at inde impedimentum hoc ad septimum ex latere gradum productum, *can.* 15. C. 27. *q.* 2. Sed ab Innocentio III. in concilio generali etiam publica honestas ad quartum gradum restricta videtur. Ex sponsalibus autem nascebatur honestas, *si pura & certa* essent, hoc est sine conditione & cum certa persona contracta, etsi quauis ratione inualida, modo non essent nulla ex defectu consensus, *cap. vn. de sponsalibus in 6.* Tridentinae synodi decreto *sess. XXIV. de ref. matrim. cap.* 3. honestas ex sponsalibus quacumque ratione nullis sublata est, & ex validis primum gradum non excedit.

§. XIV. Inhabiles quoque sunt ad nouas nuptias contrahendas, qui adhuc pristino coniugio ligantur: iure euangelico & ciuili polygamia interdicta est. Itaque apud christianos non licet nouas nuptias contrahere, nisi ante de coniugis morte certo nuntio constet, *cap.* 19. *ex. de sponsalibus.*

§. XV. Porro nullae sunt nuptiae, quas homines liberi cum seruabus, quas putant esse liberas, contrahunt. Iure ciuili serui, qui potius res, quam homines habebantur, de consensu dominorum non nuptias, sed contubernia contrahebant, matrimonia nempe naturalia iuris effectibus destituta: quod ius olim ecclesia seruauit. Inde contubernia seruorum sensim in rata matrimonia abierunt, & inuitis etiam dominis contracta sunt, *cap.* 1. *ex. de coniugio seruorum:* quin etiam admissae legitimae nuptiae hominis liberi cum serua, modo ille coniugis conditionem non ignorasset, *can.* 2. 4. *& seq.* C. 29. *q.* 2. Contigit tanta mutatio ex principiis christianae religionis, quae habent, apud Deum non esse personarum acceptionem, *can.* 1. *& seq. eod.* Quamuis haud scio, an verissima alioquin doctrina debuisset adeo extendi, vt ciuium ordines confunderet. Vnum tantum ex veteri disciplina superest, quod nullae sunt nuptiae, si homo liber ignorans contrahat cum serua, licet error qualitatis sit, *cap. vlt. ex. eodem.*

§.XVI.

§. XVI. Item nullum est matrimonium inter raptorem & raptam. Raptus est abductio puellae per vim aut dolum facta, siue ipsa inuita sit, siue ipsa consentiat, parentibus inuitis. Primus Iustinianus videtur statuisse, ne vmquam rapta matrimonio raptori coniungatur, etsi rapta eiusque parentes consentirent, *L. vn. C. de raptu virginum:* quod ius in vtraque ecclesia post Iustinianum obtinuit, *capit. reg. Franc. lib. VI. cap. 69.*, *can.* 11. *C.* 16. *q.* 2. Sed a saeculo decimo in Occidente hoc impedimentum relaxari coeptum est, & inter raptorem & raptam matrimonium concessum, modo rapta raptori consentiret, *cap.7. ex. de raptorib.* Quoniam vero quamdiu rapta in potestate raptoris est, non videtur sponte in nuptias consentire; statuerunt Tridentini patres *sess. XXIV. de ref. matrim. cap.6.*, tum valere inter raptorem & raptam nuptias, si haec a raptore separata & in loco tuto constituta libere assentiatur.

§. XVII. Porro inhabiles ad nuptias inter se contrahendas sunt adulter & adultera, si eorum alter, vel ambo in innocentis vxoris vel mariti mortem conspirauerint, vt possent sibi inuicem matrimonio iungi, vel si post adulterium viuo adhuc alterius coniuge de futuris nuptiis ambo sibi fidem dederint, *cap. 3. & seqq. ex. de eo, qui duxit in matrimonium* (g).

§. XVIII. Mulier quoque nec illi nubere potest, qui maritum eius interfecit, si & ipsa in mariti mortem conspirauerit, *cap.1. ex. de conuers. infidelium.* Quod si homicidium

(g) Iure Romano nuptiae inter adulterum & adulteram omnino interdictae erant, *L.* 11. §. 11. *L.* 40. *D. ad legem Iul. de adulteriis & nouel.CXXIV.* Et secundum hanc regulam per plura saecula ecclesia inter adulterum & adulteram nuptias non adgnouit. V. Ant. August. *epit. lib.XXVII. tit.*21. Inde Gratianus *ad can.* 3. *C.*31. *q.*1. antiquum & late patens adulterii impedimentum ad duas species restrinxit, quibus vel adulteri ad mortem alterius coniugis conspirauerint, vel fidem de futuris nuptiis sibi mutuo dederint. Magna fuit in Occidente Gratiani auctoritas, & hinc eius doctrina recepta, & secundum eam de nuptiis inter adulteros iudicatum est.

cidium caussa matrimonii admissum sit, sed altero coniuge inscio, matrimonium non infirmatur, *cap.3. ex. de eo, qui duxit in matrimonium.*

§. XIX. Nuptiis porro iungi vetatur fidelis cum infideli, veluti ethnico & Iudaeo: quod impedimentum nostri *cultus disparitatem* dicunt. Inde vsque a primis saeculis nefas christianis fuit nuptias inire cum infidelibus aut haereticis, nisi vel christianos fieri, vel ad catholicam fidem transire promitterent. Conc. Illiber. *can. XVI. seq.* Chalced. *can. XIV.* Agath. *can. LXVII.* Verum si tales nuptias christiani attentarent, tantum violatae disciplinae rei erant, & poenitentiae subdebantur, at nuptiae consistebant, quod Chardonius *in historia matrimonii cap. XIII.* multis probat. Successu temporis apud Graecos synodus Trullana *can. LXXII.* irritas fecit inter fideles & haereticos contractas nuptias. Et in Occidente sensim moribus inualuit, vt nuptiae fidelium cum infidelibus nullae essent: quod ius saeculo decimo secundo iam receptum erat. At valent apud Latinos nuptiae cum haereticis, etsi illicitae & periculi plenae sint.

§. XX. Porro monachi & regulares omnes sollemni voto castitatis adstricti nuptias contrahere vetantur, & contractae nullae sunt. Per plura saecula nuptiae monachorum etsi sacrilegae & nefariae essent, non tamen erant inualidae. Innocent. I. *ep. ad Victric. Rhotomag. cap. XIX.* August. *de bono viduit. cap. X.* Theodor. *in poenitent.* Sed in synodo Romana sub Innocentio II. anno CIↃCXXXIX. *can. VII.* irrita facta sunt monachorum & canonicorum regularium matrimonia. Deinceps opera praesertim Gratiani inter votum *sollemne* & *simplex* castitatis distinctum est, receptumque, votum sollemne irritas omnino facere nuptias contrahendas, simplex vero tantum eas impedire, non irritas facere, *cap. 4. & seq. ex. qui clerici vel voventes* (h). Votum vero sollemne castitatis, quod inhabiles

(h) Cui disciplinae praecipuam caussam praebuit Gratianus *ad can. 8. D. 27. & ad can. 43. C. 27. q. 1.*, qui nesciens loca Augustini & Theodori cum synodi Romanae canone in concordiam reuocare, de more suo distinxit inter votum *simplex* & *sol-*

les ad nuptias facit, est quod in probata religione emittitur, & quod sacro ordini inest, quod Bonifacius VIII. declarauit, *cap. vn. de voto in 6.*

§.XXI. Monachis adfines sunt sacris ordinibus initiati, qui inhabiles etiam sunt ad nuptias contrahendas. Antiqua est ecclesiae Latinae disciplina, quae maiores clericos omnino castos esse iubet; at nullus ex antiquis canonibus irritas dixit post ordinationem contractas nuptias. Fortasse in Occidente primum in synodo Lateranensi I. sub Callisto II. anno CIↃCXXIII. *can.* 21. irrita facta sunt a maioribus clericis attentata matrimonia. Quoniam vero clerici maiores etiam castitatis voto adstringuntur, hinc dubitatum est inter theologos, vtrum ordo sacer matrimonium ex lege ecclesiastica, an vero ex voto nullum reddat: quae quaestio parum vtilitatis habet; nec de ea definienda Tridentini patres curarunt.

§. XXII. Quod spectat ad eos, qui impediuntur quidem contrahere nuptias, at si reapse contrahant, nuptiae sustinentur, ii in noua disciplina praesertim censentur sponsi, qui dum sibi mutuo futuras nuptias promiserunt, cum alio aliaue contra datam fidem matrimonium inire vetantur: item voto simplici castitatis adstricti, seu qui extra caussam religiosae professionis & sacri ordinis susceptionem Deo promiserunt castitatem: haeretici, qui cum catholicis ob diuortia in rebus fidei nuptias contrahere impediuntur: qui ab episcopo vel parocho vetiti sunt cum aliqua matrimonium contrahere ob impedimentum, quod subesse creditur, donec de illo constet: & qui religionis christianae rudimenta ignorant. Scilicet in his casibus canones sunt minus quam perfecti, quod nuptias fieri vetant, contractas vero ratas habent.

CA-

& *sollemne* castitatis, aitque, Augustinum & Theodorum intelligi debere de voto simplici, canonem vero Romanum de voto sollemni: atque inde docuit, votum simplex castitatis irritum non facere matrimonium, bene vero votum sollemne. Proposita a Gratiano doctrina inde recepta est, & secundum eam pontifices responderunt.

CAPVT XXI.

De relaxandis matrimonii impedimentis.

§. I. IMpedimenta matrimonii etiam dirimentia iure humano inducta possunt relaxari, & matrimonium inter eos, qui illud contrahere vetantur, concedi: quod iamdiu recepta voce *dispensatio* dicitur. Ex veteri disciplina nuptiae iure humano vetitae rescriptis principum concedebantur, *L. vn. C. Th. si nuptiae ex rescripto petantur*, Ambros. *ep. LX. ad Patern.* Symmach. *lib. X. ep.* 11. Exstant quoque apud Cassiodorum *lib.VII. variar. cap. 6. n.* 40. *&* 47. binae formulae, quarum vna rex Theodoricus concedit matrimonium inter virum nobilem & plebeiam, altera nuptias inter consobrinos.

§. II. Hac stante principum potestate, ecclesiae ius in permittendis nuptiis per canones vetitis id profecto erat, vt poenitentias canonicas relaxaret. Conc. Chalced. *can. XVI.* Gregor. M. *lib. I. ep.* 33. Sed temporis lapsu potestas concedendi matrimonia inter eos, qui iure humano inhabiles ad nuptias sunt, ad ecclesiam transiit, idque post saeculum vndecimum factum videtur. Mariana *hist. lib. X. cap.*8. Vbi matrimonii sacramentum sibi contractum subiecit, sponte sua factum, vt ecclesia impedimenta relaxaret. Exercet autem hanc potestatem fere tantum summus pontifex: quando enim haec noua disciplina inducta est, negotia ferme omnia ecclesiae Occidentalis in consistorio pontificis tractabantur. Sed impedimenta impedientia episcopi relaxant exceptis duobus, nempe eo, quod est ex sponsalibus, & ex voto simplici puroque castitatis perpetuae, aut profitendi religionem. V. Benedict. XIV. *de synodo dioecef. lib. IX. cap.* 2. *n.*1.

§. III. Vt vero inter inhabiles iure humano nuptiae recte permittantur, iusta caussa necessaria est. *In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio*, inquit synodus Tridentina *sess.XXIV. de ref. matr. cap.* 5., vel

vel raro, idque ex caussa & gratis concedatur: in secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos principes, & ob publicam caussam. Caussa autem pro concedendis nuptiis vltra secundum gradum cognationis ex latere, aut adfinitatis, in impedimentis cognationis spiritualis & publicae honestatis non necessario debet esse publica necessitas aut vtilitas, sed sufficit priuata. Verum non omnia impedimenta iure humano inducta facile solent relaxari, sed tantum quae sunt ex cognatione & adfinitate in remotioribus gradibus, publica honestate & crimine adulterii sine conspiratione in mortem coniugis.

CAPVT XXII.

De diuortiis.

§. I. Nomine *diuortii* iure Romano venit legitima nuptiarum solutio viuente vtroque coniuge facta, qua peracta nouas nuptias inire licet. Alio nomine nuptiarum solutio *repudium* dicitur, eoque distabat inter repudium & diuortium, quod hoc inter virum & vxorem fieri dicebatur, repudium vero & sponsae & vxori mittebatur, *L.* 101. §. 1. *D. de verbor. signif.* Sed iure canonico nomine diuortii venit & ipsa vinculi nuptialis solutio, & separatio tori & habitationis vel ad tempus, vel in perpetuum, quae integro matrimonii vinculo contingit.

§. II. Apud gentes praesertim Iudaeos, Graecos & Romanos, ipsa institutione & natura matrimonii ferme aduersante (*a*), diuortia vel ex leuibus caussis, immo bona gratia

(a) Sane Deus initio mulierem ex costa viri condidit, vt viro esset adiutorio, & vt duo in vna carne fierent, *Genes. cap. II.* 21. *seqq.*, hoc est arcta & perpetua adfinitate coniuncti. Cui institutioni natura ipsa matrimonii consonat. Contrahitur enim ad liberorum procreationem & educationem: mulieres autem iterum concipere solent, antequam iam nati filii pro-

gratia permiſſa erant; at Chriſtus diuortia vetuit, nihil enim moratus libellum repudii, quem Moſes Iudaeis permiſerat, immo addens ob cordis duritiem iis fuiſſe permiſſum; docuit, origine & natura ſua matrimonium eſſe indiuiduam & perpetuam vitae conſuetudinem; & hinc moechari eum, qui dimiſerit vxorem ſuam ει μη επι πορνεια, *niſi ob fornicationem*, Matth. *XIX. v.*3. *ſeqq.* Nomine autem της πορνειας non ſolum adulterium venit, ſed omne aliud crimen, quod cum fine matrimonii non minus pugnet; ſed eccleſiae patres ferme ad ſolum adulterium πορνειαν reſtringunt.

§. III. Cuius autem generis fuerit a Chriſto ob ſcortationem maritis conceſſa ſeparatio, totalis nempe, quae etiam concedat nouas nuptias, an vero partialis, quae ſaluo matrimonii vinculo vitae conſuetudinem abrumpat, non plane conſtat. Et reapſe veteres eccleſiae patres abierunt in diuerſa, nam alii docebant, per adulterium conſuetudinem vitae tantum abrumpi, non vero ipſum matrimonii vinculum, conc. Mileuit. *can.XVII.*, *in C.Afric. can.CII.* Origen. *hom.VII. in Matth.* Auguſt. *de bono coniug. cap. VII.*; alii vero tenebant, dirimi ipſum matrimonii vinculum, & licere ſiue viro, ſiue mulieri, aut tantum viro coniugem peccantem dimittere, & nouas nuptias contrahere. Tertull. *lib. II. ad vxor. cap.* 1. conc. Arelat. 1. *can.X.*, *can. XXIII. C.* 32. *q.* 7. V. Chriſt. Lupum *diſſ. de opinione probabili cap. V.* (*b*).

propria quadra viuere poſſunt. Ita vir & mulier indiuidua vitae conſuetudine viuere debent, quouſque filii omnes inſtitutione non indigent: & qui longo tempore dulci & indiuidua vitae conſuetudine vixerunt, & reliquo tempore ad mutuum auxilium erunt indiuidui. Verum ſi primaria capita obligationis nuptiarum violentur, poſſe eas iure naturali ſolui, multi tenent. V. Puſendorf. *de iur. nat. & gent. lib.VI. cap.* 1. §.20.

(b) Mediis ſaeculis in eccleſiis Occidentis non ſolum ob adulterium dirimebatur matrimonium, verum etiam ſi aliquod impedimentum dirimens, aut alia cauſſa, quae cohabitationem impediret, ſuperueniſſet. Et profecto ſecundum receptam in eccleſia Romana doctrinam reſpondit Gregorius II. ſeu III. ſummus

§. IV. Interim leges christianorum principum diuortia propter grauia crimina concedebant, sed propter mores, vel propter leues caussas ex consensu modo poenis adfecerunt, modo permiserunt impune, *L.*2. *C.Th. de repudiis*, *L.* 8. *seq.* *C.* *Iust.* *eod.* Ipse Iustinianus hac in re varius fuit, nam multis editis legibus nouas caussas repudii addidit, quin mutuo consensu diuertendi copiam fecit: contra anno IↃXL. diuortia ex consensu omnino sustulit, & caussas diuertendi ad quaedam magna crimina restrinxit, *nouel. CVII. cap.*8. *&* 9. Leges, quae ex consensu, vel ex leuioribus vitiis repudia concedunt, euangelio aduersantur, videnturque principes ad euitandos tristes euentus eiusmodi diuortia tolerasse. Sed an quae ex magnis criminibus diuortia permittunt, etiam iuri diuino aduersae sunt? Andreas Alciatus & Ioannes Launoius docent, imperatores nomen *fornicationis*, propter quam Christus coniugum separationem concesserat, latius pro omni graui crimine accepisse, & ex hac sententia suas dedisse leges.

§. V. Sed quae tamdiu fluctuauerat diuortiorum disciplina, tandem apud Latinos post saeculum decimum certior euasit, receptumque, vt viuente vtroque coniuge nulla ex caussa, ne adulterio quidem, nuptiae soluantur, & ita saeculi leges ecclesiae auctoritati cesserunt. Inualuit haec doctrina praesertim Augustini auctoritate; etenim scholastici vni Augustino ferme innixi, veluti certum docuerunt, nec adulterio nuptias dissolui, contra quam ipse Augustinus senserat, qui quaestionem de diuortiis habuit difficillimam. Inde pontifices rem perfecerunt, tantaeque firmitatis rationem Innocentius III. *a coniugii sacra-*

---

mus pontifex, licere viro alteram ducere vxorem, si vxor infirmitate correpta matrimonio inepta euaderet, *can.* 18. *C.*32. *q.* 7. Similiter synodus Compendiensis anno IↃCCLVI. *can.XVI.* viro leproso permittit dare commeatum mulieri sanae, vt, si ipsa velit, maritum accipiat. Gratianus responsionem Gregorii veluti *sacris canonibus*, *immo & euangelicae & apostolicae doctrinae penitus aduersam* traduxit. At satius est dicere, multas olim ecclesias diuortia & nouas nuptias ex variis caussis concessisse, quod putarent, ea euangelio non aduersari.

cramento, hoc eſt a perpetua inter Chriſtum & eccleſiam coniunctione, deriuat. Et tandem Tridentini patres *ſeſ. XXIV. de ſacram. matrimonii can.*7. anathema iis dixere, qui adſerunt, eccleſiam errare, dum docuit & docet, ſecundum euangelicam & apoſtolicam doctrinam per adulterium matrimonii vinculum non diſſolui (*c*). Verum Graeca & ceterae Orientales eccleſiae adhuc propter adulterium & alias probatas cauſſas diuortia & nouas nuptias concedunt.

§. VI. Illud vero ſemper certum in eccleſia habitum eſt, matrimonium legitimum, hoc eſt inter infideles contractum, omnino dirimi per alterius coniugis conuerſionem ad fidem, ſi infidelis diſcedat, 1. *ad Cor. VII.* 15., aut ſi morari cum fideli velit ad religionis iniuriam, & peccandi praebeat occaſionem, *can.*4. *ſeq.* C. 28. *q.* 1., *cap.*7. *ex. de diuortiis.* Quod ſi coniugi ad Chriſtum conuerſo infidelis moleſtus non ſit, fideli diuortium non conceditur, idque ad illius ſalutem procurandam. Separatis autem coniugibus per alterius conuerſionem, ſi poſtea infidelis, antequam alter ad nouas nuptias tranſeat, conuertatur, matrimonium redintegrabitur, *cap.* 8. *ex. eod.* Verum ſi ambo coniuges fideles ſint, & alter a fide diſcedat, matrimonii vinculum non ſoluitur, *cit. cap.* 7.

§. VII. Porro matrimonium ratum, ſed non conſummatum pleno diuortio ſoluitur per alterius coniugis monaſticam profeſſionem etiam altero inuito factam, & coniugi relicto nouas nuptias contrahere licet: quae doctrina ſaeculo ſeptimo in Occidente recepta erat, poſt Gratianum vero magis magiſque conualuit, *cap.* 2. & 14. *ex. de conuerſ. coniugat.* Hinc vt coniuges de meliori pro-

Z 2 poſito

(c) Hodierna eccleſiae Latinae doctrina ad fidem non videtur pertinere, quod Launoius *de regia in matrimonium poteſt. part. III. art.* 1. *cap.* 5. docet. Et profecto Tridentini patres non damnarunt ſententiam, quae habet, per adulterium nuptias ſolui, ſed potius anathema iis dixerunt, qui erroris accuſabant eccleſiam, quod doceret, nec adulterio nuptias ſolui: idque fecerunt patres Venetis legatis intercedentibus, ne Orientis eccleſiae, & praeſertim chriſtiani in inſulis Venetorum imperio ſubiectis offenderentur. Pallauic. *hiſt. conc. Trid. lib.XXII. cap.*4.

posito deliberent, post contractas nuptias non statim matrimonio vti coguntur, sed habent duos menses ad monasticam vitam eligendam, *cap. 7. ex. eod.* Quod si matrimonium consummatum fuerit, coniuges, integro matrimonii vinculo persistente, possunt ex consensu ad perpetuam tori & habitationis separationem deuenire & continentiam profiteri, veluti si vnus ex alterius consensu, aut ambo ex compacto religionem ingrediantur, aut si vir apud Latinos bona cum vxoris venia sacris ordinibus initietur.

§. VIII. Iam ex noua disciplina multae sunt caussae, quibus coniuges inuiti toro & habitatione diuertunt, siue ad tempus, siue in perpetuum. Praecipua caussa est alterutrius coniugis voluntarium adulterium: quin debet maritus vxorem adulteram, nisi poenitentiam egerit, dimittere, *can. 4. & 6. C. 32. q. 1.* sed post poenitentiam potest maritus dimissam recipere, *can. 7. eod. & cap. 3. ex. de adulteriis & ibi glossa*. Item toro & habitatione coniuges separantur per alterius coniugis apostasiam, aut haeresim, *cap. 6. ex. de diuortiis*, aut saeuitiam, *cap. 8. & 13. ex. de restitut. spoliatorum*, aut si coniux vnus alterum ad mortale peccatum impellat, *cap. 2. ex. de diuortiis*. Quaecumque vero fuerit caussa, non proprio arbitrio, sed sententia iudicis coniuges separantur.

CAPVT XXIII.

De secundis nuptiis.

§. I. Secundae nuptiae dupliciter accipiuntur, etenim vel denotant statum, quo vir simul plures vxores habet, qui status *polygamia* dici solet; vel secundas aut tertias nuptias post primi aut secundi coniugis mortem, aut legitimum diuortium contractas. Num polygamia iuri naturali aduersetur, anceps quaestio est. Certe videtur aduersari ipsi nuptiarum institutioni, in qua Deus voluit, vt vir vxori suae adhaereret, & duo in vna carne essent. *Genes. II. 22. seqq.* Et Christi lege omnino po-

polygamia vetita eſt; Chriſtus enim matrimonium ad primaeuam inſtitutionem reuocauit. Matth. *XIX.* 3. *ſeqq.* Verum populorum mores hac in re varii fuerunt: nam apud Iudaeos & pleraſque alias gentes polygamia obtinuit, & nunc etiam in Aſia & Africa obtinet: at apud Romanos nunquam permiſſum duas ſimul vxores habere, & infamis cenſebatur, qui, retenta prima vxore, ſecundas nuptias attentaſſet. V. Briſſon. *de iure connubior.*

§. II. Altero autem ſenſu acceptae ſecundae nuptiae, quatenus denotant nuptias ſecundas, aut tertias iure ſolutis prioribus contractas, nuſquam gentium interdictae ſunt. Quid enim mali eſt, ſecundam ducere vxorem, vbi nexus cum priore iam ſolutus eſt? Id ius etiam apud chriſtianos ſemper obtinuit: luculenter enim docet apoſtolus, mulierem viri dormitione nuptiarum nexu liberari, & cui vult, nubere poſſe, 1. *ad Cor. VII.* 39. Nec tantum ſecundae nuptiae ſtricte ſic dictae apud chriſtianos permittuntur, verum etiam vlteriores.

§. III. Quamuis autem ſecundae nuptiae euangelico iure permittantur, tamen antiqui patres eas veluti impuritatis & incontinentiae plenas traduxerunt, & quidem adeo durioribus verbis, vt eas damnare videantur: appellant enim *fornicationem*, *ſpecioſum adulterium*, & *honeſtam fornicationem*. Hinc ſynodus Neocaeſarienſis *can. III.* & Baſilius *epiſt. ad Amphiloch. can. IV.* publicae poenitentiae digamos ſubiecerunt, forte ad eluendam contractam incontinentiam. Nata eſt deteſtatio iſta ſecundarum nuptiarum a ſtudio continentiae, quod primis ſaeculis inter chriſtianos increbuerat. Et haec impuritas ſecundis nuptiis adſperſa cauſſam praebuit, vt in veteri diſciplina iis ſacra benedictio denegaretur. Conc. Neocaeſar. *can. VII.*, Innoc. I. *ep. ad Victric. Rhotomag. cap.* 9. (*a*).

(a) In noua diſciplina ſecundae nuptiae benedici ſolent, quod receptum videtur poſtquam Caroli M. & Leonis Sapientis legibus ſtatutum eſt, vt hierologia ad vim ipſam nuptiarum pertineret. Benedictio iſta ſecundarum nuptiarum apud Graecos parum diſtat ab ea, quae primo nubentibus datur; at apud Latinos minus ſollemni benedictione extra miſſarum ſollemnia ſe-

§. IV. Dissoluto per mortem viri matrimonio, licet viduae ex praesenti disciplina absque infamiae nota statim ad secundas nuptias conuolare. Iure Romano vetabantur viduae intra annum luctus nubere; eratque annus iste ex antiqua Romuli lege decem mensium; tum a Gratiano, Valentiniano & Theodosio duobus mensibus auctus est, *L.* 2. *C. de secundis nuptiis*. Duplici vero ratione anni luctus religionem vidua viro praestare debebat, ne semen commisceretur, & propter reuerentiam marito debitam (*b*). Honestatis & pudoris plena erat haec iuris ciuilis sanctio, eamque etiam christiani seruabant. At iure decretalium mulierem, quae intra annum luctus nubat, nulla manet infamia, idque veluti ex apostoli sententia pontifices proponunt, *cap.*4. *& seq. ex. de secundis nuptiis* (*c*). Nec tantum infamia, verum etiam ceterae poenae, quae in odium secundarum nuptiarum decretae erant, in noua disciplina sublatae sunt. V. Ant.Fabr. *in Cod. lib. IV. tit.* 5. *def.* 1. At stant adhuc integrae leges, quae filiis primi matrimonii fauent. Gudelin. *de iure nouiss. lib. I. cap.* 11.

CA-

secundae nuptiae benedicuntur. Et hinc si posteriora Latina monumenta adferant, secundas nuptias non esse benedicendas, de sollemni benedictione accipienda sunt.

(b) Tantum viduae maritos, non mariti vxores lugere debebant, *L.* 9. *D. de his, qui notantur infamia*, ac proinde statim ab vxoris morte ius erat viro aliam ducere vxorem.

(c) Sed apostolus dum docuit, mulierem viri dormitione nexu nuptiarum liberari, & cui vult, nubere posse 1. *ad Cor. VII.* 39., non videtur festinas & infames nuptias permisisse: annus enim luctus publicis legibus pudore plenis statutus erat: & deinde apostolus viduae, extincto viro, potius cui velit, quam quando velit, nubere permittit.

CAPVT XXIV.

De dierum festorum celebratione.

§. I. FEsti dies in honorem Deorum apud omnes ferme gentes celebrati sunt, vtpote qui cultus religiosi, vbique ferme recepti, potiorem partem constituebant. Apud christianos inde vsque ab apostolis festi dies instituti & celebrati sunt, quales Pascha, Pentecoste & quaeuis dies dominica; successu vero temporis plures alii accesserunt, veluti dies natalis Christi, natales martyrum, seu dies, quibus martyrium passi sunt, festi apostolorum, B. Mariae virginis, aliique complures, quorum omnium historiam Hospinianus *de festis* & Thomassinus *de celebratione festorum* enarrant.

§. II. Sunt festi dies alii immobiles, seu certis anni diebus adfixi, quales natalis Domini, Epiphania, dies festi apostolorum & B.Mariae virginis; alii vero mobiles, qui non iisdem anniuersariis diebus celebrantur, quales Pascha, Ascensio Domini, Pentecoste. Festa mobilia a die celebrationis Paschae pendent omnia, & hinc quolibet anno citius aut serius ordine suo recurrunt. Festum Pachae de veteri more contra Asianas ecclesias in synodo Nicaena probato celebratur die dominica, quae post aequinoctium vernum decimam quartam lunam mensis Martii proxime sequitur (*a*).

 §.III.

(a) In veteri disciplina non adeo facile erat diem celebrationis Paschae praescire, idque propter varios, sed imperfectos, cyclos, quibus solis & lunae cursus computabantur. V. Petavium *de doctrina temporum* & Bingham. *orig. eccles. lib.XX. cap.* 5. §. 4. Et synodus Nicaena episcopo Alexandriae, vbi astronomi egregii florebant, dedit in mandatis, vt quotannis verum Paschae diem indagaret, eaque de re ecclesias certiores faceret. Successu temporis creuit confusio, eaque demum per Gre-

§. III. Praeterea ratione maioris minorisue obseruationis festi dies triplicis generis sunt. Alii summa religione & obseruantia transiguntur, quasi omnino Deo sacri, quales dominicae omnes & maiores festi, in quibus fori caussae, negotia forensia, & manuales labores cessant, tantumque Deo & religioni christiani vacare debent. Alii minori obseruantia celebrantur; fiunt enim sacri conuentus, cessant negotia forensia, non vero saecularia negotia & corporis labores. Et demum sunt festi dies, in quibus celebrantur diuina officia, non tamen strepitus fori & manualia opera intermittuntur, qua ratione ecclesia Orientalis sabbatum inter festos dies recensebat, conc. Laodic. *can. XIX.*, & ecclesia vniuersa celebrabat dies omnes post dominicam in albis vsque ad Pentecosten.

§. IV. Iam pro potestate sua licet episcopis peculiares dies festos in suis ecclesiis instituere, sed ex cleri & populi consensu, *can.*1. *D.*3. *de consecratione*, *cap.*1. *ex. de feriis*. Et reapse martyrum festi dies episcopi & fidelis populi consensu in peculiaribus ecclesiis initio instituti sunt, licet postea ab aliis ecclesiis recepti & celebrati sint. Nempe dies festi etiam feriati sunt, hoc est a manualibus laboribus & strepitu fori vacui: & hinc si de nouo instituantur, etiam populus, aut ciuilis potestas, quae populum repraesentat, debet consentire, quod Espenius *par. II. sect.*2. *tit.* 2. *cap.*1. *edit. Neapol.* obseruat.

§. V. Festi dies tamquam Deo omnino sacri, Deo & religioni sunt impendendi: quae est festorum sanctificatio. Quamuis enim christiani vita numquam a Deo seiungi debeat; tamen propter plurimorum infirmitatem certos dies indicere placuit, quos christiani integros in sanctitate, tamquam Deo sacros, transigerent. Hinc in veteri disciplina fidelis populus saltem diebus dominicis & praecipuis festis diuino officio intererat (*b*), & simul conce-

Gregorium XIII. pontificem, emendato, qui hactenus obtinuerat, Kalendario, sublata est: iamque facile omnibus est de die Paschae decernere.

(b) Diuinum officium certo ordine precum, quae communiter in ecclesia celebrantur, constat: iamque a primis saeculis in

celebrabat (c), vt ita diem integrum sanctificaret. Deinceps vbi in Occidente Latina lingua popularis esse desiit, non amplius christiani concelebrarunt; at ecclesia etiam hodie exoptat, vt fideles ad horas canonicas conueniant, & divinum officium ita celebretur, vt populi religio possit intendi. Et longe profecto absunt a mente ecclesiae, qui sola priuatae missae auditione praeceptum de sanctificandis festis se implere putant, quasi sit omnino idem missam audire & diem festum sanctificare. V. Espen. *loc. cit. cap.* 2.

§. VI. Vt vero christiani soluti omnibus curis melius sanctificandis diebus dominicis & festis vacent, ab operibus seruilibus cessare debent: quod iure ciuili & sacris canonibus cauetur, *L.*3. *C. de feriis* (d), *capit. reg. Franc. lib. I. cap.* 57. Nomine operum seruilium veniunt labores corporis & manualia opera omnia, quibus a sancti-

---

in varias horas tributum est, quarum singulis proprium officium haesit. Horae istae *canonicae* dicuntur, suntque matutinum, hora prima, tertia, sexta, nona, vespera & completorium. Omnium antiquissimae sunt preces matutinae & vespertinae, reliquae ferme in monasteriis primum exortae, inde ab ecclesiis receptae sunt. V. Bingh. *orig. eccles. lib. XIII. cap.* 9. §. 8.

(c) Certe in ecclesia Orientali christiani omnes alternatim, & veluti in duos choros distributi psalmos canebant. Quo exemplo in ecclesia Mediolanensi Ambrosius eamdem canendi rationem instituit, *ne populus moeroris taedio contabesceret*, quod Augustinus *lib. IX. confess. cap.* 7. testatur. Vbi Latinae linguae vsus defuerit, populus in ecclesiis Occidentis non amplius in celebratione partem habere potuit, & obligatio ad horas canonicas sollenniter recitandas sensim ad canonicos restricta est: & ex ceteris clericis beneficiarii, & qui maioribus ordinibus initiati sunt, priuatim integrum officium quotidie debent celebrare. Espen. *diss. de horis canonic. par. I. cap.* 2. §. 1.

(d) Constantinus M. in *cit. L.*3. tantum iubet, *vrbanas plebes & cunctarum artium opificia die solis* seu dominica conquiescere, non item rusticos, quibus labores permittit, quod frequenter eueniat, vt non aptius alio die frumenta sulcis aut vineae scrobibus mandentur. Sed deinceps Leo Sapiens etiam rusticos die dominico cessare praecepit. *Const. LIV.*

ctificandis festis & sacrorum conuentuum frequentatione christiani impediuntur. Qualia opera rustica, fabrilia, sellularia, quae inde seruilia dicta, quod olim apud Romanos praecipue per seruos solebant expediri. Verum necessitate aut caritate cogente christiani diebus dominicis & festis cum Dei timore possunt manibus suis operari, conc. Laodic. *can. XXIX.*, *cap.3. ex. de feriis*, modo praecedente superioris venia labores suscipiantur.

§. VII. Eadem quoque ratione in diebus dominicis & festis strepitus fori & caussae iudiciales conquiescere debent, quod legibus principum & sacris canonibus comprehensum est, *L. 2. & 3. C. de feriis*, *cap. 1. ex. de feriis.* Vna cum fori exercitiis diebus festis nundinae, seu mercatus, siue mercatura exerceri prohibentur, *cit.cap.1.*, vtpote quae rebus terrenis implicant, & a diuino cultu distrahunt. Acta iudicialia etiam ex partium consensu diebus festis explicata nulla sunt, *cap.vlt. ex. eodem*, nisi necessitas vrgeat, & pietas suadeat: qua ratione iure ciuili diebus festis emancipare, aut manumittere licet, *cit. L. 2.* Sed contractus, qui diebus dominicis & festis in nundinis ineuntur, viribus constant.

§.VIII. Item diebus dominicis & festis iure ciuili spectacula, siue scenica, siue Circensia interdicta sunt, *L. 2. & vlt. C. Th. de spectaculis*, quae deliciis animum adlicientia distrahunt a festis sanctificandis, & peccatis saepe sunt occasioni. Parum distarent christiani a moribus Iudaicis, si dies festos in otio transigerent, operibus carnis & deliciis vnice intenti. *Obserua*, inquit Augustinus *enarrat. in psalm.XXXII. n.6.*, *diem sabbati non carnaliter, non Iudaicis deliciis, qui otio abutuntur ad nequitiam: melius enim tota die foderent, quam tota die saltarent.* Quae quum ita sint, parum congruit sanctitati religionis, quod praesentibus moribus spectacula diebus dominicis & festis edi soleant: & res profecto est digna christianorum principum legibus, quibus saltem in alios dies spectacula differantur.

§. IX. Festi dies sensim numero creuerunt: & hinc propter cessationem a laboribus erepta est pauperibus victum sibi parandi occasio: & vniuersa paene festa minus religiose obseruata sunt: quod synodi & pontifices aeque de-

deplorant. V. Espen. *par. II. sect. 2. tit. 2. cap. 1. edit. Neapol.* Hinc synodorum auctoritate plura ex minoribus festis in dies intercisos, mane scilicet festos, non item reliqua diei parte, aut in festa solius deuotionis abierunt. Et Benedictus XIV. instantibus episcopis in multis ecclesiis minorum festorum numerum deminuit, seu potius laborandi facultatem concessit, integro tamen relicto praecepto missam audiendi, quod ipse narrat *de synodo dioecef. lib. XIII. cap. 18. n. 11. seq.* Quam deminutionem, petente Carolo olim Rege nostro, etiam in regno Apuliae fecit.

CAPVT XXV.

De ieiuniis.

§. I. OBseruatio ieiuniorum, non secus ac dierum festorum sanctificatio, inter religiosa christianorum officia censetur: ieiunantes enim christiani corpus suum castigant & in seruitutem redigunt, & seipsos hostiam Deo offerunt. Ieiunium proprie sic dictum differt ab abstinentia: qui ieiunant, a carnibus & delicatioribus cibis abstinent, simul vero cibum vsque ad certam statamque horam differunt: qui abstinent, carnes non comedunt, & parsimoniam in cibis quaerunt, at cibum vsque ad certam horam non differunt: & ita abstinentia ieiunii pars est. Sed non confundendi ieiuni cum ieiunantibus, illi enim dicuntur, qui nihil cibi aut potus sumserunt, vtut ieiunare, aut a prandio abstinere haud constituerint: contra ieiunantes nec cibum sumserunt, & illum differre statuunt.

§. II. Ieiunia religiosa apud christianos diuersi generis sunt, alia enim generali canone imposita christianos obligant, alia poenitentibus in satisfactionem imponi solent, alia ex voto, aut ascesi suscipiuntur. Quae omnes obligant, statis temporibus recurrunt, qualia ieiunium quadragesimae, quartae & sextae feriae, quatuor tempo-

rum,

rum, & vigiliarum (a). Nec omittenda ieiunia, quae ex aliqua sollicitudinis ecclesiasticae caussa episcopi indicunt, quod saeculo secundo episcopos facere consueuisse Tertullianus *de ieiuniis cap. XIII.* testatur.

§. III. Inter stata & sollemnia christianae religionis ieiunia maxime sacrum est ieiunium ante Pascha, quod vel a primis saeculis *Quadragesima* appellatur, quamuis longo tempore tantum triginta sex dies esuriales fuerint. Certe quadragesima in ecclesia Romana quinto & sexto saeculo sex hebdomadis constabat, & ita dies ieiunio consecrati erant triginta sex, nam ex singulis hebdomadis semper dies dominicus eximebatur, in quo de veteri more in memoriam dominicae resurrectionis christiani non ieiunabant. Gregor. M. *hom. XVI. in euangelia.* Successu temporis in ecclesia Romana quatuor dies esuriales quadragesimae additi sunt, nimirum dies cinerum & tres sequentes, quod vel a Gregorio M., vel a Gregorio II. factum esse creditur: & ita quadragesima quadraginta dies esuriales coepit continere.

§. IV. Stati quoque ieiuniorum dies in qualibet hebdomada erant quarta & sexta feria, idque vel a primis saeculis obseruatum est. Tertull. *de ieiuniis cap. XIV.* Orig. *hom.X. in Leuitic.* Ea vero ratione his duobus per hebdomadam diebus ieiunium ab ecclesia indictum est, quod Iudaei quarta feria consilium ad Christum occidendum inierint, sexta vero morti dederint. Augusti. *epist. LXXXVI.*

(a) Caluiniani, in primis Io. Dallaeus, docent, veteris ecclesiae ieiunia non necessitate, sed potius pro arbitrio a christianis fuisse obseruata. Hinc tenent, ecclesiam Romanam cum Montanistis in ieiuniorum disciplina conuenire, idque propter stata ieiunia, quae ex necessitate in Romana ecclesia christianos obligant, qualia erant Montanistarum ieiunia. Sed apage apertas calumnias. Sane veteris ecclesiae ieiunia, praesertim quadragesimae, ex necessitate obseruanda erant: & si ecclesia ieiunia Montanistarum reprobarit, id ea ratione factum est, quod illi ieiunia sua ex nouis reuelationibus per paracletum Montano factis obligare dictitarent, quod tamquam merum figmentum ecclesia explosit. V. Nat. Alexand. *saec.II. hist. eccles. diss.4.*

LXXXVI. ad Casulan. Accessit in ecclesia Romana & quibusdam aliis Occidentalibus sabbati ieiunium, quod quarto saeculo ob Christi sepulturam iam celebrari consueuerat. August. *cit. epist.* Innoc. I. *ep. ad Decent. Eugub.* Sed ieiunia ista omnia a die Paschae vsque ad pentecosten remittebantur; quod quinquaginta illos dies in laetitia ob memoriam resurrectionis Christi ecclesia transigebat: quemadmodum etiam remittebatur ieiunium, si in ferias quartam, sextam aut sabbatum natiuitas Christi incideret. V. Albasp. *obseruat. lib. I.* 17.

§. V. Quatuor temporum ieiunia singulis annis initio quatuor diuersarum anni tempestatum recurrunt, & idcirco mensibus Martio, Iunio, Septembri & Decembri celebrantur, habentque singula tres dies ieiunio consecratos, nempe feriam quartam, sextam & sabbatum. Exemplo Iudaeorum ieiunia quatuor temporum saeculo quinto in ecclesia Romana iam recepta erant, quamuis potius animo christiano, quam ritibus Iudaicis seruarentur, quod ex Leone M. *serm. IV. & V. de ieiunio septimi mensis* constat. Itaque ieiunia ista instituta sunt, quod christiani quouis tempore ope diuina & purificationibus indigent, Leo M. *serm. IX. de ieiunio sept. mensis*, vel quod gratias Deo agere pro beneficiis, quae in singulis anni tempestatibus accepta erant, oportebat. Leo M. *serm. VI. de ieiunio decimi mensis*. Verum labentibus annis ordinationes sacrorum ministrorum his statis quatuor temporum ieiuniis addictae sunt, vt ita orationibus & ieiuniis bonos altaris ministros ecclesia diuinitus impetraret, qua de re *par. I. cap.* 30. dictum est.

§. VI. Praeterea in vigiliis multorum festorum per annum, & praesertim sollemniorum, ieiunia obseruantur. Vigiliae in veteri disciplina erant nocturnae preces, quibus christiani in ecclesiam conuenientes praecipuas Christi & sanctorum eius sollemnitates praeueniebant, vt ea ratione se praepararent ad sequentem diem festum maiore religione celebrandum. Ieiunium diei antecedentis vigilias praecedebat, si antecedens ille dies alias esset esurialis, vt videre est in vigiliis Paschae, quas sabbati magni ieiunium praecedebat. Nam si antecedens dies alias ieiunio non erat consecratus, vigiliae nullo praecedente ie-

ieiunio videntur celebratae, excepta tamen natalis Christi vigilia, quam cum ieiunio obseruatam fuisse ex Augustino *epist. LXV. ad Xantip. nouae editionis* constat. Labentibus annis nocturnae vigiliae propter abusiones fere interdictae sunt, & antecedentes dies *vigiliae* nomen retinuerunt, & esuriales facti sunt, quod Honorius Augustodunensis *lib. III. cap. 6.* obseruat.

§. VII. Iam ecclesiasticum ieiunium, vtpote quod in poenitentiam & corporis macerationem institutum est, duo tamquam praecipua & intrinseca complectitur, abstinentiam nempe a carnibus & aliis cibis delicatioribus, & vnicam in die comestionem. Et abstinentia quidem a carnibus in diebus esurialibus semper ecclesiastici ieiunii pars fuit, & apud veteres christianos per canones indicta: quod multis productis veterum patrum locis probat Nat. Alexander *saec. II. hist. eccl. diss. 4. art.2.* adversus haereticos, in primis Dallaeum, qui magno conatu persuadere satagit, apud veteres christianos nullum fuisse canonem, quo abstinentia a carnibus in diebus esurialibus praeciperetur. Cibi quoque delicatiores & potus vini in diebus ieiunii erant interdicti. Basil. *hom. I. de ieiun.* Cyrill. Hierosolym. *catech. IV. ad illuminat.* Hieronym. *in cap. X. Daniel.* Quin multae ecclesiae, praesertim Orientales, etiam abstinebant ouis, caseo & piscibus, diesque esuriales herbis, leguminibus & fructibus transigebant. Seueritas vero in maiori hebdomada intendebatur, relictis enim reliquis cibis, fideles tantum panem cum sale & aquam solebant adhibere: & nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatriduum ieiunia prorogabant, nec defuerunt, qui integra hebdomada cibis abstinerent. Epiphan. *exposit. fid. n. XXII.*

§. VIII. Pertinet quoque ad ecclesiastici ieiunii constitutionem vnica per diem comestio, quae ex cibis esurialibus hora legitima frugaliter sumatur: finis enim & institutio ieiunii est poenitentia & corporis maceratio, quae certe non obtinetur, si pluries in die cibum sumere liceret, aut si semel in die corpus nimia cibi copia roboretur. *Nihil prodest*, inquit Augustinus *serm. LVI. de tempore, tota die longum traxisse ieiunium, si postea ciborum suauitate vel nimietate anima obruatur.* Vsque ad

horam

horam refectionis ieiunium ducebatur, nec interim licebat vel aquam bibere. Prudent. *hymn. VI.* Et manifesta profecto est posterioris aetatis relaxatio, qua tempore ieiunii potus aquae & ante & post refectionem licitus esse creditur: vt nihil dicam de illa doctrina, quae fert, factitias & nutriticias potiones non soluere ieiunium.

§. IX. Hora legitima soluendi ieiunii & refectionem sumendi non in omnibus ieiuniis eadem fuit, sed varia pro ieiuniorum qualitate. Et quidem in diebus quadragesimae soluebatur ieiunium vespere post solis occasum. Basil. *hom.I. de ieiunio*, Ambros. *serm.VIII. in psal.*118. Contra ieiunia feriae quartae & sextae & reliqua omnia per annum soluebantur post horam nonam, hoc est tertiam pomeridianam, Epiph. *exposit. fid.* §. *XXII.*, vbi finitis stationibus, quae erant sacra officia feria quarta & sexta in ecclesiis celebrari consueta, quisque ad capiendum cibum in domum abibat. Hinc ieiunium quadragesimae perfectum censebatur, reliqua vero, siue per annum, siue per hebdomadam communiter dicebantur *semiieiunia*.

§. X. Disciplina, siue perfecti, siue dimidiati ieiunii diu in ecclesia stetit inuariata: tum ineunte saeculo decimo tertio mutari coepta est. Etenim hac aetate solutio quadragesimalis ieiunii, quae post vesperam fiebat, ad horam diei nonam transiit, de qua consuetudine veluti sua aetate vigente S. Thomas 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. loquitur. Inde creuit relaxatio, & ad meridiem ieiunia omnia soluta sunt, ac sufficere ad ieiunium creditum est, si officio vespertino circa meridiem persoluto pranderetur. Quae relaxatio ecclesiae indulgentia admissa est, seu potius tolerata, modo quae ieiunii naturam constituit, refectionis vnitas seruaretur, & meridie pransi vespere non coenarent: qui enim bis in die reficiuntur, ex ecclesiae sententia ieiunare non censentur. V. Nat.Alexandr. *saec.II. histor. eccl.f. diss.* 4. *art.* 7. Item feriae quartae ieiunium immo & ipsa a carnibus abstinentia vbique per Occidentem sensim obseruari desierunt, & ieiunium sextae feriae & sabbati in abstinentiam a carnibus abierunt: quin in sabbato aliquorum locorum moribus carnes aut animalium interiora & extremas partes vesci licet. Quae vero maior est relaxatio, in diebus ieiunii meridie pransi vespere

coe-

coenulam sumunt, quae *collatio* recepta voce audit (*b*).

§. XI. Obseruatio ieiunii, praesertim quadragesimae, omnibus ex mente ecclesiae indicta est, nec aliquis in veteri disciplina, siue aetate, siue conditione, siue vitae genere exemtus credebatur. Certe Basilius *hom. II. de ieiunio* docet, omnes in quadragesima ad ieiunandum obligari: *ne quis semet excludat a numero ieiunantium, in quo omne genus hominum, omnis aetas, omnes dignitatum ordines recensentur*. Et Leo M. *serm. XI. de quadragesima, quadragesimae ieiunium obseruantiam sui vniuersis fidelibus sine exceptione denuntiat*. Ieiuniorum obseruatio indicta erat propter poenitentiam, quae christianis omnibus necessaria censebatur. Tantum ex veteris ecclesiae regulis abstinere a carnibus in quadragesima non tenebantur, qui *ineuitabili necessitate, atque fragilitate, vel etiam impossibilitate aetatis* onus ferre non poterant, idque postquam veniam a sacerdote obtinuissent. Conc. Tolet. VIII. *can. 9.* Hinc posterioris aetatis disciplinam sapit doctrina, qua multi, siue aetate, siue vitae genere ieiunio eximuntur.

CA-

(b) Origo *collationis* seu vespertinae coenulae est a monachis repetenda, quibus ob manuum laborem ipsis ieiunii diebus permittebatur, vt post sumtum legitima hora cibum, antequam cubitum irent, aquam biberent: cui potioni postea frustulum panis additum est, ne simplex aqua noceret. Sumebant vero monachi hanc refectionem in cella ad prandium destinata ante *collationem*: quae erat lectio spiritualis ante completorium in claustro vel capitulo quotidie fieri consueta. Hinc ne tempus vitae regularis officiis destinatum in sumenda coenula tererent, diebus ieiunii collationem in ipsa cella ad prandium addicta habere coeperunt, aditumque illum ad refectionem diebus esurialibus sumendam ea formula significabant, *ire ad collationem*. Ita nomen collationis a spirituali lectione ad serotinam illam refectiunculam translatum est, & a saecularibus eo sensu vsurpatum, quum eousque progressa est ieiunii relaxatio, vt ieiunantes meridie pranderent, & vespere nihilominus coenulam sumerent. V. N. Alexan. *saec. II. hist. eccles. diss. 4. art. 7. prop. 2.*

CAPUT XXVI.

De sacrosanctis ecclesiis & altaribus.

§. I. Ecclesia apud christianos proprie denotat fidelium societatem & conuentum; at per metonymiam saepe denotat locum ipsum, in quo christiani conuentus agitant suos. Hoc loco de ecclesiis posteriori sensu agemus, ac proinde ecclesia est aedificium cultus diuini peragendi gratia exstructum, & sollemni ritu consecratum, aut saltem benedictum. Nimirum ecclesia Christi visibìlis est, & praeter cultum internum habet etiam externum, qui in sacramentorum administratione, sacrificiis & communibus precibus positus est. Hinc veluti sponte sua instituta sunt loca, in quae christiani ad sacra celebranda conuenirent (*a*).

(a) Ecclesiae pro loco acceptae pluribus aliis nominibus in antiquis monumentis designantur. Saepe dicuntur *concilia*, *conciliabula*, *conuenticula*, quae voces a conuentu ad locum conventus translatae sunt. Item dicuntur *dominica*, *domus Dei*, & *κυριακα* a Deo ipso omnium rege & domino, cui dedicabantur. Porro a fine dicuntur *oratoria* & *domus orationis*, quamuis nomine *oratorii* aliquando veniant sacella in priuatarum familiarum commodum exstructa. Conc. Agath. *can. XXI.* Ecclesiae quoque nonnullae dictae sunt *martyria*, *apostolea* & *prophetea*, illae nimirum, quae sepulcro, aut reliquiis, aut memoria alicuius martyris, apostoli, vel prophetae decoratae erant. Item Latinis ecclesiae, praesertim parochiales, *tituli* dicuntur, siue a certis signis & titulis, quibus insigniebantur, siue quod addicti clerici inde nomen suum sumerent, siue a nominibus sanctorum, quibus erant dedicatae. Et post pacem ecclesiae datam saepe ecclesiae dictae sunt *templa* & *basilicae*: quae voces in antiquioribus monumentis hoc sensu vix occurrunt. V. Bingh. *orig. eccles. lib. VIII. cap.* 1.

§. II. Iam quae fuerit prima ecclesiarum origo, inter doctos non conuenit. Plerique theologi nostri docent, ecclesias ab ipsa apostolorum aetate originem habuisse, quam sententiam Io. Medus & Binghamus pluribus probarunt. Contra Vedelius, Suicerus & Boëhmerus contendunt, primis tribus saeculis non fuisse proprie sic dictas ecclesias, quae speciali ratione dicarentur, essentque commerciis aliis exemtae. In hoc sententiarum diuortio illud magis placet, toto ferme primo saeculo christianos propriis ecclesiis caruisse; quod Hieronymus a Costa tenet. Sane christiana religio initio veluti Iudaeorum secta reputabatur, ac proinde christiani in synagogis orare permittebantur, & in coenacula, quae apud Iudaeos erant oratoria in parte aedium superiore exstructa, sacris propriis vacaturi conueniebant, *Act. I.* 13. *&* *V.* 42. Sed secundo & tertio saeculo procul dubio exstabant ecclesiae, quod sexcentis constat monumentis. V. Bingham. *orig. eccles. lib. VIII, cap.* 1. (*b*). Id tamen verum est, ecclesias persecutionum tempore fuisse simplices & humiles, vt simplex & durus christianorum status postulabat. Data vero christianis pace ecclesiae augusta & magnifica forma exstructae sunt.

§. III. Multiplex est ecclesiarum genus, aliae enim sunt *cathedrales*, aliae *collegiatae*, aliae *parochiales*, aliae *conuentuales*, aliae *capellae*. Ecclesia cathedralis, quae alias *magna* & *matrix* dicitur, habet fixam episcopi cathedram, & est totius dioecesis communis paroecia. Collegiata habet collegium canonicorum, sed non episcopi cathedram: parochialis est, in qua proprius presbyter sub episcopo curam animarum exercet. Ecclesiae conuentuales sunt ecclesiae monachorum & regularium, ita dictae a conuentu monachorum & regularium, in quorum pecu-

(b) Veteres patres Origenes, Minucius Felix, Arnobius & Lactantius habent, christianos non habere templa, nec altaria. At id nihil officit ecclesiarum antiquitati; sic enim verbum illud accipiendum est, talia christianos non habuisse templa, aut altaria, qualia gentes habebant, idolorum nempe & idololatriae plena, quod fuse Medus probat.

culiarem vſum primum exſtructae ſunt. Et demum capellae ſunt ſacella in agris, aut in ciuitatibus, aut magnatum domibus exſtructae, & ſacris extraordinariis addictae (*c*). Inter capellas vero longe eminent capellae *regiae*, in quibus in vſum regum & regiarum familiarum ſacra celebrantur.

§.IV. Cuiuſcumque vero generis eccleſia ſit, ſine conſenſu epiſcopi aedificari non poteſt. Conc. Chalced. *can. IV.* Nihil ad religionem pertinens inconſulto epiſcopo adgredi fas eſt. Conſenſum vero epiſcopus praeſtare non debet, niſi praeuia cauſſae cognitione conſtet, eccleſiam non ex turpi quaeſtu, ſed ex iuſta cauſſa aedificari, *can.* 10. *D.* 1. *de conſecratione*, & niſi ſatis ei donatum ſit ad alendum miniſterium, & religionis cultum exercendum, *nouel.LXVII.*, *can.9. D.1. eodem.* Item ante aedificationem audiendi, quibus nuntiandi noui operis ius eſt, veluti parochus & loci incolae. Et noua fabrica non eſt inchoanda, niſi epiſcopus, aut eius iuſſu alius ſollemnes preces in loco faciat, & crucem humi defigat, *cit.can.9.* (*d*).

(c) Carolus Dufreſne in *gloſſario mediae & infimae Latin.* nomen *capella* factum tenet a *capa*, hoc eſt parua veſte S. Martini, quae in oratorio regis Franciae ſeruabatur. Alii vero deriuant a *capa*, hoc eſt theca reliquiarum S. Martini & aliorum ſanctorum, quae in illo oratorio conditae erant. Nempe *capella* eſt a *cap*, ſeu *capa*, & *cap* vox Celtica eſt, quod Leibnitius *collect. etymolog. part.II.* obſeruat, ſignificatque originе ſua capitis tegmen, & generaliter quodcumque corporis regumentum, & ampliori ſenſu rerum pretioſarum thecas & conditoria.

(d) In exſtruendis eccleſiis curabant veteres, vt apta forma & conuenienti ſitu ponerentur & fierent. Et forma quidem erat oblonga, naui ſimilis; ſitus vero vt eccleſiae frons, ſeu praecipuus introitus ad Occidentem, ſanctuarium vero ad Orientem ſpectaret. *Aedes ſit oblonga ad inſtar nauis, ad Orientem conuerſa*, inquiunt conſtitutiones ſic dictae apoſtolicae *lib. II. cap.* 57. Ideo vero Orientem verſus ſanctuarium poni ſolebat, quod chriſtiani Orientem verſus precabantur. Verum forma & ſitus iſte vſitatior quidem fuit, at non ſemper ſeruatus:

§. V. Ecclesiae, praesertim ampliores, pluribus partibus constant, quarum aliae interiores & parietibus includuntur, aliae exteriores. Ex veteri disciplina partes interiores erant ναρθηξ, ναος & βημα, *narthex* seu *ferula*, *templum* seu *nauis*, & *sanctuarium*. Narthex erat aedificium oblongum instar ferulae sub portarum ingressum, in quo tempore sacrarum lectionum & praedicationis consistebant infideles, haeretici, catechumeni & poenitentes *audientes* dicti. Nauis inde sequebatur, quae a narthece repagulis ligneis separata, tempore missae excipiebat poenitentes genuflectentes & consistentes, & deinceps fideles loco quisque suo (e): nam mares a feminis, virgines a nuptis, monachi a saecularibus separati erant (f). Sanctuarium demum sanctior erat ecclesiae pars, quae cancellis ab ecclesiae naui separabatur, eaque excelsior erat, & & hinc βημα a Graecis dicebatur. Sanctior & penitior haec ecclesiae pars tempore sacrae liturgiae ad episcopum, presbyteros & diaconos pertinebat, & reliquis omnibus erat inaccessa. V. Morin. *de administr. poenit. lib. VI. cap.* 1. *n.* 10.

§. VI. In medio sanctuario altare collocatum erat, quod alias *ara*, *mensa sacra* & *sanctum sanctorum* dicitur. Erant altaria initio lignea, inde lapidea facta sunt: quin pace ecclesiae data in magnis ecclesiis saepe auro argen-

toue

---

tus: etenim & quauis forma & quocumque situ ecclesias exhibent antiqua monumenta. V. Bingh. *orig. eccles. lib. VIII. cap.* 3. §. 1. *seq.*

(e) Vt plurimum loca masculorum & mulierum parietibus ligneis distinguebantur. Chrysost. *hom. LXXIV. in Matth.* Et in nonnullis ecclesiis feminae excipiebantur in solariis, quae erant porticus in altum nauis ecclesiae elaboratae.

(f) In naui erat *ambo*, alio nomine *pulpitum* & *tribunal* dictus: locus nempe editus lectoribus ad legendum, & cantoribus ad canendum & moderandam psalmodiam addictus. Ab ambone olim *chorus* non videtur fuisse diuersus: etenim in choro clerici cantores canebant. Conc. Turonense II. *can.* 4. Sed in Gallicanis ecclesiis chorus erat in sanctuario proxime post cancellos. Mabillon. *de liturg. Gallic. lib. I. cap.* 8.

tone cooperta sunt. Sic vero poni solebant, vt sacerdos celebrans facie ad populum conuersa staret (g). In medio altari crux stabat. Vnum vero in vna ecclesia erat altare, idque ad sacerdotii vnitatem indicandam, quod Schelestratus & Habertus pluribus probant. Vna ferme missa in vna ecclesia primis saeculis celebrabatur, & si ob caussam alias celebrare oporteret, plura altaria non erant necessaria: nam eodem tempore in eadem ecclesia nunquam plures missae videntur celebratae. Exeunte saeculo sexto apud Latinos in vna ecclesia plura altaria fuerunt, Gregor. M. *lib.V. epist.* 50., qui vsus sensim crevit, praesertim vbi priuatae missae multiplicatae sunt. Verum Graeci etiam hodie vnum habent altare.

§. VII. Extra ecclesiam stricte sic dictam erant alia aedificia, quae ad ipsam pertinebant. Ante ecclesiae fores erat *atrium*, aedificium nempe, cuius medium sub dio erat, latera vero columnis suffulta: erantque in medio atrio aquae salientes, seu putei, aut conchae, aut alia aquarum receptacula, in quibus christiani ecclesiam ingressuri manus & ora lauabant. Euseb. *histor. eccles. lib. X. cap.* 4. Cetera circum ecclesiam aedificia generali *exedrarum* nomine veniebant, quasi essent loca sessionis & quietis: qualia *baptisterium*, *secretarium*, seu *vestiarium*, Graecis διακονικόν dictum, in quo vasa & indumenta sacra adseruabantur, bibliothecae & scholae omnium eruditioni inseruientes: de quibus ecclesiae partibus Binghamus *orig. eccles. lib. VIII. cap.*7. fuse commentatur. In noua disciplina pars ecclesiarum etiam est *turris campanaria*, in qua sunt campanae, quibus christiani ad sacros conuentus vocantur.

§. VIII. In ecclesiis aedificatis diuina officia vetantur celebrari, nisi prius illae consecrentur, aut saltem benedicantur. Consecratio ecclesiae est actus sacer & sollemnis, quo illa diuino cultui addicitur (h). Tantum episcopus

(g) Imminebat altari *ciborium*, seu turrita aedicula, quatuor ad minimum columnis innixa, qua totum altare tegebatur. V. Carol. Dufresne *in Paul. Silentiar.*

(h) Consecrationes ecclesiarum Latini dicunt etiam *dedicationes*,

ſcopus proprius eccleſiam conſecrat, nec tanta poteſtate presbyteri donantur. Conc. Bracar. I. *can.* 37. Immo ex veteri diſciplina ad eccleſiam conſecrandam plures epiſcopi ſolebant conuenire, qui praeſentia & ſermonibus ſuis augebant ſollemnitatem (*i*). Varii vero ritus in eccleſiarum dedicatione adhibiti ſunt, quorum aliqui eo ſpectare videntur, vt dedicatio eccleſiae baptiſmum adumbret, qualis eſt trina parietum exterioris & interioris eccleſiae per aquam benedictam adſperſio. Altaria etiam ex noua diſciplina ritu peculiari conſecrantur. Quouſque vero eccleſia conſecretur, ex epiſcopi venia per presbyterum benedicitur, & ita etiam idonea ad diuina officia euadit.

§. IX. Eccleſiae ex parte interiori variis ſignis ornari ſolent, & praeſertim picturis, quibus Chriſti & ſanctorum imagines, & egregia ſcripturarum & hominum piorum facinora exhibentur (*k*). Receptis in eccleſia picturis

---

nes, Graeci vero *εγκαινια*: dum enim eccleſiae conſecrantur, primum in vſum deducuntur: & *dedicatio* & *εγκαινια* initiationem & primum rerum vſum deſignant. V. Mazoch. *de Camp. amphith. cap. III.*

(i) Hinc occaſione dedicationis eccleſiarum frequentes ſynodi celebratae, qualis ſynodus Antiochena anno CCCXLI. habita, inde *in encaeniis* dicta.

(k) Per tria priora & amplius ſaecula rarior vel nullus fuiſſe videtur in eccleſiis ſacrarum imaginum vſus, quod Petauius *dogm. theol. lib. XV. cap.* 13. & Nat. Alexander *hiſt. eccleſ. ſaec. VIII. diſſ. 6.* §. 3. pluribus docent. Sane per ea tempora nec apud patres, nec apud ethnicos de imaginibus verbum vllum, & praeterea ſynodus Illiberitana *can. XXVI.* ab eccleſia aperte imagines excludit: *placuit, picturas in eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Sacras imagines tum in eccleſiis ponere intempeſtiuum erat, ne chriſtiani potius mutaſſe ſimulacra, quam idololatriam reliquiſſe viderentur. Vſus imaginum ſanctorum in eccleſiis quarto ſaeculo incepit, & inde in diem collabente idololatria paſſim receptus & admiſſus eſt. Non tamen eodem tempore receptae imagines, quibus Deus humana forma repraeſentatur; Deum enim vtpote immenſum & incorporeum figurari non poſſe, veteres tenebant: quod Petauius *loc. cit. cap.* 14. probat.

ris christiani ad bonos mores impelluntur, & rudes in iis veluti legunt religionis instituta. Et praeterea Christi & sanctorum imagines partem cultus religiosi constituunt; dogma enim fidei est, eas debita adoratione seu veneratione colendas esse, quod aduersus Iconoclastas synodus Nicaena II. *act.VII.* statuit, & Tridentina *sess. XXV. in decr. de inuocatione sanctorum* confirmauit. Quod si sero tandem imaginum vsus in templis receptus est, id earum religioso cultui nihil officit; nam iste cultus hypotheticus est, cuius generis doctrinae & in religione & in iure naturali plures sunt. Illud vero ad episcoporum & aliorum pastorum officium pertinet, vt cultus imaginum suis limitibus contineatur, nec abeat in superstitionem, quod alias factum est.

§. X. Sollemni ritu ecclesia consecrata, etsi enormi crimine polluatur, iterum non debet consecrari, non secus ac baptismus semel datus non iteratur, *can.* 20. *D.* 1. *de consecr.* Non repetitur consecratio, si ecclesia eadem maneat, vel saltem eadem hominum iudicio reputetur: nam si vetus ecclesia ex integro euersa sit, noua ecclesia indiget consecratione: contra si ecclesia per partes renouetur: quid si illaesis parietibus lignea aedificia casu ardeant, vel corruant, & de nouo fiant, consecratio non repetitur, *cap.* 6. *ex. de consecr. ecclesiae.* Item nec iterum consecratur ecclesia, quod altare motum fuisse dicatur, *cap.* 1. *ex. eodem*; diuersis enim ritibus ecclesia & altare consecrantur. Quod si ecclesiam consecratam fuisse dubitetur, iterum consecrari debet, *can.* 18. *D.* 1. *de consecratione*, non secus ac iterum datur baptismus, si de eius collatione dubium sit.

§. XI. Consecrata ecclesia, si polluatur, reconcilianda est. Polluitur ecclesia humani sanguinis effusione, & ho-

---

bat. Et veri speciem habet, imagines Dei in ecclesia Romana post saeculum decimum receptas esse. Porro non eodem tempore, quo sanctorum imagines, etiam eorum statuae admissae sunt: statuae enim vtpote magis idolis gentium similes, etiam octauo saeculo minus frequentes erant: at inde apud Latinos vsu receptae sunt.

homicidio etiam citra ſanguinis effuſionem in ea admiſſis, *cap.* 4. *& vlt. ex. de conſecr. eccleſiae:* quod de effuſione & homicidio per iniuriam factis merito accipiunt interpretes: item effuſione humani ſeminis etiam licita, *can.*19. *D.* 1. *de conſecratione, cit. cap. vlt. & cap.* 5. *ex. de adulteriis,* & ethnici aut excommunicati ſepultura, *cap.* 7. *ex. de conſecr. eccleſiae.*

§. XII. In polluta eccleſia non licet diuina officia celebrare, niſi prius reconcilietur, idque fit ab epiſcopo adſperſione aquae benedictae, cui vinum & cinis addita ſunt, & precibus. Hac autem caerimonia peccatorum reconciliationem deſignari theologi docent: eoque ſpectare videtur cinis, qui in publica poenitentia olim ſollemnis erat. Sed ſi pollutio ſit per ſepulturam excommunicati, ante omnia cadauer, ſi diſcerni poteſt, effodiendum eſt, *can.*18.*D.*1. *de conſecrat.* Quod ſi eccleſia tantum benedicta polluatur, ſola aqua benedicta a presbytero lauabitur.

§. XIII. Exſtructae eccleſiae identidem inſtaurandae & reparandae ſunt, vt perpetuum ſtent. Sarciri autem debent ex bonis earumdem eccleſiarum, ſemperque pars redituum eccleſiaſticorum ſarciendis & inſtaurandis eccleſiis ceſſit. Hinc beneficiarii tenentur ſuorum beneficiorum eccleſias reficere, ſi eis ſuperſint bona vltra frugalem ſuſtentationem, *cap.*4. *ex. de eccleſ. aedificandis*, cui oneri etiam ſubſunt, qui decimas, aut alia bona eccleſiaſtica poſſident, *cap.* 1. *ex. eodem*, niſi eccleſia peculiares reditus fabricis addictos habeat. Quod ſi bona eccleſiaſtica non ſuppetant, pertinet ad chriſtianorum officium eccleſiam parochialem reparare; non enim apud nos receptum eſt decretum ſynodi Tridentinae *ſeſ. XXI. de ref. cap.* 7., quo conceditur epiſcopis, vt patronos & alios poſſeſſores redituum eccleſiaſticorum, & demum parochianos cogant ad paroeciam inſtaurandam.

CAPVT XXVII.

De asylo ecclesiarum.

§. I. VOx *asylum* Graeca est, denotatque locum sanctum, quo confugientes sine piaculo auellere non licet. Apud gentes praesertim Iudaeos, Graecos & Romanos loca asyli fuerunt. Et apud christianos vel a tempore Constantini vsu & consuetudine videtur receptum, vt ecclesiae loca perfugii essent, in quibus rei loci sanctitate defenderentur: cui institutioni caussam praebuerunt ipsi episcopi, qui pro reis apud magistratus intercedere solebant ad poenae debitae remissionem, aut saltem mitigationem. Sic vsu recepto ecclesiarum asylo, christiani imperatores varias ediderunt leges, quibus eius formam & modum constituerunt (a).

§. II. Quicumque vero fuerit asyli modus ex legibus prioribus christianorum principum, certe ex sententia Iustiniani sanctitas asyli ecclesiis concessi ad subleuandos miseros vi oppressos spectabat, non ad inuertenda aliorum iura,

(a) Ius asyli, etiam in ecclesiis, constituendi ad ciuilem potius quam ad ecclesiasticam potestatem videtur pertinere: ciuilis enim potestas merum imperium ad animaduertendum in facinorosos homines a Deo accepit: nec iure euangelico vlla loci sanctitas est, qua rei a potestate gladii eximantur. Ipsi ecclesiae patres id adgnouerunt: etenim sublato per Arcadium ecclesiarum asylo ad eius restitutionem impetrandam Africani patres anno CCCXCIX. legatos ad principes miserunt, *vt pro confugientibus ad ecclesiam quocumque reatu inuolutis legem de gloriosissimis principibus mereantur, ne quis eos audeat abstrahere, can. LXVI. C. Afric.* Sed tandem lapsu saeculorum plerisque iuris canonici interpretibus insedit opinio, ecclesiarum asylum esse iuris ecclesiastici, & ad spiritualem potestatem pertinere.

iura : multo minus in grauioribus criminibus proderat reis ad ecclesiam confugisse. *Templorum cautela*, inquit Iustinianus *nouel. XVII. cap. 7.*, *non nocentibus, sed laesis datur a lege*. Sed in nouis per Occidentem institutis regnis & ciuilis & ecclesiastica potestas ad humanitatem conspirauit, & asyla ecclesiarum omnibus eo confugientibus, etiam ad poenarum publicarum remissionem, profuerunt. Conc. Aurelian. I. *can.* 3., conc. Tolet. XII. *can.* 10., capit. Reg. Franc. *lib. V. cap.* 155. Sic extensum asylorum priuilegium moribus gentium, quae noua regna fundauerant, conueniebat, & praeterea reipublicae non admodum incommodo fuisse videtur. Germani enim aliique septemtrionales populi, qui per Europam se diffuderunt, a poenis sanguinis erant alieni, & grauia delicta ferme multis vindicabant: & praeterea in asylum confugientes rigidae & canonicae subdebantur poenitentiae, qua non minus in bonos ciues, quam bonos christianos proficiebant.

§.III. Post saeculum decimum secundum ampla illa ecclesiarum sanctitas, qua facinorosi omnes asylo defendebantur, sensim summorum pontificum decretalibus restricta est; iam enim receptum erat, ecclesiasticam potestatem pro iure suo de asylis posse statuere. Ergo asylo deiecti publici latrones, & nocturni agrorum populatores, *cap. 6. ex. de immunit. ecclesiarum*; item qui ea spe & consilio deliquerint, vt se sacro loco tueantur; quique in ecclesiis & earum coemeteriis occiderint, aut membra mutilarint, *cap. vlt. ex. eodem*; & qui ex insidiis homines interfecerint, *cap. 1. ex. de homic. volunt.* Nimirum canonicis poenis desuetis non amplius asylorum fructus esse poterat reorum conuersio, sed potius eorumdem impunitas, atque ideo asyla restringenda videbantur.

§.IV. Praestabant vero confugientibus securitatem non solum ecclesiae ex parte interiori, sed etiam exedrae, quae *septa* etiam dicuntur, *L. 4. C. Th. de iis, qui ad eccles. confugiunt*, idque ne reis continuo in ecclesia versari necesse esset. Et quoniam multae ecclesiae sine exedris erant, canon quidam sub nomine Nicolai papae maiori ecclesiae quadraginta passus, minoribus vero triginta passus per circuitum asylo tribuit, *can. 6. C. 17. q. 4.*

Frue-

Fruebantur autem tanto priuilegio etiam ecclesiae non consecratae, modo diuina mysteria in iis celebrarentur, *cap. 9. ex de immunit. ecclesiarum*. Domus quoque, vbi habitant episcopi & parochi, asylo auctae, praesertim si intra septorum ambitum essent. Immo posteriori aetate etiam crucibus per vias defixis, coemeteriis etiam ab ecclesia seiunctis, xenodochiis & aliis locis religiosis asylum tributum est.

§. V. Quoties reis prodest ad ecclesiam confugisse, inde per vim abduci nequeunt, & qui eos eiecerint, violatae ecclesiarum sanctitatis rei iudicantur. Canones apud Gratianum abducentes ab ecclesia reos inuitos excommunicationi & poenitentiae publicae subiiciunt, *can. 20. & can. 25. C.17. q.4.* quae poenae praesertim spectabant eos, qui priuata vi reos ab ecclesiis ad vindictam abducebant. Sed post editas Gregorii IX. decretales etiam magistratus, qui reos ecclesiis abducerent, excommunicati sunt; hac enim aetate inter episcopos & magistratus de asylis controuersiae exortae erant; & hinc factum, vt magistratus inuitis episcopis confugientes asylo abducerent.

§. VI. Iam si dubitetur, an ad ecclesiam confugientes asylo defendantur, cuius iudicis sit decernere, laici, an ecclesiastici, a duobus ferme saeculis disputatur. Sed si res in origine sua expendatur, videtur constare, hoc iudicium ad iudicem laicum pertinere. Sane legibus principum asyla primum constituta sunt, eorumque iussionibus per plura saecula formam acceperunt. Item Leo imperator legis de asylo a se latae extra vrbem Constantinopolim magistratibus mandauit exsecutionem, *L. 6. C. de his, qui ad ecclesiam*. Hinc ciuiles magistratus sibi iudicium adseruerunt, si dubium esset, an reus asylo defenderetur: quod in omnibus ferme christianis prouinciis receptum erat, vt episcopus Couarruuias *lib.II. variar. resolut. cap.* 20. testatur. Quod si in bulla Gregorii XIV. *quum alias nonnulli* cognitio in caussa asyli solius iudicis ecclesiastici esse statuatur; bulla ista nullibi christianarum gentium recepta est. V. Espen. *diss. de asylo templor. cap. IX. n. 11.*

§. VII. Post editam Gregorianam decretalem controversiae de asylis inter magistratus & episcopos fuerunt fre-

frequentiores, praesertim apud nos; Reges etiam nostri nihil de iuribus maiestatis imminutum volebant, & interim cum pontificibus aperte decertare detrectabant. Disputatum est apud nos vsque ad pacta conuenta inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum, quibus controuersiae de asylis etiam compositae sunt. Sane modus abducendi reos ab asylo praescriptus est; data forma iudicio, quo, an reus asylo defendatur, decernendum est; auctus numerus criminum asylo deiectorum; & locorum immunium numerus deminutus.

§. VIII. Ac primum quidem si laicus, qui excepti criminis reus putatur, ab asylo extrahendus est, magistratus, vbi adsunt indicia ad capturam, veniam petet ab ecclesiastico superiore, qui in vrbe est episcopus, eiusue vicarius, in dioecesi vero qui superioris vice fungitur; & abductio fit praesente persona ecclesiastica, quam superior ecclesiasticus elegerit. Abductus reus traditur iudici saeculari, qui iurato & in scriptis cauet, se reum nomine ecclesiae detenturum, eumque in integrum restituturum, si asylo locum esse decernatur. Quod si non restituatur, integrum est episcopo poenis canonicis contra magistratum veluti reum violatae immunitatis vti. Licentia autem abstractionis ab ecclesiastico superiore denegata, magistratus eadem praestita cautione reum abducit, sed ea modestia, quae domum Dei decet. *Concord. cap. II. n. 1. seqq.*

§. IX. Ciuili custodiae reo tradito, magistratus acta iudicialia de crimine conficere debet, eaque quatuor mensium spatio ad episcopum transmittere. Episcopus vero vnius mensis spatio decernet, an reus asylo defendatur. Quod si praescripto quatuor mensium spatio acta iudicialia episcopo non exhibeantur, poterit hic ex formula obligationis petere a magistratu restitutionem rei in ecclesiam, quam iudici non licet differre. Et vbi mensis spatio episcopus non pronuntiauerit, an reus asylo gaudeat, ipso iure cognitio ista ad forum mistum Neapoli constitutum deuoluitur. Vt vero possit episcopus pronuntiare, reum asylo non defendi, indicia ad torturam sufficiunt. Cessat autem obligatio iudicis ad reum in ecclesiam restituendum, vbi pronuntiatum est, reum asylo non gaudere;

dere; at interim noua obligatione se iudex adstringit, de reo iterum in ecclesiam restituendo, si hic criminis indicia diluerit. Integrum interim est fisco laico vel ecclesiastico contra episcopi sententiam ad forum mistum provocare. Episcopi vero, quibus haec cognitio tribuitur, sunt proprie sic dicti episcopi, non inferiores praelati, nisi isti speciali sedis apostolicae indulto hac cognitione augeantur. *Concord. loc. cit. n. 3. seqq.*

§. X. Porro pactis conuentis multa crimina asylo excludunt, quae antea non excludebant. In primis asylo deiecti incendiarii, quique eis opem, aut consilium scienter dederint, quoties dolo locum sacrum, aut religiosum, & vrbana, aut rustica praedia, aut greges incenderint. II. plagiarii, hoc est, qui per vim aut dolum homines abducunt, secumque retinent, vt pecunia se redimant: quique nuntiis, aut litteris pecunias aliasue res extorquent, metu mortis aut incendii iniecto. III. venefici, qui scienter & dolo malo & animo nocendi componunt, vendunt, praebent venena, licet effectus nullus fuerit. IV *assassini*, hoc est, qui ad caedem hominis suas locant operas, aut conducunt alienas, quique opem aut consilium dederint, etsi mors secuta non fuerit, modo peruentum sit ad actum proximum, nempe vulnus. V. latrones & grassatores viarum siue publicarum, siue vicinalium, quamvis personas non laeserint. VI. qui noctu quauis arte, seu instrumento domus, tabernas, seu alias cellas promtuarias intrauerint, sustulerintque tantum, vnde poenam mortis mereantur. VII. qui simulato publicae potestatis nomine noctu domus ingrediuntur, ibique vel furantur, vel vim mulierum honestati inferunt. VIII. qui mensae publicae argentariae tabulas, siue syngraphas adulterant, quique falsa mandata conficiunt, vt depositas in ea pecunias exigant. IX. mercatores, qui dolo malo decoxerunt. X. quaestores, seu praefecti exactionibus fiscalibus, si in receptis pecuniis id furtum aut fraudem admittant, vt poenae ordinariae locus sit; item publicis argentariis tabernis praefecti, ministrique, & publicorum montium ministri, qui in pecuniis aut pignoribus fidei suae concreditis eiusmodi furtum admittunt, vt legitimam poenam mereantur: quo eodem iure censentur, qui pecu-

nias vniuersitatum conseruant. xi. rei laesae maiestatis in primo & secundo capite, sed in postrema specie continentur tantum, qui ministris ab Rege iurisdictionem habentibus personalem iniuriam inferunt. xii. qui ab asylo reos abstrahunt, aut abstrahi iubent. xiii. qui in locis asyli homicidia, aut mutilationes membrorum, aut alia crimina admittunt, quae communi iure poena sanguinis aut triremium vindicantur, vt & ii, qui asylo exeuntes, eadem crimina admittunt. xiv. abutentes asylo, si in aliam ecclesiam auctoritate episcopi translati, nec se a maleficio abstinent. Et demum confugio excluduntur depopulatores agrorum, haeretici, litteras apostolicas falsantes, homicidae praemeditati, & rei falsae monetae. *Concord. loc. cit. n. 9. & seqq.*

§. XI. Demum pactis conuentis locorum immunium numerus deminutus est. Etenim asylo priuatae sunt ecclesiae rurales, in quibus eucharistia non seruatur, modo non sint parochiales, aut ad curam animarum addictae: item oratoria, vulgo capellae, in domibus priuatorum & nobilium exstructa, etsi aditum ad viam publicam habeant, & publicarum capellarum priuilegio nitantur; tum etiam capellae arcium castrorumque clausorum, licet in eis eucharistia custodiatur. Nec asylo donatur turris campanaria ab ecclesiis seiuncta, nec ecclesiae derelictae, nec horti & viridaria & alia loca ecclesiarum & aedium religiosarum parietibus & claustro non comprehensa: item nec tabernae & domus muris ecclesiarum & monasteriorum adnexae, licet interius in ecclesias & monasteria aditus pateat. Domus vero parochi & aliorum clericorum, qui curae animarum addicti sunt, gaudent asylo, modo ecclesiis coniungantur, & interius in eas aditum habeant. Verum in ecclesiis asyli spatium non extenditur vltra atrium, quoties muro circumdatum est, porticus, scalas & portas tam a fronte quam a latere, & adspectum anteriorem. *Concord. loc. cit. n. 26. seqq.*

CA-

CAPVT XXVIII.

De sepulturis.

§. I. Sepultura mortuorum ipsa natura duce inter omnes gentes, etiam barbaras, recepta est, quamvis varii fuerint sepeliendi ritus (*a*). Sed christiani omni tempore pium & religiosum habuerunt integra cadauera sepelire; idque quia humatio benignior & humanior videretur, & praesertim in spem futurae resurrectionis.

§. II. Apud Romanos sepulcra erant extra vrbes, idque iure duodecim tabularum cautum erat, & saepe novis legibus confirmatum est. Sauaro *in Sidon. lib. III. ep.*12. (*b*). Similiter christiani extra vrbes corpora suorum fratrum sepeliebant, Chrysost. *hom. XVII. de fide*, *L.6. C. Th. de sepulcris violatis*; nec enim quod leges publicae ceteris ciuibus denegabant, christianis poterant permittere. Extra vrbes corpora christianorum sepeliebantur in priuatis sepulcris, vel in fornicibus & catacumbis: quae loca dicebantur *cryptae* & *arenaria*, quod in arena foderentur, & *coemeteria*, quasi loca dormitionis. Incognita antiquioribus christianis fuit in ecclesiis sepultura, eaque

(a) Condiebant Aegyptii mortuos, eosque domi seruabant: alii cadauera ipsa, vti erant, humo obruebant: & alii in primis Graeci & Romani cadauera cremabant, & cineres sepeliebant. Per plura saecula stetit vstio apud Romanos, etsi interim plures humationem vsurparent; tandem vero sensim cadavera cremari desierunt, qui mos a Commodi imperatoris aetate frequentior euasit.

(b) Extra vrbes vero sepulcra ponebantur ad vias publicas, vt *praetereuntes admonerent, se fuisse & illos esse mortales*, vt ait Varro *de ling. lat. lib.V.* Sepeliebant vero Romani extra vrbes, *ne funestarentur sacra ciuitatis*. Paul. *lib. I. sent. tit.* 21. §. 1.

eaque post datam ecclesiae pacem sensim inualuit (c).

§. IV. Quamuis vero iure nouo christianis omnibus in ecclesia sepultura permissa sit; tamen etiam in noua disciplina fidelium dormitioni potius coemeteria, quam ecclesiae videntur destinata. Conc.Mediolan.1. *par.II.cap.61.* V.Espen. *par.II. sect.4. tit.7. cap.2. edit. Neapol.* Sunt coemeteria loca religiosa episcopali benedictione ad fidelium sepulturam addicta, & ipsis ecclesiis vt plurimum adhaerentia, licet e republica esset extra vrbes transferri, & in locis apertis constitui, vt relinquant incolarum domicilio sanitatem. Vbi vero coemeteria nulla sunt ab ecclesiis distincta, christiani in ecclesiis sepeliuntur, sed sepulcra in choro, aut prope altare non passim concedenda: quod Ferrariensis *de non sepeliendis mortuis prope aras* docet. Interim in loco profano nefas habetur christianos sepelire, & hinc electio sepulturae in loco profano nulla est, *cap. 3. ex. de sepulturis*, & ibi Gonzalez.

§. IV. Iam christiana sepultura censetur pars ecclesiasticae communionis, quae post mortem perseuerat: & inde parochiani in ecclesia parochiali, cum qua viui communicabant, sepeliri debent. Parochiani autem in caussa sepulturae sunt, qui in finibus paroeciae ita morantur, vt viui sacramenta in ipsa percipere, & parochi ipsis

---

(c) Nempe pium & religiosum arbitrabantur christiani apud martyres, quorum reliquiae in ecclesiis conditae erant, post mortem quiescere. Hinc primum imperatoribus veluti priuilegio datum est, vt in vestibulo ecclesiae eorum corpora quiescerent, Euseb. *lib. IV. de vit. Constant. cap.* 71. Chrysost. *hom. XXVI. in* 2. *ad Corinthios*: inde reges, episcopi, abbates, digni presbyteri & ipsi laici sanctitate conspicui in ipsis ecclesiis sepulti sunt, conc. Moguntin. *can. LII.* Interea vero fideles laici in atrio vel porticu ecclesiarum sepeliebantur, conc. Brac. 1. *can.* 36., conc. Nannat. *can. VI.*, donec tandem saeculo nono & deinceps mos receptus est, vt cadauera omnia in ecclesiis humarentur. Ceterum receptis in ecclesia sepulturis non bene viuentibus consultum; nam in locis conclusis aër adficitur tetris cadauerum particulis, quibus respirationi & vitae noxius euadit.

ipsis administrare teneantur. Hinc peregrini in paroecia, vbi eos decedere contingit, sepeliuntur, modo commode in suam parochiam efferri nequeant, *cap.5. ex. de sepult. in 6.* Monachi autem & religiosi in monasterii sui ecclesia vel coemeterio sepeliendi sunt, *cap.vlt. eod. in 6.*, ipsis enim loco paroeciae monasterium est: & similiter canonici & beneficiarii omnes in ecclesia capituli vel beneficii sui sepeliendi. Quod si contra interdictum cadauer extra propriam ecclesiam tumuletur, si petatur, effodiendum est, & propriae ecclesiae restituendum, *cap. 5, ex. eod.*

§. V. Sed parochialis sepultura duobus casibus locum non habet, puta si exstet maiorum sepulcrum, aut si quis viuus sibi sepulturam elegerit. Sepulcra maiorum eadem ac familiaria videntur esse, in quibus quiescendi omnes de familia ius habent. Quoniam vero quisque apud maiores suos quiescere intendit, hinc existente maiorum sepulcro, cessat parochialis sepultura, & quisque de familia in eo sepeliendus est, *can.* 2. C. 13. *q.* 2., quasi ex tacita sepulturae electione, *cap.* 1. *&* 3. *ex. de sepulturis.* Item locum non habet parochialis sepultura, si aliquis sibi locum dormitionis seligat, quod iure canonico puberibus omnibus, etiam vxoribus & filiisfamilias facere licet, *cap. 7. ex. eodem*, *cap.* 4. *eod. in 6.* Quibus vero casibus defuncti sepeliantur extra paroeciam, exsequiae in propria ecclesia celebrandae sunt, *cap. 9. ex. eodem:* quae disciplina in Gallia & Belgio integra seruatur; at in Italia cadauera extra paroeciam sepelienda, antequam domo educantur, per parochum benedicenda sunt, eoque comite ad sepulturae locum efferenda.

§. VI. Antiqua est disciplina, qua pro mortuis oblationes fiunt, easque ecclesia recipiebat, si christiani in eius communione ex hac vita migrassent. Diu oblationes istae sola offerentium voluntate steterunt, at post saeculum decimum in laudabiles abierunt consuetudines, quibus post exsequias cogi possunt heredes ad consuetas oblationes, *cap.42. ex. de simonia.* Atque haec sunt iura funeraria, quae parochis debentur propter animarum curam. Saeculo nono & sequentibus pleraeque paroeciae nullos status reditus habebant, quod earum bona vel ad laicos, vel ad monachos, vel canonicos deuoluta erant: hinc

ad alendos clericos piae offerendi consuetudines constabilitae. Ceterum in exigendis iuribus funerariis parochi modum tenere debent, ne videantur ex terra putredini concessa quaestum facere, praesertim vero humani & liberales esse debent in pauperes.

§. VII. Quod si aliquis extra ecclesiam parochialem sepeliatur, paroeciae *quarta funeraria* seu *canonica* debetur: certa nempe portio oblationum & legatorum, quae ecclesiae sepulturae offeruntur, aut relicta sunt. Iustum visum fuit, ex obuentionibus funerariis, quae ecclesiae sepulturae adquiruntur, aliquid tribuere ecclesiae parochiali, quae curam spiritualem defuncto impendit, *cap.* 1. *ex. de sepulturis*. Portio ista non est vbique eadem, sed alibi medietas, alibi tertia, alibi quarta integra pro locorum moribus, *cap.* 9. *ex. eodem*, & interim semper *quarta* dicitur, pendetque etiam ex locorum moribus, aut pactis conuentis, ex quibus oblationibus & relictis deducenda sit. Cadit vero ecclesia parochialis sibi debita quarta triginta aut quadraginta annorum praescriptione cum titulo, vel immemorabili tempore sine titulo. Barb. *de off. parochi par. III, cap.* 25.

§. VIII. Sepultura ecclesiastica carent omnes, quibus viuis cum ecclesia communicare non licuit; est enim pars christianae communionis, quae etiam post mortem manet. Itaque ecclesiastica sepultura priuantur infideles, apostatae, haeretici & schismatici manifesti, item excommunicati vt tales denuntiati, quique palam clericum, aut monachum percusserint, & nominatim interdicti, *cap.* 10. *ex. de sepulturis*, *cap.* 17. *ex. de verbor. significat.* Porro non donantur ecclesiastica sepultura, qui in mortali peccato decessisse videntur, quales qui sibi mortem consciuerunt, qui in pascha peccata sua nec confessi sunt, nec eucharistiam sumserunt, *cap.* 12. *ex. de poenit. & remissionibus*, monachi mortui cum peculio, *cap.* 6. *ex. de statu monachorum*, fures & latrones in crimine occisi, *cap.* 2. *ex. de furtis*, vsurarii manifesti, *cap.* 2. *de vsuris in* 6., & generatim omnes manifesti peccatores, qui sine poenitentia decesserint. Quod si horum aliquis in loco sacro tumuletur, cadauer, si discerni possit, effodiendum est, & procul ab ecclesia in loco profano sepeliendum, *cap.* 12.

ex.

ex. de sepulturis. Vltimum supplicium passi, si condignam poenitentiam egerint, ex aliquorum canonum sententia donari possunt christiana sepultura *can.* 30. C. 13. *q.* 3., modo leges ciuiles humationem permittant.

CAPVT XXIX.

De Monasteriis.

§. I. Monasteria initio fuerunt solitariorum habitacula, speluncis potius quam domibus similia; at instituta a Pachomio vita coenobitica, monasteria etiam fuerunt domus, in quibus coenobitae habitabant. Mona steria ex monasticis institutis in solitudinibus & procul ab vrbibus initio constituta: idque postulare videbatur perpetua poenitentia & ascesis, cui monachi se addicebant: planctus enim & luctus requirunt solitudinem. Primus omnium S.Basilius monachorum domicilia in vrbibus videtur constituisse, vt catholicae fidei contra Arianos suppetias ferrent. Socrat. *lib.IV. cap.26.* Quo exemplo deinceps in vrbibus, vel prope eas passim monasteria excitata, quamuis etiam posteriori aetate, qui monasticam disciplinam instaurarunt, in solitudinibus suas primas sedes collocarint. Mendicantes vero ab initio in ciuitatibus & oppidis suas aedes posuerunt; vt ita esse possent clericis adiutorio in cura animarum procuranda.

§.II. Quocumque autem loco constituantur noua monasteria & regularium aedes, praecedere debet episcopi, in cuius dioecesi constituuntur, consensus. Conc. Chalced. *can. IV.* Iustin. *nouell. V. cap.* 1. Exortis mendicantibus consensus iste magis euasit necessarius; mendicantes enim contra regulas & naturam vitae monasticae episcopis & parochis in animarum cura, veluti copiae auxiliares, accesserunt; atque ita praeposterum esse videbatur, nouos mendicantium conuentus episcopis insciis & inuitis excitare. Quin ex legibus & moribus prouincia-

tum nec licet aedificare noua monasteria, nisi etiam civilis potestas adsentiatur.

§. III. Iam nouo monasterio seu conuentui excitando sub certa forma licet episcopis consentire, quae a Clemente VIII. in *bul. quoniam ad institutum* & a Gregorio XV. in *bul. quum alias* statuta est. In primis constare debet, nouos colonos sine veterum incommodo posse sustineri: & hinc aduocandi & audiendi priores antiquorum monasteriorum & conuentuum, qui per quatuor millia passuum in locis circum positis existunt. Audiendi quoque incolae loci, & praesertim parochus, maxime si noui religiosi mendicantes sint. Praeterea nullius monasterii permittenda aedificatio est, nisi in eo saltem duodecim monachi seu religiosi habitare, ac ex reditibus & consuetis eleemosynis sustentari possint. Et demum monasteria monialium in vrbibus & oppidis constituenda sunt, ne moniales hominum malorum praedae exponantur. Trident. *sess. XXV. de regul. cap.* 5. Vbi vero decretum est, nouum monasterium aedificari, fabrica non inchoanda, nisi prius episcopus in loco preces fundat, & salutis nostrae signum, crucem nempe, terrae defigat. Iustin. *nouel. V. cap.* 5.

§. IV. Monasteria omnia origine sua in spiritualibus potestati episcoporum, in quorum dioecesi posita sunt, subiacent, non secus ac reliqua loca sacra & religiosa. Hinc episcopi eadem inuisere, *cap.*8. *ex. de relig.domibus*, & in iis actus omnes ecclesiasticae iurisdictionis exercere possunt. *Can.* 10. *C.*16. *q.*1., *can.*1. 18. *&* *seq. C.* 18. *q.* 2. Sed a pluribus saeculis monasteria & monachi, etiam mendicantes, a potestate episcoporum exemti sunt, & vni pontifici parere coeperunt. Qua exemtione ruina monasticae disciplinae promota est, & ordo hierarchiae turbatus. Hinc pluries de exemtionibus abolendis tractatum, sed numquam excisae: tantum in comitiis Tridentinis temperatae sunt, pluribus in eam rem editis decretis. Nimirum monasteria, quibus laicorum spiritualis cura adnexa est, quod spectat ad curam animarum, episcopis subiecta sunt. Trident. *sess. XXV. de regular. cap.* 11. Episcopis quoque tamquam apostolicae sedis delegatis commissa monasteria monialium *ἀμέσως* pontifici subiecta.

Tri-

Trident. *loc. cit. cap.* 9. Illis quoque iure delegato data ſanctimonialium omnium exemtarum clauſura. Trident. *loc. cit. cap.* 5. Epiſcopi quoque etiam tamquam apoſtolicae ſedis delegati quotannis inuiſunt monaſteria in commendationem conceſſa, vbi neglecta iacet clauſtralis diſciplina. Trident. *ſeſ. XXI. de ref. cap.* 8. Item ab Vrbano VIII. epiſcopis ſubiecta ſunt monaſteria recenter erecta, vel deinceps erigenda, in quibus ſaltem duodecim monachi ſeu religioſi non ſint, *bul. XLIII.* §. 14.

CAPVT XXX.

De hoſpitalibus.

§. I. Hoſpitalia proprie ſic dicta ſunt aedes ad hoſpites & peregrinos excipiendos; at paſſim eo nomine veniunt loca quaelibet recipiendis & alendis pauperibus, infirmis aliiſque miſeris, qui aliena opera indigent, addicta. Hinc hoſpitalia ſunt varii generis, quae nominibus propriis apud veteres deſignantur, veluti *xenodochia*, quae ſunt peregrinorum hoſpitia; *ptochotrophia*, vbi aluntur pauperes debiles, *orphanotrophia*, vbi pueri parentibus orbati educantur, *brephotrophia*, quae infantium educationi inſeruiunt; *noſocomia*, vbi infirmi curantur; & *gerontocomia*, vbi pauperes ſenes aluntur (*a*).

 §. II.

(a) Summa ſemper fuit eccleſiae cura in fouendis & recreandis pauperibus miſeriſque hominibus, qui aliena opera & auxilio indigerent; at vbi eccleſiae pax data eſt, coeperunt epiſcopi & chriſtiani peculiares aedes ad miſeros & pauperes excipiendos & fouendos extruere. Praeſertim vero chriſtiani Occidentales ſaeculis octauo & ſequenti hoc nomine inclaruerunt: nam ferme omnia monachorum & canonicorum monaſteria aedes ad excipiendos peregrinos, pauperes, infirmos habuerunt adnexas, & praeterea chriſtiani multa alia eius generis diuerſoria fundarunt. V. Murator. *diſſ. XXXVII. antiq. Italic.* Tum enim

§. II. Hospitalia autem generatim sic dicta vel religiosa, vel profana sunt. Religiosa episcopi auctoritate, profana iniussu eius fundata sunt. Quibus notis religiosas & profanas hospitales domus interpretes saniores secernunt, idque conuenienter pontificum decretalibus, quae tantum religiosas habent domus hospitales auctoritate episcopi exstructas, *cap.4. ex. de relig. domib.* Sed non desunt, qui omnia pia loca, quamuis religiosa, a laicis administrata, profana dicunt: contra religiosa, quae clerici procurant. Quae sententia apud nos certo iure nititur, vtpote quae pactis conuentis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum *cap. V.* confirmata est.

§. III. Hospitales domus omnes ex veteri ecclesiae disciplina episcoporum potestati & in spiritualibus & in temporalibus subsunt. Conc. Chalced. *can.VIII.*, *L. 42. §.9.*, *L.46. §.3. C. de episc. & clericis* & *nouel. CXXIII. cap.23.* (*b*). Nihil vero intererat, vtrum clerici, an laici domus istas procurarent, & vtrum iussu, an iniussu episcopi essent exstructae; semper enim erant in episcopi potestate, quando leges ciuiles id constituerant.

§. IV. At labentibus annis multae domus hospitales episcoporum potestatem excusserunt, aliae in totum, aliae tantum in temporalibus. In primis hospitalia regum speciali protectione aucta ab episcoporum potestate subtracta sunt. Item hospitalia, quae nulla episcopi potestate fundata sunt, veluti loca profana habita, & saltem in tem-

enim frequentes euaserant sacrae peregrinationes, ad quas fovendas ferme vbique hospitales domus erant necessariae.

(b) Auctoritas autem ista episcoporum origine sua ecclesiastica erat, qua sacris in vsum miserorum celebrandis, & tamquam boni patresfamilias temporalibus etiam praesidebant; nam ciuilis & publica in hospitalia potestas politici regiminis erat. Quoniam vero episcopi industrii erant in operibus caritatis procurandis, christiani principes, in primis Iustinianus, iis etiam dederunt publicam & ciuilem in domus hospitales potestatem, *L.42. §.9.*, *L.46. §.3. C. de episc. & clericis*, *nouel.CXXIII. cap. 23.* Et similiter idem Iustinianus bona hospitalium bonis ecclesiasticis accensuit, *L. 23. C. de sacros. ecclesiis.*

temporalibus extra episcopi potestatem, *cap.* 4. *ex. de relig. domib.* Multa quoque hospitalia priuilegiis pontificum ab episcopi potestate subtracta sunt, & vni pontifici subiecta. Et demum non defuerunt principes, qui episcopos a temporali hospitalium administratione excluserunt, eaque in hac parte laicis iudicibus subiecerunt; quod in Gallia factum est.

§ V. Deminutam episcoporum in domus hospitales potestatem synodi Viennensis & Tridentina curarunt reparandam. Et quidem Viennensis statuit, vt si hospitalium administratores siue clerici, siue laici ignauius in administrationem incumbant, episcopi propria auctoritate in sibi subiectos rectores, in exemtos delegata pontificis procedant, & hospitalia reforment & in integrum restituant. *Clement.* 2. *de religiosis domib.* Postea synodus Tridentina *sess. VII. de ref. cap.* 15. hunc Viennensem canonem innouauit; item potestatem fecit episcopis, vt etiam tamquam apostolicae sedis delegati in casibus ab iure concessis hospitalia omnia & collegia quaecumque laicorum inuiserent, exceptis iis, *quae sub regum immediata protectione sunt sine eorum licentia*, *sess. XXII. de ref. cap.* 8. Et demum statuit, vt clerici siue laici hospitalium administratores quotannis ordinario reddant rationes, nisi in fundatione aliter cautum sit; & si consuetudine, vel priuilegio, vel loci statuto aliis ad id deputatis rationes reddendae sint, etiam cum iis loci ordinarius adhibeatur. Trident. *loc. cit. cap.* 9.

§. VI. Decreta ista Tridentina de hospitalibus aliisque locis piis, vtpote quae iura laicorum inuertebant, nec in aliis prouinciis, nec apud nos recepta sunt. Hinc de hospitalium in rebus temporalibus regimine inter saecularem & ecclesiasticam potestatem frequentes controuersiae emerserunt. Tandem vero controuersiae istae apud nos pactis conuentis inter Benedictum XIV & Carolum olim Regem nostrum compositae sunt, & ius certum constitutum, *cap. V. n.* 1. *seqq.* Tres hospitalium species distinctae, vna eorum, quae sub regum *immediata protectione* sunt, altera eorum, quae a laicis, & tertia eorum, quae a clericis procurantur. Hospitalia sub regum *immediata protectione* (qualia censentur, quae regiae fundatio-

nis & dotationis sunt, & quae in ipsa fundatione ex voluntate fundatoris regiam protectionem meruerunt) ab episcopi potestate & visitatione etiam in spiritualibus eximuntur. Hospitalia a laicis administrata tantum in spiritualibus ab episcopo visitantur; administrationis vero rationes reddendae coram ratiocinatoribus de more electis per eos, ad quos electio ista spectat, & persona ad id ab ordinario deputata, quae gratis intersit. Data quoque foro misto, quod Neapoli sedem habet, potestas in loca pia profana, exceptis iis, quae regum speciali protectione muniuntur. Et demum hospitalia a clericis administrata in spiritualibus & temporalibus ab episcopis visitantur.

§. VII. Iure communi pauperes & miseri in hospitalibus recipere debent sacramenta ab ecclesia parochiali, in cuius finibus posita sunt hospitalia. Espen. *par. II. sect. 4. tit. 6. cap. 3. edit. Neapol.* Et passim hospitalia a laicis administrata manent sub cura parochorum, licet in iis sint exstructa sacella. Verum multae ex hisce domibus sunt, quae ad sacra administranda speciales presbyteros habent, quod episcopi, aut pontificis priuilegio, aut pactis conventis inductum est.

§. VIII. Hospitalium officiales singulis annis administrationis suae reddere rationes tenentur. *Clement.* 2. §. 2. *de relig. domib.* Reddendae vero sunt rationes *ordinariis, seu aliis, quibus subsunt loca huiusmodi, vel deputatis ab eis, cit. Clement.* 2. At synodus Tridentina *sess. XXII. de ref. cap. 9.* statuit, vt administratores clerici, siue laici hospitalium & aliorum piorum locorum ordinariis locorum reddere rationes teneantur, nisi in fundatione aliter cautum sit: & quo casu siue ex consuetudine, siue priuilegio, siue peculiari loci statuto aliis ad id deputatis reddendae sint, etiam cum iis antistes ordinarius adhibeatur. Sed decretum hoc, vtpote extendens episcopi potestatem ad loca laicalia, in hoc regno receptum non est; vigentque pacta conuenta inter Benedictum XIV. & Carolum olim regem nostrum, quae *cap. V. n.* 2. habent, etiam personam ab ordinario deputari debere, vbi rectores laici piorum locorum reddunt rationes, nisi loca illa regiae protectioni specialiter subiaceant.

CA-

CAPVT XXXI.

De oblationibus.

§. I. VEntum eſt ad res eccleſiae temporales, quae vſibus eccleſiaſticis deſeruiunt. Eiuſmodi res ad tres praecipuas claſſes referri poſſunt, oblationes nempe, fundos ſeu res immobiles, & decimas & primitias. Oblationis nomine generatim veniunt res omnes ſiue mobiles, ſiue ſoli, quacumque ratione Deo elargitae, ſiue pertineant ad ſacrificii vſum, ſiue clericorum & pauperum alimentis deſtinatae ſint. Sed in praeſenti ſtrictius vocem oblationis accipimus, quatenus denotat res mobiles & munera, quae ſponte fideles ad altare vel extra altare offerunt.

§. II. Tria oblationum genera ſtatui poſſunt: aliae tempore ſacrificii inferebantur altari; aliae ad epiſcopi domum deferebantur; & demum aliae fieri conſueuerunt in adminiſtratione ſacramentorum, in exſequiis defunctorum & aliis ſacris officiis. Et ad altare quidem tempore oblationis omnes in euchariſtia communicantes, ſi poterant, etiam monachi, offerebant panem & vinum: quo loci etiam oleum & incenſum & nouae ſpicae & vuae ſolebant offerri, *can. IV. apoſtol.* Ex oblatis pane & vino euchariſtiae elementa deſumebantur, & reliqua alendis clericis & pauperibus inſeruiebant. Sed lapſu temporis, vbi panis azymus in ſacris myſteriis adhibitus eſt, deſierunt panis & vini ad altare oblationes, earumque loco miſſae honorarium ſucceſſit. Et ſi adhuc in multis pagis & oppidulis viget mos aliquid offerendi inter miſſarum ſollemnia, oblationes iſtae poſt euangelium, non tempore oblationis fiunt, & pro euchariſticis haberi non poſſunt.

§. III. Secundum genus oblationum eſt earum, quas chriſtiani, prout poſſunt & volunt, in eccleſiae vſum elargiuntur. In eccleſia ſecundo ſaeculo erat arcae quoddam genus, in quam fideles pro arbitrio & voluntate ſua mo-

modicam stipem apponebant. Tertull. *apol. cap.XXXIX.* Inde institutum fuit *gazophilacium*, hoc est locus in exedris ecclesiae, in quem huius generis oblationes deferebantur & adseruabantur. Conc Carthag. IV. *can.* 93. August. *serm. L. de diuers.* Quin in ecclesiis Gallicanis huiusmodi oblationes etiam ad altare videntur factae. Conc. Aurel. I. *can.* 16. & *seq.*

§. IV. Erat quoque tertium genus oblationum, quas christiani in suscipiendis sacramentis, in exsequiis mortuorum, in dedicationibus ecclesiarum aliisque sacris officiis pro pietate sua elargiebantur. Quarto saeculo sollemnis erat mos in baptismo aliquid offerendi. Greg.Nazianz. *orat. XL. de bapt.* Et si synodus Illiberitana *can. XLVIII.* statuit, ne de more catechumeni tempore baptismi numos in concham mitterent: regula ista peculiaris fuit, eique non malum, sed mali species dedit occasionem: nimirum ne sacerdos, quod gratis acceperat, pretio distrahere videretur Generatim vero in huius generis oblationibns id ecclesia edixit, si quid sponte offeratur, recte accipi, nefarias vero esse exactiones.

§. V. Cuiuscumque vero generis essent oblationes, non ab omnibus christianis accipi solebant, sed tantum ab iis, qui in eucharistia communicabant. Nimirum oblationes, praesertim eucharisticae, erant signum ecclesiasticae communionis; & hinc eorum, qui in eucharistia non communicabant, oblationes respuebantur. Conc. Illiber. *can. XXVIII.* Ipsi poenitentes consistentes dicti, quamuis in precibus communicarent, non tamen offerebant ad altare. Conc. Nicaen. *can.XI.* Ancyr. *can. IV.* Quin si haeretici antequam in haeresim laberentur, aliquid ecclesiae intulissent, id eis post lapsum restitui solebat. Tertull. *de praescript. can.XXX* Ambros. *ep XXX ad Valentinian.* Interim si poenitentes ante reconciliationem inopini & absolutionis cupidi morerentur, eorum nomine factas oblationes pleraeque ecclesiae recipiebant, conc. Arelat. II. *can.* 12. Tolet XI. *can.* 12. Qua receptione in pacem & communionem admissi censebantur.

§.VI. Porro oblationes erant spontanea elargitates, nec aliquis ad eas offerendas cogebatur: quae est antiqua ecclesiae

clesiae disciplina (*a*). Verum labentibus annis oblationes, quae in administrandis sacramentis, in exsequiis & ceteris sacris functionibus fiebant, in laudabiles consuetudines abierunt: quae disciplina inualuit in aliquibus ecclesiis post saeculum decimum, tum in concilio generali sub Innocentio III. generatim probata est, vbi statutum, libere conferenda esse christiana sacramenta & reliqua sacra officia, teneri vero fideles ad consuetas oblationes, & ab episcopo cogi posse, si offerre detrectent, *cap.42.ex. de simonia* (*b*). Et haec sunt iura parochialia, quae satius fuisset non induci, aut inducta aboleri, vbi primum ecclesiae aliis reditibus auctae sunt; est enim, quantum fieri potest, a ministris ecclesiae amouenda omnis auaritiae turpisue quaestus suspicio & occasio. Et recte Tridentini patres *sess. XXI. de ref. cap.* I. in ordinationibus nec sponte oblata quocumque titulo accipi permiserunt.

§. VII. Oblationes autem omnes, etiam quae sponte fiunt, ad ecclesiam parochialem spectant, idque ob spiritualem curam, quae parochis demandata est, *cap.9. ex. de his, quae fiunt a prael. sine cons. capituli.* Cedunt vero oblationes ecclesiae parochiali, etiamsi in alia inferiori capella, aut loco intra paroeciae fines fiant, nisi de contraria offerentium voluntate constet. Barbosa *de off. parochi*

(a) Tantum eucharisticae panis & vini ad altare oblationes necessitate quadam continebantur: nam turpe videbatur, diuites ad altare non offerre. Cypr. *de opera & eleemosynis*, August. *serm.CCXV. de tempore*. Quin Hieronymus *epist.I. ad Heliodor.* etiam monachos ad altare offerre adstrictos fuisse testatur. Panis & vini eucharisticae oblationes spectabant ipsum sacrificium, quod christiani omnes suo modo offerre censebantur, & de eo omnes participabant; vt proinde nefas videretur eo spectantes oblationes a diuitibus non offerri.

(b) Saeculo decimo & deinceps bona paroeciarum, etiam ipsae decimae, pro maxima parte in laicos, monachos & canonicos transierant; & propter malos clericorum mores christiani parum liberales erant in ecclesias parochiales. Hinc clerici non habebant vnde viuere, atque ideo dura temporum conditio pias offerendi consuetudines in necessitatem conuertere fecit.

rochi cap. XXIV. Nimirum fideles offerre praesumuntur ob spiritualem curam, quam de se habet ecclesia: quae praesumtio oblationes ecclesiae parochiali addicit. Cessat vero haec praesumtio, quando constat, aliam esse offerentium voluntatem, & oblationes illis locis seu vsibus cedunt, quibus impendi fideles volunt, edicuntque. V. card. de Luca *disc.XIX. de decimis.* Item oblationes paroeciae non adquiruntur, si priuilegium aut consuetudo eas alii ecclesiae, aut pio loco addicat.

C A P V T XXXII.

De praediorum ecclesiasticorum adquisitione.

§. I. Quousque ciuilis potestas christianam religionem persecuta est, ecclesiae reditus fuerunt in rebus mobilibus, quas pro pietate sua fideles offerebant, res vero immobiles ferme nullae fuerunt. Tum ecclesia ex sententia iuris ciuilis collegiis illicitis accensebatur, quibus nec donare, nec hereditates relinquere ius erat, *L.8. C. de heredib. instituendis.* Nec a christianis Christus heres poterat institui; quia, vt auctor est Vlpianus *fragm. tit. XXII.* §.6., dii heredes institui non poterant, praeter eos, quos leges instituere concessissent. Verum post tertii saeculi medietatem plures ecclesiae fundos possidere coeperunt; in longa enim illa imperii confusione post Valeriani captiuitatem continuata non multum valebant leges, atque ideo facile fuit ecclesiis fundos adquirere.

§. II. Sed post pacem christianis datam ecclesia fundos magna copia adquisiuit, idque testamentis & legitimis hereditatibus & variis titulis inter viuos. Et quod spectat testamenta, primus Constantinus M. ecclesiam inter collegia legitima recensuit, eique dedit ius adquirendi ex testamento siue hereditates, siue legata *Habeat vnusquisque licentiam sanctissimo catholicae*, ecclesiae, *venerabilique concilio decedens bonorum, quod optauerit, relinquere, L. 1. C. de sacros. ecclesiis.* Haec lex semper

in

in imperio obtinuit, & apud gentes, quae noua regna in Occidente fundarunt, in primis Longobardos, confirmata est. Et Theodosii iunioris lege, si clerici vel monachi intestato decederent, nullis relictis heredibus, eorum bona ecclesiae vel monasterio, cui fuerant addicti, adscribebantur, *L. 1. C. Th. de bon. clericorum*. Ita hereditates siue testamento, siue ab intestato ecclesia coepit adquirere, & interea largitatibus inter viuos etiam ditescebat.

§. III. Verum ex veteribus moribus religioni erat sanctissimis episcopis hereditates adire, vel donationes acceptare, quibus filii, aut alii cognati sibi debitis bonis fraudarentur. *Quicumque vult*, ait Augustinus *serm. XLIX. de diuersis*, *exheredato filio, heredem facere ecclesiam, quaerat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, immo Deo propitio neminem inueniet* (a). Quin quod hereditates litium ambagibus implicabant, sanctiores episcopi non multum eas curabant; sed potius cupiebant, vt patresfamilias Christum veluti in numerum filiorum cooptarent, eique virilem relinquerent. August. *loc. cit.* At deinceps moribus in peius delapsis, ferme omnes effusae largitates, quibus nihil filiis aut cognatis relinqueretur, acceptae: quos mores Carolus M. *lib. I. capit. cap.* 89. castigauit.

§. IV. Magna praediorum & mobilium copia ecclesiis & monasteriis accessit per hereditates & donationes: at adquisitiones istae factae sunt vberiores, postquam inualuit doctrina, regnum caelorum obtineri largitionibus in ecclesiam factis (b). Hinc mediis saeculis fere omnes do-

(a) Summa fuit aequitas Aurelii episcopi Carthaginiensis, qui bona omnia ecclesiae donata restituit donanti, cui post donationem filii, quos non sperabat, nati erant, etsi suae potestatis erat, vt non redderet, sed *iure fori*, *non iure poli*, vt loquitur Augustinus *loc. cit.* Non enim Romanae leges rescindebant donationes, quod donantibus inde filii nati dicerentur. V. Vinn. *in* §. 2. *inst. de donationibus*.

(b) Ex veteribus summo zelo & incredibili vehementia Salvianus *lib. I. aduers. auar.* hanc doctrinam inculcauit. Quin sensim creditum est ab incautis, etiam sine lacrimis ad Deum promerendum valere in ecclesias & monasteria effusas largitates.

donationes & testamenta in pias caussas his formulis concepta sunt, *pro salutae animae meae*, *pro redemtione animae*, *in remedium aeternae salutis*. Eo etiam contulerunt clericorum & monachorum artes, quibus suadebant fidelibus (saepe non sine cognatorum detrimento) caelestis regni beatitudinem, comminabantur aeternum inferni supplicium, & sub nomine Dei aut alicuius sancti temporalia extorquebant, vt habet Carolus M. *capit.an.IↃCCCXI.* Nec istae piae artes posterioribus saeculis cessarunt: etenim S. Bonauentura *epist. ad prouinciales* & Matthaeus Parisiensis *ad an. CIↃCCXLIII.* veluti heredipetas multos ex mendicantibus describunt.

§. V. Multa quoque bona & latifundia in ecclesias & monasteria confluxerunt ex diuitum clericali & monastica vita. Nam plerique eorum, dum se altari, aut monasterio dedicabant, bona sua, aut eorum partem in ecclesias & monasteria transferebant. Quin vbi de more veteris disciplinae parentes monasteriis filios suos infantes offerebant, simul monachis praedia aliqua elargiebantur. V. Murator. *diss. LXVII. antiq. Italicar.* Hinc intelligis, cur antiqui monachi solliciti fuerunt ad adliciendos diuites ad monasticam vitam. Quoniam vero turpe erat, ob temporalia lucra clericatum aut monasticam vitam divitibus inculcare, synodorum canonibus poenitentiae subiecti sunt episcopi & abbates, qui propter temporalia homines in clericos, aut monachos tonderent, temporalia vero heredibus restituta sunt. Conc. Cabillon. II. anno IↃCCCXVI. *cap. VII.*

§. VI.

tes. Eo etiam traducta est sententia Christi, qua centuplum & vita aeterna iis promittitur, qui propter Deum terrena reliquissent, quasi esset omnino idem exui rebus suis & sequi Iesum Christum, & bona sua in morte ecclesiis aut monasteriis relinquere. V. Murator. *diss.LXVII. antiq. Italic.* Et quoniam omnes morti proximi pro anima sua aliquid ecclesiis relinquebant; hinc videtur inualuisse, vt si quis intestatus decederet, episcopus loci pro illo testaretur in piam caussam, definiretque eleemosynarum modum, quem defunctus probabiliter reliquisset: qui mos in Gallia, Anglia & in regno Apuliae seruatus est.

§. VI. Vberrimus fons, vnde tot praedia in ecclesias & monasteria deriuarunt, fuerunt etiam *precariae*. In hac caussa erant precariae praediorum concessiones, quas ecclesiis fideles faciebant, at eorumdem sibi retinebant vsumfructum, & duplum etiam vsufructuario iure de bonis ecclesiasticis accipiebant; aut si vsufructu datorum praediorum abstinebant, triplum de bonis ecclesiasticis consequebantur: nec tantum ipsi dantes concesso sibi vsufructu fruebantur, verum etiam filii & cognati, de quibus conuenisset. Conc. Turon. III. *can.* 31., Meldense anno IↃCCCXLV. *can. XXII.* Ingens fundorum copia per precarias ecclesiis & monasteriis accessit: quilibet enim, praesertim si filiorum spe destituebatur, facile eo veniebat, vt patrimonium suum ecclesiae elargiretur, ab eadem duplum aut triplum quantitatis datae in vsumfructum accepturus; ecclesia vero dispendium praesens futuro lucro compensabat, atque ita praedia sua augebat.

§. VII. Item poenitentiarum redemtionibus praedia & opes ecclesiae sibi pararunt. Erant redemtiones istae species quaedam indulgentiarum, quibus psalmorum recitatione, aut flagellis, aut pecuniae & praediorum donationibus canonicae poenitentiae remittebantur. Satis longae octauo saeculo erant canonicae poenitentiae, fueruntque etiam longiores, vbi inualuit, vt pro vno peccato mortali septem annos esset poenitendum; ita enim eiusdem vel diuersi generis multiplicatis peccatis poenitentia longe ipsam vitam excedebat. V. Thomass. *de veteri & noua eccles. discipl. par. III. lib.* I. *cap.*74. *n.*5. Ergo inuentae poenitentiarum redemtiones, quibus canonicae poenitentiae relaxabantur, & quidem pro numero psalmorum & flagellorum & muneris quantitate. *Quum a poenitentibus terras accipimus*, inquit Petrus Damianus *lib. IV. ep.* 12., *iuxta mensuram muneris eis de quantitate poenitentiae relaxamus*. Interim magna opum & fundorum copia per redemtiones ecclesiis accessit: nam quotusquisque ex diuitibus erat, qui non mallet pecunias & praedia dare, quam durissimam tot annorum poenitentiam subire?

§. VIII. His aliisque titulis ecclesiae & monasteria in variis regionibus res immobiles, quae *ecclesiarum patrimonia* mediis saeculis dicebantur, adquisiuerunt. Fuerunt

runt autem longo temporis interuallo fundi isti tantum priuati iuris, seu *alodia*, vt in mediorum saeculorum monumentis appellantur; at inde bona publica, & vel ipsum summum in populos imperium ecclesiis accessit, quo nomine ecclesia Romana celebratur. Item creuit dignitas & maiestas Romanae sedis regnorum oblationibus, quae a tempore Gregorii VII. frequentes euaserunt. V. Murator. *diss. LXXI. antiq. Italicarum*. Erant regna oblata, quae ipsi reges ecclesiae Romanae veluti dono dabant, eaque tum ab illa possidere profitebantur; atque ita reges & regna in fidem & clientelam Romanae sedis recipiebantur. Huius generis regna ferme omnia Occidentis fuerunt, eoque nomine reges pendebant annuum censum, qui *denarius S. Petri* dicebatur, & aliquando etiam pontificibus iurabant fidelitatem. V. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. III. lib.* 1. *cap.* 32. *n.*5.

§. IX. Porro pleraeque Occidentis ecclesiae & potiora monasteria fundis publicis, seu feudis & regalibus aucta sunt. Et sane sub Regibus Carolinae stirpis in Gallia passim feuda, aliquando cum iurisdictione, ecclesiis quaesita: inde hi mores conualuerunt, & a tempore Ottonis I. imperatoris regalium copia & iurisdictio in liberos homines veluti ordinario iure ecclesiis & monasteriis accessit. V. Boëhmer. *iur. eccles. lib. III. tit.*20. §. 79. *seqq.* Feuda autem ecclesiis & monasteriis dederunt non tantum reges, verum etiam ipsi beneficiarii, quibus olim a regibus concessum erat, vt accepta feuda ecclesiis & monasteriis relinquere possent. V. Murator. *diss.LXXII. antiq.Italic.* Dederunt autem principes feuda ecclesiis saepe in suorum peccatorum redemtionem, saepe etiam ob politicas rationes, vt nempe adiutorio episcoporum & abbatum, qui magni erant apud populos, regna sua constabilirent: quod de Carolo M. Wilelmus Malmesburiensis *lib. V. de gest. reg. Anglor.* aperte testatur.

§.X. Regalia & feuda ecclesiis concessa sacerdotio non videntur aduersari, modo militia remittatur. At e re christiana satius fuisset, ecclesias feudis & regalibus non donari, inde enim disciplina ecclesiastica ferme omnis intercidit. In primis feudorum regimine episcopi & abbates implicati spiritualia negligenter curarunt; subinde etiam

iam ecclesias suas relinquerunt, vt essent in imperatorum & regum comitatu, & vt regni comitiis interessent. Item ratione feudorum episcopi & abbates in milites versi militem alebant clientelarem, & imperatores & reges in bello comitabantur, & propriis manibus arma tractabant; erant enim ex feudis debita seruitia militaria & equestria. Et quamuis Carolus M. militiam ecclesiis remiserit; tamen paullo post iterum illius onus episcopis iniectum. V. Thomass. *de veteri & noua eccles. discipl. par. III. lib.* 1. *cap.* 41. Porro in tanta opum & diuitiarum vi, quam ecclesiae & monasteria possidebant, creuit ambitus ad dignitates ecclesiasticas, & simonia clericos ferme omnes conspurcauit. Ex feudorum quoque & regalium concessione natae sunt episcoporum & abbatum inuestiturae (*c*); inde electiones in principes translatae; & tan-

(c) Nomine *inuestiturae* veniebat concessio bonorum ecclesiasticorum, quae a principibus sollemni baculi & anuli pastoralium traditione, semper ac noui episcopi & abbates constituendi erant, fieri solebat. Nimirum feudis & latifundiis permultae ecclesiae Regum beneficio auctae erant; & hinc de more feudorum semper noui episcopi inuestituras accipere debebant, quae in hac caussa per baculi & anuli traditionem expediebantur. Hac vero caerimonia nihil spiritualis tradebatur, sed tantum feuda & reliqua regalia, quae a principibus ecclesiae habebant: quod aperte docet Iuo Carnotensis *ep.LX.* Sub Clodoueo exempla inueniuntur inuestiturarum, quod Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imperii lib. VIII. cap.* 19. docet; at deinceps sub Regibus Carolinae stirpis in vsum abierunt adsiduum, easque & imperatores in imperio, & Reges Galliae, Italiae, Angliae, Scotiae, Hungariae, Poloniae vsurparunt.

Nihil mali in se spectatae continebant inuestiturae, at inde in abusionem versae canonicas electiones in principes transtulerunt, &, quod nefas est, induxerunt simoniam; principes enim pretio episcopatus & abbatias concedere solebant. Creditum etiam, sacra anuli & baculi traditione a principibus dari spiritualia. Ergo summi pontifices magnis animis abolendas inuestituras susceperunt, signumque ad pugnam Gregorius VII. extu-

tandem inter imperium & sacerdotium cruenta bella emerserunt, quae rempublicam & ecclesiam longo annorum cursu exagitarunt.

§. XI. Penes ecclesias & alias ecclesiasticas societates per plura saecula stetit libertas bona stabilia adquirendi; at inde multorum principum edictis statutum est, vt sine ciuilis potestatis adsensu ecclesiae & alii ecclesiastici conuentus fundos non adquirant. Consensus, quo principes adquisitionem praediorum ecclesiis concedunt, *amortizatio* dicitur (*d*). Salus populi profecto fuit, quae principum leges suasit, ne ipsis inconsultis ecclesiae bona immobilia adquirerent; vbi enim magna fundorum copia vsibus publicis extincta erat, necessarium plane videbatur, concessam ecclesiis adquirendi libertatem cohibere. Peckius *de amortiz. cap. X.* In plerisque christianis prouinciis vario tempore instituta est amortizatio, vbi si principes adquirendi adsensum ecclesiis concedunt, exigunt certam pecuniae quantitatem, quae lege vel consuetudine determinata est.

§.XII.

---

extulit, pari vi continuarunt successores. Plures synodi celebratae, damnatae inuestiturae, dantes & accipientes excommunicati. V. Natal. Alexand. *diss. III. in saecul. XI.* Sed plerique Occidentis principes, in primis duo Henrici IV. & V. imperatores, abolitis inuestituris iura regia deminui existimantes, eas abiicere noluerunt. Itaque pugnatum quinquaginta ferme annos, ecclesia non minus quam respublica magnis motibus agitata; tandem vero in synodo Lateranensi sub Callisto II. an. CIↃCXXII. compositae res sunt; placuit enim, vt, restitutis canonicis electionibus & abolita simonia, principes non anuli & baculi traditione, sed sceptro darent inuestituras. Mirari subit, cur non ante hoc temperamentum fuerit adhibitum; nam in tot tantisque angustiis vnum de duobus facere oportebat, vel feuda & regalia regibus relinquere, (quod sane erat ecclesiae gloriosum) vel mutare inuestiturae sollemnitatem, ne principes spiritualia dare viderentur.

(d) Vox *amortizatio* deducta videtur a voce Gallica *amortir*, quod est extinguere: bona enim ecclesiastica, vtpote alienari vetita, & publicis oneribus exemta, ciuitati mortua videbantur.

§. XII. In Siciliae regno, quo & Sicilia & regnum Neapolitanum diu comprehensa sunt, ab antiquis vsque temporibus vetitum est, ecclesias praedia adquirere. Sane Fridericus II. *in constit. regni lib. II. tit. 39.* renouata suorum praedecessorum constitutione statuit, ne possessiones hereditariae vel patrimoniales inter viuos quocumque titulo, nisi ex caussa aequalis permutationis, in ecclesias & loca religiosa transferrentur; in vltimis vero voluntatibus vt iisdem relicta stabilia intra annum proximioribus defuncti, aut aliis laicis venderentur (*e*). Obtinuit lex ista sub Friderico; at paullo post regno ad Andegavos reges, qui erant sedi apostolicae addicti, translato, contrariis moribus ferme desueuit. Quin in illa temporum caligine & iuris publici ignorantia sacrilega & ecclesiasticae libertati aduersa credita est. Hinc sub Andegauis & deinceps ecclesiae & loca religiosa apud nos immobilia adquisiuerunt: iamque medietas praediorum & redituum regni penes manus mortuas esse dicitur.

§. XIII. Sed tandem in regno Apuliae litteris Regis nostri v. idus Septembris anni CIↃIↃCCLXIX. iterum vetitum est, ecclesias & alia loca pia ecclesiastica deinceps noua rerum dominia quocumque titulo, siue inter viuos, siue in vltimis voluntatibus adquirere. Hinc nullae factae sunt institutiones, donationes & contractus omnes, quibus nouae possessiones locis piis ecclesiasticis adquiruntur, si conditiones adiectae adhuc non exstiterint, aut ipsa loca pia non adhuc in pacifica possessione sint. Tantum licet locis piis ecclesiasticis iterum collocare, quae restituuntur capita in idem crediti genus, modo id non fiat super bonis stabilibus. Integrum vero relictum est adquirendi ius locis piis laicalibus operum publicorum

(e) Haec est germana constitutionis Fridericianae sententia, quod pluribus probatum dedit vir doctissimus & mihi amicissimus Andreas Seraus *in not. ad consultat. Stephani Patritii de renuntiationib. monialium pag. 139. seqq.*, in vulgatis enim constitutionum libris nonnihil depranata exhibetur.

tut piorum, quae a laicis administrantur, non item sodalitiis laicorum, quae *congregationes* dicuntur (f).

CA-

(f) Haec est sententia regiarum litterarum, ad quarum explicationem inde plura alia règia rescripta prodierunt. Et in primis III. Kalendas Ianuarias eiusdem anni nouis litteris Rex edixit, posse dotes sanctimonialium & fructus, qui ex annuis reditibus locorum ecclesiasticorum supersunt, (quod fuerat in praecedentibus litteris omissum) in census annuos collocari, etiam super bonis stabilibus constitura hypotheca, modo si contractus ob debitoris moram rescindatur, stabilia locis ecclesiasticis non addicantur, sed vendantur laicis secundum Friderici constitutionem. Porro regio rescripto IX. Kalendas Iulias anni CIↃIↃCCLXX. dato clarius explicatum est, quod de possessione impugnata prioribus Regis litteris expressum erat: rescriptum nempe est, contradictionem possessioni anteriorem, & tempore adquisitae possessionis factam sufficere, vt possessio contradicta dicatur: subsequentem vero contradictionem talem esse oportere, vt dubiam vel vitiosam possessionem reddat, qua de re tantum iudici cognitio demandata est.

Nouis quoque litteris III. idus Iunii anni CIↃIↃCCLXX. datis Rex statuit, capellanias, quae a testatoribus relinquuntur, non posse super bonis immobilibus constitui, sed eas tamquam onus hereditatis habendas esse, officioque iudicis contineri, vt onus illud exsequatur. Cuius etiam naturae nouis litteris IV. idus Augusti eiusdem anni Rex esse declarauit capellanias, quae inter viuos constituuntur. Et quoniam iura fiscalia priuatis quaesita rebus immobilibus aequiualent, id porro Rex statuit, vt ea tantum loco facilioris exactionis possint adsignari.

Item Rex rescripto suo IV. idus Augusti an. CIↃIↃCCLXX. declarauit, sub generali regula, qua locis piis ecclesiasticis nouae adquisitiones interdictae sunt, etiam contineri hereditates, quae ex integro missarum oneribus subiectae sunt. Itaque voluit, vt eiusmodi hereditates onere illo liberae heredibus legitimis adquirantur, ita tamen vt heres quotannis in perpetuum aliquam missam, aut si plures sint heredes, singuli saltem vnam quotannis celebrari faciant, modo praefatae celebrationi nulla praedia addicantur, sed quidquid eius rei erit, veluti onus hereditarium habeatur.

Sed ad extendendam magis magisque vetitam adquisitionem praesertim spectant recentiores Regis litterae, quae XVI. Kalendas Septembris anni CIↃIↃCCLXXI. emissae sunt, & plura

capita

CAPUT XXXIII.

De decimis & primitiis.

§. I. Apud Iudaeos ex legis praecepto decimas & primitias sacerdotibus & Leuitis debitas fuisse nemo vnus ignorat. Nomine decimarum decima pars fructuum terrae & pecudum veniebat: primitiae vero erant

 primi

capita continent. Et primo quidem Rex tamquam legibus regni & aliis regiis litteris conuenientius declarauit, bona ecclesiastica in emphyteusim concessa tamquam bona alodialia eorum, quibus quaesita sunt, haberi, tantumque semel constituto canoni esse obnoxia, & ita posse emphyteutam de iis pro arbitrio disponere, eaque etiam extinctis lineis, quibus concessa erant, in heredes siue legitimos, siue testamentarios transire. Tantum emphyteusim finiri, si triennio canon persolutus non fuerit, aut si fundus ita deterior factus sit, vt eius qualitas notabiliter mutetur. Porro sic finita emphyteusi fundum iterum laicis, sed non aucto canone, concedi debere: fundi vero augmenta pristino emphyteutae cedere, cui a nouo emphyteuta praestanda sunt. Et vt vetita adquisitio latius serperet, etiam Rex declarauit, eodem iure cum emphyteusi locationes bonorum ecclesiasticorum ad longum tempus censeri.

Praeterea altero capite Rex declarauit, vt nec pecunia numerata qua demum cumque ratione locis piis ecclesiasticis relinqui, aut donari possit.

Item tertio capite Rex duo declarauit. Vnum, quae locis piis restituuntur capita, super rebus soli collocari non posse, quod generalibus de vetita adquisitione litteris concessum erat. Alterum, quae supersunt ex annuis locorum piorum ecclesiasticorum reditibus in nullum crediti genus posse collocari, sed potius in vsus pios ex ecclesiae sententia tribuenda. Ita derogatum est anterioribus regiis litteris, quibus, dum agebatur de dotibus monialium, obiter dictum erat, etiam quae supersunt ex fructibus annuis locorum piorum collocari in census posse, etiam super rebus soli hypotheca constituta.

Quarto

primi rerum fructus. Decimae a lege indictae instar tributi videntur fuisse, quod Deus instituta theocratia Iudaeis indixit: qua in re Deus mores aliarum gentium expressit; sollemne enim fuit per Orientem regibus tributi nomine decimas pendi. V. Io. Cleric. *in Genes. XLI.* 34. Quoniam vero nulli vsui decimae erant Deo, hinc eas sacerdotibus & Leuitis, qui in diuisione terrae Chanaan partem non acceperant, in sustentationem pendi iussit. Itaque lex de soluendis decimis populo Iudaico imposita mere ciuilis fuit & iudicialis, etsi summam redoleret aequitatem, quando altaris ministri nullis aliis reditibus erant donati, & pro salute totius populi sacris erant addicti.

§. II. Iure euangelico decimae ad alendos clericos nullae indictae sunt, nec lex ciuilis Iudaeorum christianos poterat adstringere. Hinc primis saeculis christiani spontaneis oblationibus alebant altaris ministros. Interim veteres patres praeceptum Iudaicum de soluendis decimis tamquam morale videntur habuisse, & inde docere coeperunt, christianos iure diuino ad decimas ecclesiae solvendas teneri. Bingh. *orig. eccles. lib. V. cap.* 5. §. 1. Hinc exciti moratiores christiani decimas praestiterunt; generatim vero decimae saeculis octauo & sequentibus imperatae & legibus principum & ecclesiae canonibus. Et necessario quidem hac aetate decimae videntur indictae, nam fere omnes ecclesiarum reditus a militibus & laicis possidebantur: atque ideo ex decimis alimenta clericis videbantur exhibenda, praesertim quando diuino iure niti credebantur. Sed in ecclesia Orientali decimae non receptae, aut si aliquatenus receptae, inde abolitae sunt,

---

Quarto capite declaratum est, bona immobilia, super quibus congregationes laicales hypothecam habent, ipsis congregationibus non posse adiudicari, idque ea ratione, quod sodalitia ista edicto de non adquirendo tenentur.

Et demum quinto capite Rex declarauit, permutationes bonorum stabilium inter ecclesias seu alia loca pia ecclesiastica & laicos fieri non posse sine venia Regis, quae caussa cognita conceditur, aut denegatur.

ſunt, *cap.* 11. *ex. de tranſactionib. in parte deciſa*. V.Eſpen. *par. II. ſect.* 4. *tit.* 2. *cap.* 1. *edit. Neapol.*

§. III. Decimae ex regulis decretalium triplicis generis ſunt, praediales nempe, perſonales & miſtae. Praediales debentur ex fructibus & prouentibus praediorum ſiue ruſticorum, ſiue vrbanorum: perſonales ex rebus, quas induſtria & arte ſua homines adquirunt, veluti ex lucro negotiationis, militiae, venationis: miſtae demum ex fructibus, qui ex praediis & induſtria participant, quales habentur fetus pecorum, lac, lana, ſimiles.

§. IV. Iam vero decimae debentur eccleſiae parochiali, quod ius in decretalibus proponitur, *cap.*29. *& ſeq. ex. de decimis;* vbi enim ſingulis eccleſiis propria bona addicta ſunt, decimae vt plurimum eccleſiis parochialibus ceſſerunt. Sed ius paroeciae ad decimas eiuſdem finibus coërcetur: atque ita decimae perſonales debentur eccleſiae, in qua fideles tenentur ſuſcipere ſacramenta; praediales vero eccleſiae, in cuius finibus praedia ſunt, etſi domini in alia paroecia morentur, *cap.* 2. *de reſtit. ſpoliatorum in 6.*; & miſtae cedunt eccleſiae, in cuius finibus animalia continuo paſcuntur.

§. V. Quamuis decimae eccleſiis parochialibus debeantur; tamen ab aliis eccleſiis, aut a clericis, aut etiam a laicis adquiri & poſſideri poſſunt. Et recte diſtinguit S. Thomas 2. 2. *q.* 86. *art.* 3. inter ius ipſum decimas exigendi, & ſpecies ipſas decimarum nomine pendi ſolitas, quorum illud eccleſiis eiuſque miniſtris competit, nec in laicos transferri poteſt, hae vero etiam a laicis poſſunt adquiri. Et reapſe mediis ſaeculis plures laici bona eccleſiaſtica & ipſas decimas adquiſiuerunt: quae adquiſitiones initio in ſumma reipublicae & eccleſiae neceſſitate ex regum & epiſcoporum auctoritate factae ſunt (*a*). Translata in laicos bona & decimae dicebantur

(a) Principio res eccleſiae laicis & militibus loco ſtipendiorum ceſſerunt regum dono & epiſcoporum conſenſu ſiue conniventia: qui mos tempore Caroli Martelli in ſumma reipublicae & eccleſiae neceſſitate incoepit, (tum in Galliam bella Saracenorum ingruebant) inde etiam ſine neceſſitate a regibus con-

tur *ecclesiae* & *altaria*. Et quoniam ecclesiae a regibus & episcopis concedebantur propter militiam aut alia seruitia; hinc a laicis eo iure possidebantur, quo cetera beneficia seu feuda, adeo vt in commercio essent, & in heredes transirent. V. Petr. de Marca *not. in can. VII. conc. Claromon.*

§. VI. Possessae a laicis iure feudi ecclesiae temporis lapsu, vbi nulla vrgebat necessitas, aut possessores nulla seruitia praestabant, iniuria a pauperum patrimonio distractae visae sunt. Hinc episcopi saeculo decimo & deinceps bona ecclesiarum a laicis possessa variis exhortationibus & delinimentis, & aliquando intentatis minis repetere studuerunt; nec enim initio extrema remedia, quibus laici exasperabantur, conuenire visa sunt. Cui methodo adhaesit etiam ipsa synodus Lateranensis sub Alexandro III., quae edixit, laicos cum animarum periculo decimas detinere, translatas vero in alios laicos ecclesiae restitui debere, & detinentes iam translatas decimas christiana sepultura priuari, *cap. 19. ex. de decimis*. Sed tandem, quod operosum esset sacram praedam a laicorum manibus excutere, damnatae sunt nouae decimarum adquisitiones, antiquae vero in feudum antiquis possessoribus relictae, idque synodo Lateranensi sub Alexandro III. adscribunt. Hinc recepta sententia, eas tantum decimas infeudatas a laicis recte possideri, quae ante illam synodum concessae sunt. Sic vero possessae decimae tamquam bona patrimonialia & priuata reputantur, & pro libito possunt alienari.

§. VII. Praeterea decimae & alia bona ecclesiastica saeculis nono & sequentibus in monasteria & canonico-rum

continuatus est, quod Io. Filesacus *de sacrilegio laico* pluribus tradit. Item episcopi bonorum ecclesiasticorum concessionibus armatorum copias sibi pararunt, quibus ad bellum de more proficiscerentur, & ad tuenda bona ecclesiastica contra inuasores vterentur. Porro non defuerunt episcopi, qui consanguineos suos decimarum & oblationum concessionibus locupletarunt, *can. 3. C. 16. q. 7.* Et in summa confusione, qua respublica & ecclesia obrutae erant, laici multi parum religiosi in decimas & alia bona ecclesiarum manus iniecerunt, eaque longa possessione vsurparunt. Conf. Murator. *diss. LXXII. antiq. Italic.*

rum collegia deuoluta sunt. Saepe ipsi episcopi & summi pontifices ecclesias monachis & canonicis concesserunt ad instaurandam monasticam disciplinam, & promouendam clericorum communem & regularem vitam. Sed maior pars ecclesiarum & decimarum ad monachos & canonicos deuoluta est dono laicorum, qui sacrilegas reputantes ecclesiarum & decimarum infeudationes, eas monachis & canonicis dare voluerunt; odio tum ob malos mores erant clerici saeculares. Nec in hoc rerum statu sibi monachi defuerunt, qui vel exhortationibus, vel pecunia numerata sibi ecclesias compararunt. Interim translationes istae episcopi aut pontificis consensu fieri debebant, quod in synodis Romana & Melphitana anno CIƆLXXVIII. celebratis cautum est; & praeterea translatarum ecclesiarum nomine a monachis aut canonicis annuus census episcopis pendi debebat, quo de iure episcopi in translata bona constaret, *can.* 4. C.I. *q.* 3. Sic a monachis & canonicis adquisitae ecclesiae & decimae potius titulo administrationis, quam proprietatis tenebantur; bona enim ecclesiastica in eorum manibus naturam non mutarunt: atque ideo modica parte sibi delibata, reliquum in pauperes & vsus ecclesiasticos effundant oportet. V. Espen. *par. II. sect.* 4. *tit.* 2. *cap.* 5.

§. VIII. Iam vbi decimae laicis, monachis, aut canonicis concessae sunt, decimae *nouales* & *minutae* speciali titulo ecclesiae parochiali cedunt. Decimae nouales ab agro nouali dictae sunt, agri vero nouales in hac specie interpretibus plenius accipiuntur (*b*), atque ideo sunt agri de nouo ad culturam redacti, & porro agri culti, qui ex loci consuetudine fructus decimales non ferebant, noua vero

(b) Ager *noualis* iurisconsultis est terra praecisa, quae anno cessauit, *L.* 30. §.2. *D. de verbor. significatione*, & silua arboribus exstirpatis ad culturam redacta, *L.*3. §.2. *D. de termino moto*. Verum Innocentio III. ager noualis est *ager de nouo ad culturam redactus, de quo non exstat memoria, quod aliquando cultus fuerit*, *cap.*21. *ex. de verborum signific.* Sic descripsit agrum noualem pontifex in specie immunitatis decimarum a noualibus olim monachis concessa, ne latiori sensu acceptis noualibus, ecclesiae paroeciales grauarentur.

vero cultura ferunt. Nouales ita accepti si in paroecia fiant, eorum decimae speciali titulo pertinent ad ecclesiam parochialem, etsi ab antiquo laici, monachi, aut canonici decumani sint, *cap. 29. ex. de decimis*. Id iure cautum est, vt quam minimum iura paroeciarum laedantur: atque ita antiqua concessio ad decimas, quae tempore adquisitionis percipiebantur, restricta est. Iure quoque speciali decimae *minutae*, quae ex fructibus minoribus, veluti leguminibus, oleribus proueniunt, ad ecclesiam parochialem pertinent, etiam vbi maiores decimae ab aliis percipiuntur, ne multum damnum sentiant paroeciae, quibus cura animarum commissa est.

§. IX. Iure communi ecclesiastico decimarum praestatio christianis omnibus imposita est; debentur enim propter curam animarum, quam eis ecclesia exhibet. V. Gonzalez *in cap. 4. ex. de decimis*. Quin ad praediales decimas quotquot in paroeciae finibus praedia possident, etiam Iudaei, obligantur, *cap. 16. ex. de decimis;* decimae enim istae ex fundis debentur, & ex placitis decretalium in signum vniuersalis dominii Deo reseruatae sunt, *cap. 26. ex. eod.* Ceterum multi obligatione decimarum soluti sunt, vel praescriptione quadraginta annorum, *cap. 4. 6. & 8. ex. de praescriptionibus*, vel pactis conuentis, *cap. 2. & 8. ex. de transactionibus*, vel voluntaria remissione, *cap. 23. ex. de priuilegiis*, & in primis summi pontificis priuilegio (c).

§. X. Quicumque ad decimas obstricti sunt, eas sponte sua, praesertim ecclesiis parochialibus, exhibere debent; inde enim altaris ministri & pauperes aluntur. Et quidem decimae praediales non deductis expensis praestandae, industriales vero patiuntur expensarum deductionem, *cap. 26. & 28. ex. de decimis*. Quod si ad decimas exhibendas christiani morosi sint, etiam per excommunicatio-

(c) Monachi ex iuris canonici principiis de terris & laboribus suis ad pendendas decimas tenentur; ex statutis enim monasticis non pascunt oues, sed pascuntur; atque ideo munera ad altare inferre tenebantur, *can. 6. C. 16. q. 1.* Sed iam non minus monachi, quam reliqui regulares primum ex parte, deinde in totum a pendendis decimis pontificum priuilegiis exemti sunt.

tionem cogi possunt, quod in decretalibus *cap.* 5. *ex. eodem* & in concilio Tridentino *sess. XXV. de ref. cap.* 12. statuitur. Sed decretum hoc Tridentinum nec alibi, nec apud nos receptum est: quid enim opus est ecclesiasticis censuris, vbi praesto esse possunt ordinarii iudices, qui reluctantes ad decimas cogant?

§. XI. Interim in tota hac decimarum materia recepti ecclesiarum mores seruandi sunt, nec ferme vllo in loco ex decretalium regula decimae penduntur: quod ius ab ipsis decretalibus alienum non est, *cap.*20. & 32. *ex. de decimis*. Nimirum postquam parochiae rebus soli aliisque reditibus auctae sunt, sensim obligatio ad decimas decreuit, decimae praediales vrbanorum praediorum & personales in multis ecclesiis exoleuerunt, & obligatio ad decimas ad solos terrae fructus restricta est. Quin nec ex omnibus terrae fructibus, nec earum nomine decima pars soluitur, sed minor pars, prout locorum mores habent: quae pars etsi decima minor, adhuc decima audit. Et apud nos multis Regis nostri rescriptis ad Cameram Regalem, vbi parochi ex aliis reditibus congruam sustentationem habent, decimae abrogatae sunt; vbi vero congruam non habent, illius defectus ex decimis suppleri praecipitur.

§. XII. Praeter decimas etiam *primitiae* inter reditus ecclesiasticos relatae sunt. Nomine primitiarum veniunt primi rerum fructus, qui ecclesiae offerendi sunt (*d*). Inter christianos primitiae longe ante decimas receptae sunt, Orig. *contra Celsum lib. VIII.*, magis vero inualuerunt postquam ecclesiae patres eas etiam iure diuino deberi docere coeperunt. Spectabant autem primitiae primario ad gratias creatori reddendas, at inde etiam clerici viuebant, *can. IV. apostol.* Receptus in ecclesia primitiarum vsus diu stetit, earumque fata eadem, quae decimarum, fuerunt. Et in praesenti disciplina tum exiguntur, si id loci habeant consuetudines. CA-

(d) Antiquissimi instituti est etiam apud gentes, fructuum primitias Deo offerre & consecrare. Apud Iudaeos vero etiam ex diuino praecepto primitiae debebantur, earumque mensura moribus potius, quam ipsa lege praescripta erat, Hieronym. *in Ezechiel. cap. XLVI.*

CAPVT XXXIV.

De recto rerum ecclesiasticarum vsu.

§. I. Rerum ecclesiasticarum ciuile dominium alii tribuunt Deo, alii pontifici, alii clero, alii pauperibus, quas sententias Franc. Sarmiento *de reditib. eccles. par. I. cap.* 1. expendit & explodit. Vera doctrina est, dominium bonorum ecclesiasticorum esse penes ecclesias particulares, quibus bona addicta sunt. Sane leges ciuiles, quarum auctoritate in ciuitate dominia continentur, *can.* 1. *D.* 8., collegio catholicae ecclesiae donari & relinqui permiserunt. Quod si res ecclesiarum saepe dicantur *possessio* & *patrimonium Dei*, vel *Christi*, item *res* & *patrimonium pauperum*; verba ista ita intelligi debent, quod ecclesiae, cuius Christus caput est, oblatae sunt, & quod in pauperum vsum impendi debent.

§. II. Quoniam vero finis ecclesiae est religionis exercitium, certe bona ecclesiarum in vsum religionis impendenda sunt: atque hinc alendi, qui altari seruiunt; item miseri & pauperes; ecclesiae aedificandae & conseruandae, & vasa & sacra indumenta comparanda. Et primum quidem de rebus ecclesiasticis clerici viuere debent; mancipati enim altaris ministerio ex vniuersitatis bonis viuere debent; quod ius apostolus 1. *ad Cor. IX. v.* 7. *& seq.* magnis argumentis adseruit: *Quis militat suis stipendiis vmquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Et ante apostolum ipse dominus edixit, vt apostoli, quos relictis rebus suis ad praedicationem euangelii miserat, de euangelio viuerent, *dignus est operarius cibo suo*, vt apud Matth. *cap. X. v.* 10. dicitur, seu, *mercede sua*, vt Lucas *cap. X. v* 7. expressit.

§. III. Debentur autem clericis alimenta ex ecclesiae bonis propter seruitium ecclesiasticum Hinc illud decretalium, *beneficium datur propter officium*, *cap. vlt. de rescriptis*

scriptis in 6. Seruitium vero, cuius ratione clerici ius habent ad victualia, est iuge ministerium ecclesiasticum secundum gradum, quem singuli in ecclesia obtinent: quod Christus & apostolus expresserunt, ille exemplo operarii, hic militis, agricolae, pastoris: operarii enim, milites, agricolae, pastores integram sustentationem non accipiunt, nisi continuas operas impendant. Et certe a mente ecclesiae & canonum longe absunt, qui satis esse aiunt, vt clerici viuant de altari, si horas canonicas quotidie etiam priuatim recitent. Papae! quae foret ista clericorum felicitas! parui temporis spatio horis canonicis impenso operariorum nomen mererent? Pusilla pars totius clericalis officii est horarum canonicarum recitatio, & cum illo comparata ferme euanescit.

§. IV. Verum enimuero quamuis operariis & clericis ratione laboris merces debeatur, longe tamen inter vtrosque distat; nam merces operariis debita est pretium laborum, eisque debet respondere, debita vero clericis est medium vitae sustentandae, ne a sacris functionibus auocentur. Gratis exhibere debent ecclesiae ministri, quod gratis acceperunt: & qui in sacris ministeriis impenduntur, labores extra commercium sunt, nec pretio possunt aestimari. Si merces pretium laborum esset, res sacrae in vile abirent mercimonium. Est haec doctrina ad evangelii normam exacta, & a patribus semper inculcata. Instar omnium sit Augustinus *lib. de pastorib. cap. II., non redditur sustentatio necessitatis a populo quasi merces illis, qui sibi in caritate seruiunt, sed tamquam stipendium, quo, vt possint laborare, pascantur.*

§. V. Summa autem moderatione clerici ad vitam sustentandam bonis ecclesiasticis vti debent: nam contenti frugali mensa, modestis vestibus & commoda habitatione, nihil vlterius percipere possunt. Nefas profecto est in res superfluas & vanas impendi Christi & pauperum patrimonium, & inde clericos genio indulgere. *Vt episcopus*, inquiunt patres Africani in *conc. Carthag. IV. can. 15., vilem supellectilem & mensam & victum pauperem habeat, & dignitatis suae auctoritatem fide & vitae meritis quaerat.* Quae regula in multis aliis synodis confirmata, nouissime a Tridentinis patribus *sess. XXV. de ref.*

ref. cap. 1. propofita eft, qui addunt, etiam reliquos beneficiarios pro gradus fui conditione reditibus ecclefiafticis moderate vti debere.

§. VI. Quamuis autem iure meritoque clerici altari feruientes, de altari viuant; tamen fi iis fatis ad vitam de rebus fuis fit, ceffat ius ad vitam de altari fuftinendam: & in hac fpecie poffunt quidem retinere beneficia, fed inde redactos fructus in pauperes & alios pios vfus tenentur erogare. Sane reditus ecclefiaftici debentur clericis, non vt pretium laborum, fed potius tamquam medium vitae fuftentandae; atque ideo fi aliunde habeant ad vitam neceffaria, quî poffunt de altari viuere? Voluit quoque Chriftus, gratis exhiberi omnia religionis officia, *gratis accepiftis, gratis date:* in quod praeceptum ficut non impingunt clerici pauperes, qui viuunt de bonis ecclefiafticis, vt poffint laborare; ita illud violare videntur clerici diuites, qui reditus ecclefiafticos veluti pretium laborum fibi vindicant. Item antiqui canones tum demum permittunt epifcopo aliquid accipere de bonis ecclefiafticis, *fi indigeat*. *Can. apoft. XLI.* conc. Antiochen. *can. XXV.* Concinunt patres, in primis Auguftinus *epift. CLXXXV. ad Bonif.* vbi haec habet: *fi pauperum compauperes fumus, & noftra funt* (bona ecclefiaftica) *& illorum: fi autem priuatim, quae nobis fufficiunt, poffidemus, non funt illa noftra, fed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vfurpatione damnabili vindicamus* (a).

§. VII.

(a) Sed quod canones & patres tamquam certum proponunt, plures ex fcholafticis negaunt, quorum doctrina eft, clericos beneficiarios priuatis opibus inftructos recte fuis reditibus parcere, eofque augere, interim vero de bonis ecclefiafticis pro iure fuo viuere. Indulget genio fententia ifta, quid ergo mirum fi per omnium ora volitarit? Praecipuum argumentum, quo nititur, funt ea diuina oracula, quibus edicitur, dignos effe operarios mercede fua, & neminem fuis ftipendiis militare. Sed nifi mens laeua fuiffet, facile potuiffent obferuare, non eadem ratione aeftimandam mercedem operariis & facris miniftris debitam. Illa verum laborum pretium eft, haec vitae fuftinendae

§. VII. Pauperes quoque & miseri reditibus ecclesiae alendi & recreandi, immo potior eorum pars in hanc rem impendi debet. Siquidem quae maior religio Deo potest exhiberi, quam ipsum Christum in pauperibus induere & fouere? Item offerentium ea mens fuit, vt peccata sua eleemosynis redimerent, atque ideo oblationibus suis pauperes alerent & sustinerent. Hinc saepe patres adserunt, pauperum esse ecclesiae patrimonium; & ecclesia suis canonibus omni tempore edixit, patrimonium sacrum in pauperes erogandum, *can. apost. XLI.* conc. Antioch. *can. XXV.* V. Thomass. *de veteri & noua eccles. discipl. par. III. lib. 3. cap. 26. & seqq.* Quin adeo insederat ecclesiae, res ecclesiasticas pauperum esse, vt saepe in canonibus qui eas inuadunt, aut non recte procurant, *pauperum necatores* appellentur: quod thema Io. Launoius *de cura eccles. pro miseris cap. IV.* pluribus exornat. At dictu indignum! in tanta redituum ecclesiasticorum copia pauperes ferme sunt, qui minus participant.

§. VIII. Porro redituum ecclesiasticorum pars impendenda ad ecclesias exstruendas & reparandas, & ad vasa & sacra indumenta comparanda: quae omnia ad externum religionis cultum, quo christiani colliguntur, pietas augetur, & diuina beneficia christianis impertiuntur, necessaria sunt. Verum templa, vasa & sacrae vestes potius religione & pietate christianorum, quam magnificentia & splendore suo commendantur, Deoque placent. *Aurum sacramenta non quaerunt*, inquit Ambrosius *lib. II. de off. cap. 28.*, *nec auro placent, quae auro non emuntur.*

---

dae medium. Hinc in comparationibus illis operarii & militis cum sacris ministris tantum spectatur sustentatio laboranti debita, nec innuitur eodem iure vtramque censeri: quod recte Estius *in 1. ad Timoth. V. 18.* obseruat. Tum recte clerici diuites suis diuitiis parcerent, & de altari iure viuerent, si merces fidis pastoribus proposita laboris pretium esset. Nec a contextu auulsam Christi sententiam oportet interpretari: non ante sententiam de alimentis Christus pronuntiauit, quam apostolos adduxisset, vt omnibus relictis potius exempla, quam praecones essent euangelicae paupertatis. Matth. *cap. X. 9. seq.*

tur. Ceterum vetus morbus eſt, quo ferme neglectis pauperibus in magnifica & aurea templa & pretioſa indumenta reditus eccleſiarum effunduntur: quos mores S. Bernardus *apol. cap. XI* merito exagitauit.

§. IX. Haec eſt natura redituum eccleſiaſticorum, vt neceſſario in religioſos & pios vſus impendi debeant: quae natura ſemper eadem manet, quaecumque ſit exterior procurandi forma, ſiue epiſcopi ipſi reditus omnes adminiſtrent, ſiue beneficiariis portio propria ceſſerit. Et certe etiam poſt inſtituta beneficia, quibus certi reditus ſingulis miniſteriis perpetuo adnexi ſunt, rerum eccleſiaſticarum dominium penes eccleſiam remanſit; genius clericatus idem eſt; ſeruitus Deo gratis & ex puro caſtoque corde impendi debet; & ſtipendia clericis debita non pretium laborum ſunt, ſed medium vitae ſuſtentandae. Hinc etiam poſt inſtituta beneficia canones, decretales pontificum & ſaniores eccleſiaſtici ſcriptores edicunt, docentque, res eccleſiarum eſſe patrimonium Chriſti & pauperum, & clericos neceſſariis alimentis contentos eſſe debere. V. Eſpen. *par.II. ſect.4. tit.1.cap.4. edit.Neapol.* Inſtitutis beneficiis tantum mutata eſt exterior procurandi forma, & loco vnius epiſcopi tot emerſerunt procuratores, quot beneficiarii.

C A P V T XXXV.

De rerum eccleſiaſticarum procuratione.

§. I. Reditus omnes eccleſiarum totius dioeceſis ex antiquis regulis in commune eccleſiae principis ſeu cathedralis aerarium confluebant, ex quo ſingulis etiam inferiorum eccleſiarum miniſtris alimenta praebebantur: quae diſciplina per quinque & amplius ſecula ſtetit. Bingham. *orig. eccleſ. lib.V. cap.6.* §.1. Sic in vnam maſſam conflati reditus eccleſiaſtici ab epiſcopo adminiſtrabantur. *Can. apoſt. XXXI.* conc. Antioch. *can.XXIV. ſeq.* Praeerat epiſcopus vniuerſae eccleſiae, eique commiſſae

missae erant fidelium animae, res nempe pretiosiores, cui proinde iustum erat, vt cura & inspectio temporalium daretur. Procurabat autem episcopus res temporales *cum presbyterorum conscientia diaconorumque*, conc. Antioch. *can. XXV.*, ne procuratio ista esset sine testibus, & vt episcopus curarum parte leuaretur.

§. II. Quod vero episcopi & diaconi multis aliis curis erant implicati, vbi reditus ecclesiarum creuerunt, proprius minister, *oeconomus* dictus, institutus est, cui sub episcopo temporalium cura demandaretur. Conc.Chalced. *can. XXVI.* Eligebatur oeconomus ex propriae ecclesiae clericis vel per episcopum, vel per vniuersum clerum; electus vero episcopi nutu reditus ecclesiae administrabat. Quod si episcopus, aut metropolitanus oeconomum non crearet, a metropolitano aut patriarcha creandus erat. Conc. Nicaen. II. *can.* II. Sed post instituta beneficia diaconorum & oeconomi auctoritas in procurandis bonis ecclesiasticis viuente episcopo ferme desiit.

§. III. Collecti autem reditus ecclesiastici ab episcopo diaconorum aut oeconomi ministerio in clericos, pauperes & alios vsus religiosos tribuebantur, idque *tamquam Deo intuente*, *can. apost. XXXVII.* Hinc ex communi arca singulis mensibus pecuniae clericis dabantur, esculenta vero singulis hebdomadis aut diebus pro cuiusque gradu & necessitate. Sed deinceps quod episcopi & ministri non bene fortasse tribuebant, saeculo quinto in ecclesia Romana inualuit, vt ex reditibus ecclesiasticis quatuor aequales partes fierent, quarum vna episcopo, altera toti clero, tertia pauperibus, quarta sacris vasis & instrumentis & fabricae ecclesiae cederet, *can.*27. *C.* 12. *q.* 2. Ab ecclesia Romana in alias Occidentis ecclesias mos tribuendi in quatuor portiones transiit; at ecclesia Hispaniensis tres partes faciebat, quarum vnam episcopus, alteram clerus, tertiam ecclesia ferebat, conc. Bracar. I. *can.*25., in qua procuratione si in tributum pauperes non veniant, pro certo tenendum est, episcopi partem etiam pauperibus suffecisse. Sed lapsu temporis, vbi instituta sunt beneficia, haec quadripartita distributio antiquata & sublata est.

§. IV. Quoniam vero episcopi morte, aut alias vacante sede regimen ecclesiae vacantis ad presbyterium deuolue-

voluebatur; hinc etiam eius auctoritate siue diaconorum, siue oeconomi ministerio reditus temporales administrabantur. Conc. Chalced. *can.XXV.* Visitatores etiam episcopi, qui ad regendas ecclesias vacantes interim mittebantur, sollicitudinem habere debebant, vt res illarum integrae seruarentur, & distributiones more solito fierent, Greg. M. *epist.* 7. 19. 38.; etenim etiam sede vacante clericis alimenta erant tribuenda, & onera episcopatus sustinenda (*a*). In praesenti disciplina vbi capituli est fructus colligere, vnus pluresue oeconomi sede vacante constituuntur, qui interim rerum ecclesiae curam gerant, & futuro episcopo administrationis suae reddant rationem. Trident. *sess.XXV. de ref. cap.* 16.

§. V. Vetus abusio est, qua defunctis episcopis eorum spolia & ecclesiarum bona siue a clericis, siue a laicis diripiantur. Hinc inualuit regia ecclesiarum vacantium custodia, qua reges id curabant, vt canones seruarentur, vt institueretur oeconomus, vt prohiberentur praedae, & clerici consuetas sportulas acciperent, & reliqui prouentus incolumes successori seruarentur. Hincm. Remens. *ep. IX. cap.* 41. V. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. III. lib.* 2. *cap.*54. Regia custodia in Gallia sub regibus secundae stirpis recepta erat: & apud nos etiam sub Nortmannis & Sueuis obtinuit. Et quidem initio *balliuis* (*b*) dederunt reges nostri, vt custodiam & curam spoliorum episcopalium bonorumque ecclesiarum vacantium haberent: & quoniam sibi commissa custodia balliui abutebantur, statuit rex Rogerius *const. peruenit tit. de administr. rer. eccles. post mortem praelati*, vt eam curam tres meliores fidelioresque clerici susciperent, qui necessaria ecclesiarum ministris tribuerent; reliqua vero in opus ecclesiae futuro episcopo, cui redderent rationes, reseruarent.

(a) Statuit synodus Chalcedonensis *cit. can. XXV.*, vt *reditus ecclesiae viduatae penes oeconomum integri reseruentur:* Sed id ita intelligendum est, reseruari futuro episcopo reditus omnes praeter eos, quos ad impendia necessaria & onera episcopatus tribuere oportebat, vt recte Zonaras obseruat.

(b) Balliui erant iudices in ciuitatibus & locis inferioribus.

rent. Sed desiit regia ecclesiarum custodia apud nos sub regibus Andegauensibus, tantumque hoc tempore ecclesiae cathedrales regiae nominationis vacantes sub regia custodia sunt (c).

§. VI. Iam vero labentibus annis in multis ecclesiis, & praesertim in Italia, reditus ecclesiarum & beneficiorum vacantium, (vt nunc nihil dicam de spoliis defunctorum beneficiariorum) qui ex canonum statutis ad ecclesiam aut beneficiarium successorem pertinebant, ad fi-

(c) Occasione custodiae saepe reges fructus ecclesiarum vacantium suos fecerunt; at inde id ius in plerisque prouinciis euasit ordinarium, instituta *regalia*, vt appellatur, qua fit, vt reges episcopatuum vacantium fructus percipiant, & beneficia sine cura animarum ab episcopo conferri solita conferant, donec nouus episcopus inuestituram bonorum ecclesiasticorum a rege accipiat. Regaliae origo a feudis in ecclesias collatis repetenda est, quod Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imperii lib.VIII. cap.* 19. aliique recte obseruarunt: quum enim in multis provinciis feuda morte beneficiarii cum suis reditibus ad dominum redirent, & ab eo detinerentur, donec nouus vasallus soluto releuio inuestituram a domino acciperet; eodem iure habita sunt feuda in ecclesias collata. Ita coeperunt reges iure optimo frui reditibus feudorum, quae ad ecclesias vacantes pertinebant, & occasione feudorum ceteros reditus, & ipsam beneficiorum sine cura animarum collationem occuparunt: collatio enim beneficiorum plerisque decretalium interpretibus veluti pars fructuum ecclesiae habebatur. Regalia saeculo decimo secundo in Gallia, Germania & Anglia obtinebat, eaque etiam vtebantur inferiores dynastae, qui feuda ecclesiis contulissent: at Fridericus II. in imperio illam aboleuit. In regno Siciliae regia custodia ecclesiarum vacantium, non regalia obtinuit. Vsi sunt regalia principes ecclesia non inuita, saltem in locis vbi *ex fundatione aut consuetudine vigebat*, *cap.* ex diligenti *de iure patronatus in* I. *collect. ap. Ant. August.*, *cap.* 13. *de elect. in* 6. Pertinebat primitus regalia ad ecclesias, quae feuda possidebant, at edicto Ludouici XIV. in Gallia ad omnes ecclesias cathedrales etiam feudis non auctas cum aliqua moderatione extensa est: cui innouationi Innocentius XI. summus pontifex intercessit, sed Gallicani antistites pro bono pacis consenserunt. Ceterum perceptos fructus reges Galliae plerumque nouis episcopis concedunt.

scum pontificium deuoluti sunt : qui nouus adquirendi modus sub Ioanne XXII. incepit, conualuit vero & latius se se diffudit in schismate Auenionensi. Hinc *collectores* & *subcollectores apostolici* id etiam habuerunt in mandatis, vt reditus ecclesiarum & beneficiorum vacantium nomine pontificis occuparent, eique colligerent. Cedunt autem fisco pontificio fructus pendentes tempore vacationis, & qui ea durante proueniunt pro rata temporis, quocumque modo, praeterquam cessione, beneficia vacauerint, *bull. Iulii III. cum sit nobis* & *bul. dudum ex certis*. Et licet in Italiae regionibus, vbi erant apostolici collectores, beneficia tantum collationi pontificis addicta ex bulla Pii IV. fructus tempore vacationis fisco pontificio ferrent, *cap. 2. de reseruationib. in 7. decretal. Petri Matthaei*; tamen in regno Apuliae ecclesiae & beneficia prorsus omnia, quocumque mense vacauerint, huic oneri subiecta sunt bulla Pii IV. apud Redoanum *de spoliis*; tantumque regia intercessione exceptae sunt ecclesiae cathedrales regiae nominationis & beneficia iuris patronatus regii & feudalis, quorum omnium fructus tempore vacationis successori cedunt : quo iure nunc vtimur.

CAPVT XXXVI.

De rebus ecclesiasticis non alienandis.

§. I. Expensae in vsus religiosos ante explicatos in casibus quotidianis non ex ipsis ecclesiarum fundis, sed potius ex fructibus faciendae sunt : etenim & legibus ciuilibus & sacris canonibus interdicta est rerum ecclesiasticarum alienatio, *L. 14. & 17. C. de sacros. eccles.*, *nouel. VII. cap. 1.*, conc. Carthag. v. *can. 4.*, conc. Agath. *can. VII.* Interest enim ecclesiae perpetuo possidere fundos, vnde clerici & pauperes viuunt, & religiosus cultus sustinetur. Spectat vero alienandi interdictum etiam ad monasteria & loca religiosa, quae nomine ecclesiae etiam intelliguntur, *cit. nouell. VII. cap. 1.*

§. II.

§. II. Nomen autem *alienationis* in hac caussa late accipitur, continetque non solum dominii translationem quouis titulo factam, sed etiam quemuis actum, quo reditus deminuuntur, aut ecclesia impeditur, quo minus re sua libere fruatur. Hinc res ecclesiasticae nec vendi, nec donari, nec permutari, nec in emphyteusim, nec in vsumfructum concedi possunt. Conc. Carthag. IV. *can.* 32., *nouel. VII. cap.* I. (*a*). Vetitum quoque est, res ecclesiasticas pignori aut hypotecae supponi, *L.* 22. *C. de sacros. ecclesiis*, & in feudum concedi. Porro nec licet de rebus ecclesiasticis transigere, *cap.* 2. & 8. *ex. de transactionibus:* nec seruos earum manumittere, *cap.* 3. *ex. de rebus ecclesiae alienandis*, nec praedia ad longum tempus, hoc est ad decem annos, locare. Et ex decretali Pauli II. nec vltra triennium res ecclesiarum locare licet, *extrauag. ambitiosae de rebus ecclesiae non alienandis inter communes:* quod ius multis in locis non seruatur.

§. III. Res autem ecclesiasticae, quarum vetita est alienatio, sunt illae, vnde annui reditus proueniunt, & quae vsibus ecclesiae perpetuo addictae sunt. Itaque vetantur alienari praedia omnia siue rustica, siue vrbana, & iura, item mobilia pretiosa Deo dicata, *L.* 22. *C. de sacros. ecclesiis*, *nouel. VII. cap.* I., *cap.* 5. *ex. de rebus ecclesiae alienandis*. Nec alienari possunt rustica mancipia, *cit. cap.* 5., quibus de more Romanorum olim pleraeque ecclesiae ad sua praedia excolenda vtebantur. Arbores quoque grandes, vnde fructus annui proueniunt, & quae caedi non solent, non alienantur. Qua in re beneficiarii vsufructuariis similes sunt, qui fruuntur quidem fructibus arborum, at in locum demortuarum alias submittere tenentur. Zypaeus *in iuris nouo tit. de rebus eccles. non alienandis*.

Dd 3 §.IV.

(a) Canon sub nomine concilii Siluanectensis inter vetitas alienationis species recenset *conditionem*, *cap.* 5. *ex. de rebus ecclesiae alienandis*. Sed quae species alienationis *conditio* est? Recte sentire videntur Ant. Augustinus & Cuiacius, qui eam vocem tamquam importune intrusam ab hoc canone explodunt, & quidem summa ratione, quod in Iustiniani *nouell. VII. cap.* I., vnde hic canon desumtus est, desideratur.

§. IV. Quamuis autem bona ecclesiarum alienari prohibeantur, tamen ex iusta caussa & legitimis sollemnibus recte distrahuntur; nec enim natura sua sunt extra commercium, vt earum alienatio intrinsecus vetetur. Iustae autem alienationis caussae tres recensentur, necessitas, pietas, & vtilitas. V. Espen. *par. II. sect.* 4. *tit.* 5. *cap.* 4. *edit. Neapol.* Et necessitas quidem facit, vt res ecclesiarum possint alienari, veluti si aere alieno prematur ecclesia, nec possit ex fructibus satisfieri. Item ex caussa pietatis res ecclesiasticae, etiam vasa initiata, alienantur, veluti si captiui redimendi sint, aut pauperes tempore famis alendi & recreandi, *cap.* 14 15. *&* 70. C. 12. *q.* 2. Et demum propter vtilitatem bona ecclesiastica recte etiam distrahuntur, veluti si siluestria loca aut aedes ruinosae dentur in emphyteusim.

§. V. Ex legitima caussa factae rerum ecclesiasticarum alienationes tum ratae erunt, si sollemnibus per canones praescriptis celebrentur; sollemnia enim iuris ciuilis parum curantur. Et olim quidem ferme in synodo prouinciae decernebatur alienatio, *can.* 53. C. 12. *q.* 2.; tum, quod synodi euasissent rariores, statutum est, vt alienatio totius cleri tractatu, consensu & subscriptione, atque episcopi auctoritate celebraretur, *can.* 52, *eodem*. Nomine cleri post canonicorum institutionem venit collegium, seu capitulum ecclesiae, cuius bona alienanda sunt, si illa collegium habeat: in monasteriis vero cleri vicem gerit monachorum conuentus. Quod si alienanda sit res ecclesiae, quae collegio caret, vsu receptum est, vt vnius episcopi inquisitione & decreto alienatio fiat. V. Rebuf. *in compend. alienat. rer. eccles.* Haec autem sollemnitas abrogata est Pauli II. decretali, qua statutum, vt rerum ecclesiasticarum alienationes *inconsulto Romano pontifice* non fierent, *extrauag. ambitiosae de rebus ecclesiae non alienandis inter communes*. Quod quidem ius apud nos receptum erat, secus in aliis christianis prouinciis. At rescripto Regis nostri XIII. Kal. Februarias an. CIϽIϽCCLXXVI. ad Cameram regalem dato, Regis esse dicitur videre, num contractus de alienandis rebus ecclesiasticis legitimi sint & vtiles, eosque probare.

§. VI. Quod si non ex iusta caussa & neglectis sollemni-

lemnibus iure canonico praescriptis, res ecclesiarum alienatae sint, alienatio irrita est, nihil iuris in accipientem transit, & licet quibuslibet ecclesiasticis alienata simul cum fructibus vindicare, *can.* 53. C. 12. *q.*2., *cap.* 1. *ex. de his quae fiunt a praelato sine consensu capituli*, *cap.* 6. *ex. de rebus ecclesiae alienandis:* item episcopi deponebantur, clerici vero, qui alienationi subscripsissent, anathemate feriebantur, *can.*8. C. 10. *q.*2., *cit. cap* 6.; at in extrauaganti Pauli II. etiam alienantes & recipientes excommunicantur. Ceterum in multis christianis prouinciis, praesertim in Gallia & Belgio, omissae sollemnitates non vitiant alienationem, modo ex iusta caussa facta sit, & ecclesiae vtilis habeatur. V. Espen. *par. II. sect.* 4. *tit.* 5. *cap.* 4. Quod si post alienationem rite factam appareat non leue damnum ecclesiae illatum, haec, non secus ac minor, poterit beneficio in integrum restitutionis vti, *cap.* 1. *ex. de in integrum restitutione*.

CAPVT XXXVII.

De natura & origine beneficiorum ecclesiasticorum.

§. I. HActenus bona ecclesiastica generatim considerauimus; nunc ea ipsa in partes tributa & singulis officiis perpetuo adnexa expendi debent; non quia bona sic tributa aliquam intrinsecam subierint mutationem, sed quia nouas loquendi formulas & exteriorem disciplinam a veteri multum diuersam induxerunt. Vox *beneficii*, quae ab iure feudali in ecclesiam translata videtur (*a*), denotat ius percipiendorum fructuum ex bonis,

(a) Agri fiscales, qui mediis saeculis a principibus pro seruitio militari & fide militibus dabantur, *beneficia* dici solebant, & Germanica voce *feuda*. Initio data sunt feuda ad vitam, postea euaserunt hereditaria, atque adeo certis familiis addicta. Iam

nis, quae singulis titulis & ministeriis perpetuo adnexa sunt, quod auctoritate ecclesiastica institutum clericis propter officium ad vitam adsignatur. Hac notione vocem beneficii interpretes iuris canonici intelligunt, & quidem vocis proprietati & ecclesiasticis monumentis conuenienter; at theologi eo nomine ipsum ecclesiasticum officium, cui reditus perpetuo adnexi sunt, intelligunt. Vtra definitio eligatur, quod spectat ad rei naturam, parum videtur interesse; etenim etiam canonistae intelligunt beneficii caussam esse sacrum ministerium.

§. II. Sic accepta beneficia posteriori aetate inualuerunt; nam etsi clericis semper ius fuerit, propter seruitium ecclesiasticum de altari viuere; tamen per plura saecula a communi aerario alimenta acceperunt (*b*). Exorta sunt ecclesiastica beneficia a partitione bonorum, eaque perpetua in singulos titulos & ministeria, quae partitio saeculo sexto in ecclesiis ruralibus fieri coepta, tum latius extensa est, sensimque eo ventum, vt etiam paroeciae vrbanae suos proprios reditus haberent (*c*).

§.III.

Iam vero bona ecclesiastica suis titulis perpetuo adnexa & pro ecclesiastico seruitio dari solita feudorum instar exhibere visa sunt, & hinc *beneficia* audierunt.

(b) Dum adhuc reditus omnes ecclesiae in commune administrabantur, episcopi veluti extra ordinem clericis vel remuneratione, vel humanitate praedia ecclesiastica, saepe non adeo magna, in vsumfructum concedebant. Conc. Agath. anno IↃVI. *can. XXIII.*, Conc. Aurelian. I. *can.* 23. Sic vero data praedia morte vsufructuarii vel finito concessionis tempore ad ecclesiam reuertebantur, *can.* 61. C. 16. *q.* I. Sed praedia ista proprie sic dicta beneficia non erant.

(c) Principio in Occidente saeculo sexto oblationes, quae fiebant ad altare, ecclesiis ruralibus addictae sunt, salua plerumque episcopis tertia aut quarta portione, *can.* 7. C. 10. *q.* I.; & paullo post iisdem ruralibus ecclesiis etiam stati ex fundis reditus adsignari sunt. Conc. Aurelian. III. *can.* 5. Semel recepti mores latius producti sunt, idque quod non semper ex fide bona procedebat communis aerarii procuratio; & quod commodius videbatur status reditus paroeciis agrestibus adsignare, quam earum clericis ex communi penu, saepe tam longe posito, necessa-

§. III· Ita paullatim inualuerunt parochialia beneficia; at praebendae canonicales exortae sunt a partitione bonorum, quae a canonicis in commune possidebantur. Nempe vbi canonici in summa saeculi decimi confusione vitam communem reliquerunt, Christi patrimonium in varia frustula tributum est. Etenim in ecclesiis cathedralibus bona inter episcopum & collegium diuisa sunt, & hinc distinctio inter *mensam episcopi* & *capituli*, & inde ipsa mensa capituli cathedralis, vt & reliquorum capitulorum, abiit in tot partes, quot erant canonici, eorumque ministeriis perpetui reditus addicti sunt, quos ipsi perciperent. Sic vero tributi reditus *praebendae* nomen, quo in vita communi designabatur quotidianae victus praestationes canonicis dari solitae, retinuerunt.

§. IV. Iam tria sunt, quae beneficii ecclesiastici naturam constituunt: debet nimirum esse perpetuum, auctoritate ecclesiastica institutum, & dari propter sacrum officium, quorum vnum si desit, ecclesiasticum beneficium non dicitur. Et perpetuum quidem, hoc est quousque viuit beneficiarius, beneficium esse debet; beneficii enim datione ad certum ministerium in ecclesia obeundum beneficiarii vocantur, quae addictio natura sua perpetua est: atque ideo perpetuum stante ministerio, etiam ius ad proventus perpetuum sit, oportet. Qua in re datio beneficii respondet ordinationi, quae ordinatos clericos perpetuo suis titulis, vnde accipiebant victualia, adscribebat. Hinc ex communi sententia beneficia ecclesiastica dici non possunt *laicales capellaniae* & *legata pia*; nam etsi obligent ad missarum celebrationem, aut ad aliud sacrum officium; tamen non sunt perpetua, vtpote quae pro arbitrio conferuntur & auferuntur.

§. V. Porro non est beneficium, nisi accedat auctoritas

cessaria praeberi. Et profecto quaelibet agrestis ecclesia nono saeculo suis propriis decimis & fundis erat instructa, *can.* 25, C. 23. *q.* 8. Sed hac aetate ecclesiae vrbanae antiquam seruabant disciplinam, quae & ipsa tandem defecit, & proprii stabilesque reditus non minus ruralibus, quam vrbanis paroeciis perpetuo adnexi sunt.

ritas episcopi, aut pontificis, qua illud in titulum erigatur atque excitetur. Conflatur beneficium ex iure ad prouentus & sacro officio: quum vero reditus ecclesiastici, & multo magis sacra ministeria, nisi ex ecclesiae auctoritate nequeant dispensari; fit profecto, vt nullum intelligatur beneficium, quod ecclesiastica auctoritate non constituatur & fundetur. Hinc *laicales capellaniae* & *legata pia*, quae episcopi auctoritate in beneficium non attolluntur, mera stipendia aut eleemosynae sunt, etsi ex voluntate testatoris in perpetuum dentur.

§. VI. Quod tertio loco ad naturam ecclesiastici beneficii requiritur, est, vt detur propter sacrum officium; nec enim alio iure licet clericis de altari viuere, quam quod altari seruiunt. Nomine sacri officii etiam in noua disciplina venit iuge seruitium in functionibus beneficiario demandatis, ratione cuius operarius dici queat, & pastor seu cooperator in ecclesia administranda. Innoc. III. *lib. I. epist.*82. Trident. *ses. XXI. de ref. cap.* 3. V. Espen. *de offic. & institut. canonic. par. I. cap.* 2. Et si tempus a diuino ministerio vacuum superest, illud orationi, lectioni scripturarum & canonum, & bonis piisque operibus impendendum est. Hinc manifesti erroris conuincuntur, qui officium beneficiariorum censent esse horarum canonicarum recitationem. Nata videtur portentosa ista sententia ex vulgato illo, *beneficium datur propter officium:* nam nomine *officii* ex vulgari sensu horas canonicas interpretati sunt.

§. VII. Ex veteris disciplinae regulis beneficia ordinationi adhaerebant, eamque consequebantur, nec seorsum dabantur ordines & ius ad prouentus ecclesiasticos, sed ius ad prouentus ordinationi inesse censebatur. Verum temporis lapsu nexus ille inter ordinationem & ius ad prouentus abruptus est, & ordinatione quidem tantum data potestas ad sacra obeunda, beneficiis vero officia cum suis reditibus perpetuo demandata: quae diuisio in summa saeculi decimi confusione primum exorta, & inde sensim recepta, disciplinae ecclesiasticae mutationem & ruinam promouit. Inde aucta res canonica, nimirum exortae variae beneficiorum diuisiones, multae conditae regulae, quae ius collationis, modum, formam, aeta-

tem

tem & qualitatem beneficiariorum ſtabilirent: quae omnia in veteri diſciplina ceſſabant, tantumque antiqui canones de ſacris ordinationibus & ordinandorum qualitatibus ſtatuebant. V. Duaren. *de ſacr. miniſter. lib. II. cap. 3.* Inde ordines, qui ius non dabant ad prouentus, contemtui fuerunt; contra magni facta beneficia. Inde multi ſine beneficio ordinati, & numerus clericorum vagantium & inertium creuit.

§. VIII. Quod vero varii generis ſunt eccleſiaſtica officia, quibus perpetuo reditus ceſſerunt; varium quoque oportet eſſe genus beneficiorum. Principio alia ſunt maiora, alia minora. Maiora dicuntur, quibus gradus primores in eccleſia cum cura animarum & ſacra iuriſdictione adhaerent, qualia beneficia obtinent ſummus pontifex, patriarchae, archiepiſcopi, epiſcopi, abbates cum quaſi epiſcopali poteſtate. Ceterum *beneficii* nomine generatim ſumto beneficia maiora non veniunt, immo nec ipſa *dignitatis* voce, quum ſint dignitatum apices.

§. IX. Minora beneficia cenſentur reliqua omnia eccleſiaſtica & monaſtica officia, quibus proprii ſtabileſque reditus adhaerent, cuius generis ſunt dignitates, perſonatus, paroeciae, & beneficia ſimplicia: quamuis dignitates relatione ad cetera minora inter maiora cenſeantur. Dignitas ſtricte ita dicta eſt beneficium, cui ſub epiſcopo proprii reditus & iuriſdictio inſunt. Variant autem in numero & ordine dignitatum eccleſiarum inſtituta, immo in vna eccleſia canonicatus ſeu merum officium eſt, quod alibi dignitas reputatur: cuius varietatis ratio inde petenda eſt, quod dignitates potius vſu & fundatione, quam generali eccleſiae decreto inualuerunt. V. Eſpen. *par. II. ſect. 3. tit. 1. cap. 2. edit. Neapol.* Ceterum moribus hodiernis reuocata ad epiſcopos ferme omni ſpirituali iuriſdictione, iacent in pleriſque eccleſiis dignitates, tantumque nomen & nobiliores ſedes in choro retinent; & hinc *ventoſae* & *inanes* audiunt. Fagnan. *ad cap.* ad haec *ex. de praebendis*.

§. X. Vox *perſonatus* in pontificum decretalibus aliquando eadem eſt ac dignitas, *cap. 8. ex. de conſtitutionibus, cap. 8. ex. de reſcriptis*; at in ſpecie *perſonatus* nomine intelligunt interpretes beneficium, cui aliqua praemi-

minentia sine iurisdictione inest, veluti in choro sedes nobilior (*d*). Ceterum in materiis, quas dicunt *odiosas*, nomine generali beneficii dignitates & personatus non veniunt.

§. XI. Inter minora beneficia censentur, quae *curata* & *simplicia* vocari solent. *Curata* sunt, quae animarum curam in foro interiore habent adnexam, qualia sunt paroeciae. *Simplicia* curam animarum non habent, sed beneficiarii aliter diuinae rei incumbentes, officio suo satisfaciunt, qualia sunt canonicatus & capellaniae perpetuae ecclesiastica potestate excitatae. Verum praebendae canonicales etsi inter simplicia beneficia habeantur, accedunt tamen ad dignitates, *cap.* 11. *de rescriptis in* 6., & in odiosis simplicium beneficiorum nomine non veniunt. Alio quoque sensu saepe sumitur simplex beneficium, pro eo nempe, quod adsiduitatem non requirit.

§. XII. Porro beneficiorum alia sunt *saecularia*, alia *regularia*. Saecularia sunt, quae spectant ecclesiasticum ministerium stricte sic dictum, quo monastica officia non continentur: dictaque sunt *saecularia*, non quod laicis conferri possint, sed quod regularibus opponantur. Regularia sunt, quae monasticam disciplinam spectant, aut quae per monachos regi consueuerunt. Hinc abbatiae & reliqua omnia officia claustralia suis propriis donata reditibus

(d) Vox *personatus* a personis videtur deriuatà: erant vero *personae* Gallorum lingua presbyteri vicarii, qui ecclesiis, quae monachis & canonicis erant addictae, modico prouentu, sed titulo & magna fructuum parte penes illos remanente, inserviebant, *can.* 4. C. 1. *q.* 3. Itaque personatus erat ecclesia seu beneficium, cuius cura vicariis committebatur: tantumque differebant a ceteris beneficiis, quod duplici beneficiario donabantur, quorum vnus titulum, itemque opimam fructuum partem habebat, alter vero sub nomine *personae*, seu vicarii modico prouentu officium sustinebat. Et reapse in antiquiis monumentis personatus modo ad eos, quibus titulus ecclesiae seu officii adhaeret, modo ad personas refertur, *cap.* 4. *ex. de filiis presbyterum* & *cap.* 6. *de praebendis in* 6.; sed interpretes nostri vnam personatus speciem definiunt, eum scilicet, qui penes tituli possessorem residet.

tibus regularia beneficia sunt: & praeterea censentur etiam regularia, quae habent quidem officium ecclesiasticum, sed per monachos regi consueuerunt (*e*). Adquisita vero sunt monachis saecularia ista beneficia vel fundatione, vel incorporatione, quod nempe monasteriis adnexa sunt, vel quadraginta annorum praescriptione.

CAPVT XXXVIII.

De beneficiariorum adsiduitate.

§. I. ADsiduitas in beneficiis, quae *residentia* dici consueuit, est continua in loco beneficii praesentia, vt beneficiarii iniuncta sibi munera per se possint exercere. Ita non mera est localis & desidiosa praesentia, sed laboriosa. Trident. *sess. VI. de ref. cap.* 1. Et profecto sententia ecclesiae non longe distant ab absentibus episcopi & beneficiarii praesentes, qui sibi iniuncta onera parum curant, reditibus colligendis & saeculi curis praecipue intenti, *cap.* 2. *ex. de translatione episcopi*.

§. II. In veteri disciplina, qua ius percipiendi ab ecclesia alimenta ordinationi erat adnexum, clerici omnes vna & perpetua morandi in ecclesiis suis lege tenebantur, vt iuge impenderent officium. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. II. lib.* 1. *cap.* 1. *seqq.* Sed deinceps vbi ab ordinatione beneficia distracta sunt, haec, non secus ac ordinatio, beneficiarios ecclesiis suis perpetua immorandi lege adstrinxerunt. Beneficia dantur propter ecclesiastica ministeria, quae beneficiarii in suis ecclesiis per se

(e) Vtriusque generis regularia beneficia ex lapsa monachorum disciplina originem habent suam; nec enim satis congruit monasticae disciplinae, vt claustralia officia suis propriis reditibus ab arca communi distinctis aucta sint; nec proprium est monachorum ecclesiastica officia & spiritualem curam extra claustrum exercere.

se explere tenentur. Obligant vero ex generali canonum regula ad praesentiam beneficia omnia, *cap.3. ex. de clericis non residentibus*; nam singula dantur propter ecclesiasticum ministerium, quod vicaria alterius opera non recte impletur. Thomass. *loc. cit. lib. 3. cap.* 34. Quae enim officia industriam personae requirunt, qualia sunt ecclesiastica, non recte per vicarium impleri possunt; nam & inter artifices longa differentia est & ingenii & naturae & doctrinae & institutionis, quod recte iurisconsultus obseruat, *L. 31. D. de solutionibus*.

§. III. Intrinseca quidem est omnibus beneficiis adsiduitas, at in summa saeculi decimi confusione paene omnis defecit, iamque saeculo vndecimo ecclesiae ferme omnes a suis pastoribus erant derelictae. Vbi primum eodem saeculo inclinante a tanta calamitate ecclesia coepit respirare, canones condidit, qui beneficiarios, immo clericos omnes, ad adsiduitatem compellerent. V. Thomass. *loc. cit. cap. 6. &* 34. Sed vlcus alte insederat; nec totum simul cedebat curationi: ac proinde curae interim fuit malis exitialioribus mederi, dilata minorum morborum curatione. Ergo conditi canones, qui in parochiis, dignitatibus & praebendis canonicorum omnino restituerent iuberentque adsiduitatem, silentio omissis reliquis beneficiis, *cap.3. ex. de clericis non residentibus*, *cap. 5. & 38. ex. de praebendis*, *cap. 9. ex. de concess. praebendae*; non quod ecclesia sentiret, reliquos beneficiarios ecclesiis suis recte abesse; sed quod maiora mala in primis curare oportebat.

§. IV. Interim hoc de adsiduitate reliquorum beneficiorum silentio, tolerantia & impunitate sensim post Alexandrum III. inualuit, paroecias, dignitates & canonicatus ad adsiduitatem obligare, non vero reliqua inferiora beneficia, quae propterea *simplicia* dicta sunt. Nouitas ista sub Gregorio IX. iam recepta erat, *cap. vlt. ex. de clericis non residentibus*, magisque deinceps firmata est sententia illa, quae officium in beneficiis horarum canonicarum recitationem etiam priuatam interpretatur. Ita inualuit distinctio beneficiorum *compatibilium* & *incompatibilium*, vt vocantur. Deinceps iamdiu receptam disciplinam de non necessaria adsiduitate in simplicibus beneficiis

ciis Tridentini patres, *sess.VI. de ref. cap.4.* & *sess.XXIV. de ref. cap.* 17. retinuerunt, seu potius tolerarunt, nam Tridentina doctrina est, clericos omnes ecclesiis suis perpetuo adscribi, *sess. XXIII. de ref. cap.* 16.

§. V. Interim aliquando ex iustis probatisque caussis licet beneficiariis, qui adsidui esse iubentur, extra suas ecclesias versari, & quidem sine culpa. Et sane canonici possunt ecclesiis suis abesse aut propter episcopi seruitium in iis, quae spectant ad ecclesiam, *cap.7. ex. de clericis non residentibus*, modo non sint vltra duos, *cap.15. ex. eodem*, aut propter scientiarum sacrarum studia, *cap. 12. ex. eodem, cap.vlt. ex. de magistris*. Porro breuis absentia etiam sine legitima caussa impunis est, quin etiam vacat culpa, si ex caussa probabili fit: qua ratione per regulas Tridentinas *sess. XXIV. de ref. cap.* 12. licet canonicis trium mensium spatio ecclesiis suis abesse: quod intelligendum, si ex honesta & probabili caussa absentia contingat, nec enim facile credendum, synodum genio canonicorum indulgere voluisse. V.Espen. *par.I.tit.7.cap 9.*

§. VI. Aduersus beneficiarios in ecclesiis suis non adsiduos poenae canonicae locum habent. Iure decretalium beneficiarii vltra sex menses ecclesiis suis absentes beneficii priuatione, suspensione, aut excommunicatione plectuntur, *cap.11. ex. de clericis non residentibus*, liberumque est ordinario antistiti, vel ab excommunicatione vel suspensione incipere, & tandem contumacem beneficio spoliare, vel posthabita excommunicatione priuationem beneficii decernere. Gonzalez *in cit. cap.* 11. Parochi & alii beneficiarii, quibus cura animarum commissa est, si vltra duos menses & sine licentia episcopi absint, fructus suos non faciunt, & ex contumacia tum intentatis censuris, tum denique beneficii priuatione puniuntur. Trident. *sess. XXIII. de ref. cap.* 1. Et canonici, qui vltra tres menses ecclesiis suis absuerint, primo anno media parte redituum exuentur, altero omnibus spoliabuntur; & si ne tum quidem ecclesiae suae se reddant, rigore canonum coërcentur. Trident. *sess.XXIV. de ref. cap.12.*

CA-

CAPVT XXXIX.

De vetita beneficiorum multitudine.

§. I. VNum eodem tempore clericum duabus ecclesiis adscribi vetus disciplina non patiebatur, conc. Chalced. *can.* X. Nicaen. II. *can.* 15., nec enim vnus idemque clericus poterat eodem tempore duabus ecclesiis inseruire, & praeterea clerici duas ecclesias inhiantes sacrum ministerium in turpem quaestum vertebant. Postquam beneficia seorsum ab ordinatione conferri coepta sunt, etiam interdictum est, ne plura simul beneficia darentur; beneficium enim datur propter officium, quod per se quisque debet implere; atque ideo in eadem ecclesia, multo magis in diuersis, vetatur quis plura habere beneficia. Porro qui plura obtinent beneficia, stipendia pluribus ministris addicta vsurpant, *cap.*3. *ex. de cleric. non residentibus*, & sacrorum ministrorum numerum imminuunt, *extrauag.* exsecrabilis *de praebendis inter communes.* Et recte obseruat S. Thomas *quodlib. IX. q.* 7. *art.*11. multitudinem beneficiorum vni datorum non esse ex actionibus indifferentibus, sed intrinsecam continere malitiam.

§. II. Sed lapsa saeculo nono & sequenti ecclesiastica disciplina plura simul vni beneficia data sunt, erantque multi saeculo decimo secundo, qui *vix ecclesiarum suarum numerum cognouerant*, quod Petrus Blesensis *lib.I. in Iob.* testatur. Interim vbi primum a calamitate & confusione decimi saeculi ecclesia respirauit, vidit operosum esse integram disciplinam restitui. Ergo curae praesertim fuit, exitialioribus malis primum mederi, in futurum dilata minorum morborum medicina. Hinc synodus Lateranensis sub Alexandro III. duas dignitates, aut duas paroecias deinceps simul obtineri vetuit, & quidem ea addita poena, vt accipiens caderet secundo beneficio, dans vero largiendi potestate priuaretur, *cap.* 3. *ex. de clericis non residentibus.*

§.III.

§. III. Sic vetita beneficiorum pluralitas ecclesiae parum profuit, siue clericorum delinquentium multitudine, siue quod beneficiarius non ipso iure cadebat secundo beneficio contra canones accepto. Itaque Innocentius III. in concilio generali maiori cura emendandis abusionibus incubuit, statuitque, vt nullus duas simul paroecias, aut dignitates, aut personatus obtineat, ipsoque iure cadat primo beneficio, qui alterum sine venia sedis apostolicae consequatur, *cap.* 28. *ex. de praebendis*. Qua eadem ratione praebendarum coaceruatio vetita est, *cap.* 9. *ex. de concess. praebendae*.

§. IV. Hisce decretis singularitas & adsiduitas dignitatum, paroeciarum, personatuum & praebendarum restituta est, silentio praetermissis reliquis minoribus beneficiis, non quod ecclesia probaret, simul reliqua beneficia coaceruari, sed quod tempori tantisper cedendum erat, & grauiora mala primum curare oportebat. Interim eo ecclesiae silentio & antistitum negligentia inde natum est dogma, dignitates, paroecias, personatus & canonicales praebendas ad adsiduitatem obligare, reliqua vero minora beneficia ad praesentiam non adstringere, & propterea posse inuicem vel cum illorum vno coaceruari: quae doctrina aetate Gregorii IX. vsu probabatur, *cap. vlt. ex. de clericis non residentibus*. Ita nata est partitio beneficiorum in *singularia*, & *coaceruata*, seu vt habent vulgares loquendi formulae, in *incompatibilia*, & *compatibilia* (a). Quae doctrina deinceps in ecclesia magis tolerata, quam probata est.

(a) Plerique interpretes *incompatibilia* beneficia talia esse docent vel ratione tituli, vel ratione retentionis. Singularia primi generis vacant ipso iure per alterius adeptionem, qualia sunt duae parochiae, duae dignitates, duo personatus; item duo beneficia eiusdem similisque functionis in eadem ecclesia, quae vocant *vniformia in eodem tecto*, veluti duo canonicatus. Singularia secundi generis non vacant ipso iure per alterius adeptionem, sed beneficiarius debet alterutrum optare, alioquin altero per superiorem exuetur, qualia sunt canonicatus in diversis ecclesiis, & beneficia difformia in eadem ecclesia.

§. V. Quis vero crederet? etiam post Innocentium III. coaceruatio dignitatum, paroeciarum & praebendarum frequenter obtinuit, idque siue negligentia, siue fraude antistitum, quibus instaurata disciplina magis curae esse debuisset. Sane admodum frequentes fuerunt pontificiae indulgentiae, vt plurimum sine caussa concessae, ad obtinenda plura singularia beneficia. Eo quoque contulerunt fictae commendae, quae saepe in perpetuum gratia beneficiariorum datae sunt, vt vnum beneficium commendatione, alterum titulo possent retinere. Conc. Salmuriense anno CIↃCCLIII. *can. XXVII.* Rursus alii vicariae specie seu titulo alia aliis coaceruata adquirebant beneficia, nam vbi dignitate aliqua aut paroecia aucti erant, alteram siue dignitatem, siue paroeciam cum opima fructuum parte sub vicarii nomine sibi dari curabant, non vero titulum, qui cum modico prouentu alteri concedebatur. Vnita quoque sunt in vnum plura singularia beneficia non bono ecclesiae, sed beneficiariorum, vt quae beneficia distracta habere non poterant, ea inuicem vnita ad vitam possiderent.

§. VI. Quo tempore Tridentina synodus indicta est, multa beneficia singularia, etiam maiora, alia aliis congesta possidebantur. Hinc his malis medendis synodus intendit · atque in primis vetuit, plures deinceps vni conferri ecclesias parochiales, aut alia singularia beneficia, reprobatis inuolucris illis *vnionis ad vitam* & *commendae perpetuae*. Trident. *sess. VII. de ref. cap.* 4. Inde sanctiori edito decreto statuit, vt vnum vni beneficium siue in titulum, siue in commendam deinceps conferatur, nisi ad honestam sustentationem vnum non sufficiat, quo casu secundum conferri permisit, modo vtrumque adsiduitatem non requirat. Trident. *sess. XXIV. de ref. cap.* 17. Ergo etiam ipsa simplicia beneficia, quae alendo beneficiario sufficiant, singularia & *incompatibilia* euaserunt. Nihil vero statuit synodus, quinam reditus ad honestam beneficiarii sustentationem sufficiant; at in compertis est, eam debere esse modestam & frugalem. Ceterum moribus praesentibus nulli intenditur controuersia, quod duo possideat beneficia, quorum vnum aut ambo maximi reditus sint, modo vtrumque adsiduitatem non requirat.

V. Espen.

V. Espen. *par. II. sect. 3. tit. 3. cap. 3. edit. Neapol.*

§. VII. Iam vt plura singularia beneficia ab vno obtineantur, necessaria est superioris venia, qua canones relaxentur. Moribus praesentibus superior iste est tantum summus pontifex, etsi in veteri disciplina etiam episcopi ad habenda plura beneficia indulgentiam concederent. Alteserra *in cap. 28. ex. de praebendis.* Venia autem concedi non debet, nisi ex necessaria & vtili in ecclesiam caussa, qua incommoda ex coaceruatione beneficiorum compensari possint; nec enim summus pontifex dominus est ministeriorum & prouentuum ecclesiae, sed potius fidelis dispensator (*b*). Quoniam vero indulgentia ista canonibus aduersatur, hinc stricte accipienda est, nec a casu ad casum recte producitur: & tum recta erit, si omnia ex fide bona exponantur. Indultas vero venias tenentur beneficiarii petentibus episcopis exhibere, quibus integrum est eas expendere, & minus legitime impetratas reiicere, *cap. 3. de offic. ordinarii in 6.* Trident. *sess. VII. de ref. cap. 5.*

§. VIII. Qui plura singularia beneficia sine legitima indulgentia obtinent, decreto synodi Lateranensis sub Alexandro III. secunda dignitate seu paroecia exuendus erat, *cap. 3. ex. de clericis non residentibus*; at canone Innocentii III. in concilio generali cadit *ipso iure* prima paroecia, seu dignitate, seu personatu, qui alterum singulare consequitur beneficium, *cap. 28. de praebendis*. Vacatio autem ipso iure non collatione alterius singularis beneficii, sed potius pacifica possessione inducitur: & pa-

(b) Hinc recte docent saniores theologi & canonistae, apud Deum tutos non esse, sed tantum fori externi poenas euitare, qui ex minus idonea caussa obtinent plura beneficia. Conf. Espen. *par. II. sect. 3. tit. 3. cap. 5. edit. Neapol.* Sane licet qui indulgentiam concedit, expendere debeat, an idonea subsit caussa; tamen ille, qui petit minus iustam indulgentiam, est caussa iniquitatis, & vtitur permissa iniquitate. Et acute S. Bernardus *epist. VII. n. 9.* clericis, qui plura beneficia iuste possidere credebant ob veniam concessam, reponebat, *vtinam non licentiam quaesiissetis, sed consilium, idest, non vt liceret, sed, an liceret.*

cifica possessio tum censetur, si nulla lis in iudicio de beneficio mota sit, nullisque molestiis de facto turbata fuerit, aut si per beneficiarium steterit, quo minus pacifica foret Porro alterius beneficii possessionem adepto ad duos vsque menses prioris retentio conceditur, vt possit experiri, an molestiae superueniant. Quod si post pacificam possessionem beneficiarius vtrumque retinere praesumat, etiam alterum amittet, & ad sacros ordines suscipiendos & alia beneficia inhabilis euadit, *cit. cap.* 28., *extrauag.* exsecrabilis *de praebend. inter communes*. Interim interpretum sententia vacatio ipso iure ferme locum habet in beneficiis, quae dicuntur *incompatibilia* ratione tituli, nam quae talia sunt retentione, demum sententia iudicis vacare dicuntur.

CAPVT XL.

De beneficiorum collatione.

§. I. Collatio beneficii, quae etiam dicitur *donatio* & *institutio*, est datio vacantis beneficii ab eo facta, qui eius dandi habet potestatem. Quod si collatio collegio canonicorum competat, vocari solet *electio*, quae si nulla indiget superioris confirmatione, beneficium dicitur *electiuum collatiuum*; si vero a superiore confirmanda est, *electiuum confirmatiuum*. Quoniam vero collatores non semper pro libertate sua beneficia donant, sed aliquando ratione iuris alterius certis personis ab alio praesentatis conferre debent; hinc collatio est aut libera, aut minus libera, quarum illa *collatio* stricto sensu, haec *institutio* itidem stricto sensu appellatur.

§.II. Collatio beneficiorum, vbi seorsum ab ordinatione facta est, veluti pars voluntariae iurisdictionis haberi coepit, qua ecclesiastica ministeria dispensantur. Origine vero sua pertinet ad episcopos; episcopi enim non minus sunt ministeriorum Dei, quam redituum ecclesiasticorum dispensatores & procuratores. Eodem ordinario iure in suis

suis ecclesiis conferunt beneficia praelati inferiores, qui quasi episcopalem habent iurisdictionem, *cap. vlt. ex. de institutionibus*, *cap. 3. de officio ordinarii in 6.* Verum episcopi auctoritate senatus ecclesiastici seu collegii canonicorum matris ecclesiae beneficia conferebant, *cap. 4. ex. de his, quae fiunt a prael. sine consensu capituli*: qua in re elucent antiqui mores.

§. III. Sancta haec ex cummuni senatus consilio beneficia conferendi ratio pro maxima parte labefactata est, postquam beneficia seorsum ab ordinatione collata sunt: iamque inter clericos emerserunt alii ordinarii collatores, variique in variis ecclesiis inualuerunt mores. Sane in multis locis praebendas & canonicatus ecclesiae cathedralis solus episcopus, contra alibi solum canonicorum collegium, *cap. 31. ex. de electione*, alibi episcopus simul & collegium conferunt, *cap. 15. ex. de concess. praebendae* (a). Praebendas quoque ecclesiarum collegiatarum vel solus episcopus, vel capituli praeses pro varietate locorum confert. Porro ipsi archidiaconi etiam iure conferendi beneficia aucti sunt, *cap. 15. ex. de officio delegati*, *cap. 7. ex. de praebendis*. Sed vicarius generalis beneficia non confert, nisi id ab episcopo ei specialiter committatur, *cap. vlt. ex. de officio vicarii in 6.*, tantumque a patronis praesentatos pro iure suo potest instituere.

§. IV. Quamuis collegium canonicorum ecclesiae cathedralis sede vacante episcopalem habeat iurisdictionem; non tamen confert beneficia, quae ad liberam solius episcopi collationem pertinent, *cap. 7. ex. de rescriptis*, *cap. 2. ex. ne sede vacante aliquid innouetur*; collatio enim beneficiorum moram ferre potest; & in interregno qui gubernant, ea differre debent, quae sine damno differri

(a) Vbi episcopus & canonici simul beneficia conferunt, etiam varii sunt mores: nam concurrit episcopus vel vt merus canonicus, *cap. 15. ex. de concess. praebendae*, vel tamquam collegii moderator & praeses, vel aequali potestate: quo posteriori casu episcopi suffragium totius collegii suffragio aequivalet.

ferri possunt (*b*). Sed capitulum sede vacante recte confert beneficia, quae coniunctim ad episcopum & capitulum pertinent; & multo magis confert beneficia, quorum collatio viuente episcopo ad solum capitulum pertinebat, sicut etiam pro iure suo praesentatos a patronis instituit.

§. V. Iam collatio beneficiorum, vbi ab ordinatione seiuncta est, fit peculiari actione, qua collator voluntatem suam declarat, se huic aut illi tribuere beneficium: idque etiam nudis verbis fieri potest. Et quoniam voluntas collegii canonicorum ex maiori suffragiorum numero censetur; hinc beneficia *electiua collatiua* per electionem communibus electionis regulis adstrictam conferuntur; forma enim *cap.* quia propter *ex. de electione* tantum locum habet in eligendis praelatis, quorum morte ecclesia vidua censetur. Ceterum receptis moribus collationes fieri, aut probari nequeunt sine litteris, nec beneficiarii solent in possessionem beneficiorum immitti, nisi litteras collationis exhibeant.

§. VI. Beneficia vbi vacauerint, intra certum tempus conferenda sunt, ex diutina enim vacatione multa in rem ecclesiasticam incommoda promanant. Et quidem dignitates capitulorum, paroeciae & omnia minora beneficia sex mensium spatio conferenda sunt, *cap.* 2. *ex. de conces. praebendae*, tribus vero mensibus episcopatus & maiores dignitates regulares, *cap.*41. *ex. de electione*. Semestre autem istud a die scientiae vacationis computatur, & praeterea non currit, si iusto impedimento siue iuris, siue facti collator cessauerit, *cap.* 5. *ex. de concef. praebendae*.

§. VII. Quod si stato tempore collatores non conferant beneficium, pro ea vice collatione cadunt: & si collatio pertineat ad capitulum, deuoluitur ad episcopum, contra ad capitulum, vbi solius episcopi est conferre: & si v-

(b) Vulgo docent interpretes decretalium, ideo non posse capitulum sede vacante beneficia episcopalis collationis dare, quod collatio sit pars fructuum; fructus vero integros episcopo oportet reseruare. Apage profanum dogma; collatio nempe beneficiorum est pars spiritualis potestatis, qua ecclesiae ministri constituuntur.

si vtriusque demum par negligentia sit, deuolutio fit ad metropolitanum, & ita porro ad alios superiores antistites vsque ad summum pontificem, *cap. 2. ex. de concess. praebendae*. Atque id est negligentiam praelatorum supplere. Verum recepti mores non ferunt, vt episcopi negligentia a capitulo suppleatur: & in multis ecclesiis praesertim huius regni solus papa confert beneficia, quae ordinarii collatores stato tempore non contulerint.

§. VIII. Semel collata beneficia, antequam vacent, iterum conferri, aut promitti non possunt, *cap. 2. ex. de concess. praebendae.* Sane collationes aut promissiones beneficiorum nondum vacantium alienae mortis desiderandae ansam praebent, quo nihil a viri boni officio alienius. Itaque collatio aut promissio nondum vacantis beneficii nulla prorsus est, nec inde vlla nascitur obligatio. Et si iure decretalium probetur datio canonicatus sine praebenda cum spe primo vacaturae, *cap. 3. ex. de praebendis;* vt & promissio beneficii generaliter facta, quum occasio collationis se obtulerit, *cap. 19. ex. de concess. praebendae;* id forte eam rationem habet, quod sine alterius morte vacare praebenda aut beneficium poterat, aut de nouo institui, ac proinde captatio mortis cessare videbatur.

§. IX. Beneficia quoque integre conferri debent, nec dignitatum, siue praebendarum licet sectionem instituere, siue quod titulus ipse diuidatur, siue quod reditus in duas pluresue partes secentur, *cap. 8. ex. de praebendis, cap. 7. ex. de censibus*. Quin veluti turpia & simoniaca damnata sunt pacta, quibus patroni & antistites in partem redituum cum beneficiariis paciscuntur, *cap. vn. ex. vt ecclesiast. beneficia sine diminutione conferantur*. Officium sane ecclesiasticum, cui perpetuo reditus adnexi sunt, vnum est, ac proinde vni integrum cum suis prouentibus conferendum. Ceterum auctis ecclesiarum reditibus ex rationabili caussa potest vacans beneficium in duo dispesci; quemadmodum ex idonea caussa licet portionem fructuum ex beneficio delibare, & alteri clerico addicere.

§. X. Peracta collatione beneficiarius in beneficii possessionem deducendus est, quam dicunt *institutionem corporalem*, sine qua nec fructus percipere, nec demandatum officium potest explicare. Ante possessionem beneficiarii,

& praesertim parochi, obedientiam suo episcopo promittere & iurare debent; & qui praebendis & dignitatibus in ecclesiis cathedralibus donantur, & coram episcopo & in collegio catholicam fidem debent profiteri. Trident. *sess. XXIV. de ref. cap.* 12. Spectat autem haec missio in possessionem ad antistitem collatorem, *cap. 9. ex. de privilegiis*, & in decretalibus etiam archidiacono tribuitur, *cap. 7. ex. de officio archidiaconi*.

CAPVT XLI.

De mandatis apostolicis, reseruationibus & praeuentionibus.

§. I. Veteri ecclesiae disciplina summus pontifex in ecclesiis Romane metropoli subiectis pro iure suo clericos videtur ordinare potuisse, etsi hoc iure parce admodum vteretur. Sed postquam beneficia ab ordinatione seiuncta sunt, Romani pontifices beneficia ferme omnia totius Occidentis sui arbitrii & collationis fecerunt, exclusis episcopis, quibus congenita est beneficiorum collatio. Quae tanta moles sensim creuit per pontificum *mandata*, *reseruationes* & *praeuentiones*.

§. II. Et mandata quidem *de prouidendo*, vt vocantur, erant pontificum diplomata, quibus praecipiebant collatoribus, vt designatis clericis aliquod elargirentur beneficium: erantque mandata ista duplicis generis; alia enim dabantur pro iam vacantibus beneficiis, alia vero ad primo vacatura, quae etiam *gratiae exspectatiuae* audiebant. Primus Hadrianus IV. extra fines Romanae metropolis mandata de prouidendo ad collatores dedit: qui vsus semel inductus a successoribus continuatus est, & latius productus. Sed non omnes pontifices eadem ratione mandatis vsi sunt, nam alii non amplius vno mandato eamdem ecclesiam grauare consueuerunt, *cap.* 30. *ex. de rescriptis in parte decisa* & *cap.* 38. *ex. eodem*: alii vero nullum tenuere modum, & mandata mandatis congesserunt;

runt;

runt; immo etiam pro vno eodemque beneficio contraria mandata dederunt. Profitebantur vero pontifices, se mandatis suis consulere velle clericis litteratis & bonae opinionis, praesertim vero pauperibus, etsi clerici mandatis aucti saepe nec pauperes, nec litterati essent.

§. III. Initio mandata ista pontificum commendationes potius fuerunt & preces, quibus pro reuerentia sedis apostolicae multum ordinarii collatores tribuerunt, praesertim vbi erant rariora, aut idonei clerici commendabantur. Sed deinceps aucto mandatorum numero antistites saepe obedire detrectarunt. Hinc pontifices stilo mutato preces verterunt in praecepta, & triplicis generis litteras scripserunt, *monitorias* nempe, *praeceptorias* & *exsecutorias*. Franc. Florens *in tit. decretal. de rescriptis*. Monitoriae tantum clericos ordinariis collatoribus commendabant: qui si non parerent, dabantur praeceptoriae, quibus monita in vera praecepta transibant: & si collatores in pari contumacia persisterent, exsecutor dabatur, qui morosos antistites puniret, & ad beneficii dationem cogeret, vel ipse tum vacans vel primo vacaturum conferret. Sed processu temporis conualuit auctoritas mandatorum, nec amplius tres litterae diuersis temporibus scriptae, sed tantum vna statim addito exsecutore, qui cessante collatore conferret.

§. IV. Satis firmato mandatorum vsu, Romani pontifices ad beneficiorum reseruationes transierunt, quae sunt decreta, quibus pontifices collationi suae vacantia vel vacatura beneficia addicunt, ordinariis collatoribus eorum conferendorum ablata potestate. Sunt vero reseruationes aut generales, aut particulares, prout plura eiusdem, vel diuersi generis, vel personarum beneficia, aut vnum vacans vel vacaturum summus pontifex in se recipit & reseruat. Item reseruationes aliae sunt in corpore iuris comprehensae, quae ex recepriore sententia sunt, quae sexto decretalium continentur; aliae extra corpus iuris, quales extrauagantibus, regulis cancellariae & ceteris posterioribus bullis continentur (a). Beneficia reseruata alias di-

---

(a) Pertinent quidem ad systema iuris pontificii & extrauagantes Ioannis XXII. & quae *communes* dicuntur; at reseruationes

dicuntur *affecta*; at adfecta ſtricte ſic dicta ſunt beneficia non reſeruata, quibus conferendis ſe immiſcuit ſummus pontifex, aut alias manum appoſuit, qui actus collationem pro ea vice pontifici addicit.

§. V. Prima & in corpore iuris comprehenſa reſeruatio Clementi IV. tribuitur, eaque pontificiae collationi addicit quaecumque beneficia *apud ſedem apoſtolicam*, ſeu *Romanam curiam* vacarent, *cap.* 2. *de praebendis in 6.* Vacare apud ſedem apoſtolicam initio dicebantur beneficia, ſi in loco, vbi curia morabatur, beneficiarii decederent; at Bonifacius VIII. etiam in curia vacare decrevit beneficia omnia, quae morte accedentium aut diſcedentium a Romana curia in locis finitimis, ſeu quae quadraginta milliaribus a curia diſtabant, vacarent; item beneficia curialium, qui in locis curiae vicinis morerentur, modo ibi domum propriam non haberent; vel qui in loco, vnde curia diſcedit, infirmi remanentes, mortem occumberent, *cap.* 34. *de praebendis in 6.* Debet vero ſummus pontifex in comitatu vacantia beneficia vnius menſis ſpatio conferre: quo tempore elapſo ea ordinarii antiſtites pro iure ſuo conferunt, idque ne diutina vacatio eccleſiis obſit, *cap.* 3. *eodem:* ob quam eamdem rationem etiam ordinariis antiſtitibus licet conferre paroecias, quae defuncto pontifice in comitatu vacauerint, vel eo viuo vacauerint, ſed ante obitum ab eodem collatae non ſunt, *cap.* 4. *eodem*.

§. VI. Poſtquam ſemel ad generales reſeruationes aditus patuit, nouae in dies reſeruationes emerſerunt, antiquae confirmatae & latius extenſae ſunt. Sane Ioannes XXII. praeter beneficia per obitum apud ſedem apoſtolicam vacantia, collationi pontificiae addixit beneficia prorſus omnia ſiue maiora, ſiue minora, quae quocumque alio modo eo loci vacarent: item beneficia cardinalium, lega-

tiones iis comprehenſae ferme extra corpus iuris reputantur, fortaſſe quod eiuſmodi reſeruationes erant temporariae, Eſpen. *par. II. ſect. 3. tit. 6. cap. 4. edit. Neapol.*, aut potius quod extrauagantium codices (vtpote priuato ſtudio collecti) initio ad corpus iuris pontificii non ſpectabant.

legatorum, officialium curiae, & capellanorum commenſalium pontificis, quocumque demum loco mortem obirent, *extrauag.* ex debito 4. *de electione inter communes*; & praeterea beneficia, quae ob retentionem, aut adeptionem alterius ſingularis beneficii ipſo iure vacarent, *extrauag.* exſecrabilis *de praebendis inter communes*. Satis amplae reſeruationes, quas inde Benedictus XII. latioribus verbis confirmauit in *extrauag.* ad regimen *de praebend. inter communes*. Sed duo iſti pontifices a ſe inductas reſeruationes ad vitae ſuae tempus arctarunt, & praeterea conteſtati ſunt, ſe ideo tot beneficia reſeruaſſe, vt optimos quoſque clericos ad eccleſias promouerent.

§. VII. Exemplo horum pontificum ſucceſſores ſiue antiquas, ſiue nouas reſeruationes temporariis ad vitam ſuam decretis includere conſueuerunt: & hinc natae regulae cancellariae, quae morte pontificum extinguuntur, donec a nouo pontifice non ſine additionibus, mutationibus, aut detractionibus iterum publicentur, & reuiuiſcant. Regulis vero cancellariae non tantum epiſcopatus & dignitates praecipuae in eccleſiis cathedralibus & collegiatis, verum etiam omnia ferme reliqua beneficia collationi pontificiae ceſſerunt: tantumque epiſcopis relicta minora beneficia, alias non reſeruata, quae quatuor menſibus, Martio nempe, Iunio, Septembri & Decembri vacauerint (*b*).

§.VIII.

(b) Iuuat diſtinctius exhibere reſeruationes beneficiorum regulis cancellariae comprehenſas. Principio regulae illae, prout nunc ſunt, addicunt collationi pontificiae beneficia omnia, quae Ioannes XXII. & Benedictus XII. ſibi ad vitam reſeruauerant; & praeterea beneficia omnia officialium Romanae curiae, etiamſi ante obitum officiales eſſe deſierint; tum beneficia, de quibus ordinarii antiſtites contra Tridentinas regulas diſpoſuerint, *reg. I. cancell.* Item eccleſias omnes epiſcopales & monaſteria omnia virorum, quorum annui reditus excedunt ducentos florenos aureos, & beneficia, quae vacante ſede epiſcopali, aut alterius praelati ſeu collatoris vacauerint, & ad illius ſolam collationem pertinebant, *reg.II.* Summa ducentorum florenorum auri ferme quatuor centum triginta ducatos Neapolitanos exaequat.

§.VIII. Porro pontifices ad beneficia in ecclesiis Occidentis conferenda *praeuentionibus* vsi sunt. Nomine *praeuentionis* venit quaedam occupatio, qua beneficia nondum a collatoribus data Romanus pontifex pro suo arbitrio elargitur. Praeuentiones aetate Bonifacii VIII. iam receptae erant, *cap.* 31. *de praebendis in 6.*, atque ex hoc tempore veluti in medio posita beneficia ecclesiarum Occidentis esse videbantur, ad quae occupanda & conferenda pontifices & ordinarii collatores concurrerent. Quoniam vero

---

Porro regulae cancellariae pontifici reseruant beneficia in fraudem reseruationis ab iis resignata, aut dimissa, qui ab sede apostolica incompatibilia beneficia exspectant, tum & ipsa incompatibilia, quae a pontifice obtinuerint, *reg. III.* Item maiores dignitates post pontificalem in ecclesiis cathedralibus, & quae in collegiatis sunt principales, reditumque decem florenorum auri communi aestimatione excedunt; prioratus etiam & praeceptorias generales ordinum, exceptis militaribus: & beneficia, quae familiares papae, etiam dum is cardinalis erat, & cardinalium continui commensales obtinent, & in posterum familiaritate durante obtinebunt, etiamsi familiares quauis ratione esse desierint, *reg. IV.* Item beneficia, quae collectores & vnici in quacumque ciuitate vel dioecesi subcollectores redituum camerae apostolicae durante eorum officio obtinent, *reg.V.*; & beneficia curialium in itinere decedentium, dum curia transfertur, *reg.VI.*; & beneficia cubiculariorum etiam honoris & cursorum pontificis, *reg. VII.*

Ad haec, regulis cancellariae reseruantur etiam beneficia ecclesiarum S. Ioannis Laterani, S. Petri & S. Mariae maioris, & quae vacant in titulis cardinalium ipsis absentibus, *reg. VIII.* Item beneficia omnia non reseruata, quae octo mensibus, nempe Ianuario, Februario, Aprili, Maio, Iulio, Augusto, Octobri & Nouembri vacauerint, *reg. IX.*; etsi episcopis, qui in ecclesiis suis adsidui sunt, non vero aliis collatoribus, concedatur, vt alternis cum pontifice mensibus beneficia alias non reseruata conferant. Item nouo cuique pontifici reseruantur beneficia, quae papa defunctus sibi reseruauerat, & ante obitum vacantia non contulerit, *reg. X.* Et demum beneficia temporariis regulis & constitutionibus reseruari solita, quae vacante apostolica sede vacauerint, & antistites ordinarii non contulerint, vel non iure contulerint, *reg. LXVIII.*

vero ambitu candidatorum ad praeueniendos ordinarios collatores multae fraudes in curiam irrepserant, & beneficia necdum mortuis beneficiariis obtinebantur; prodiit regula cancellariae *de verisimili notitia*, qua decernitur, irritas esse collationes pontificias praeuentione factas, nisi a die mortis beneficiarii id tempus effluxerit, vt probabile sit, de ea pontificem certiorem fieri potuisse. Quae regula etiam iocum habet, vbi verisimilis quidem notitia poterat haberi, sed probetur, nuntium ante mortem iter Romanum suscepisse: quod *cursum ambitiosum* appellare solent. Ceterum in ecclesiis, vbi per menses collatio beneficiorum inter pontificem & episcopos tributa est, nullus est amplius praeuentionis vsus. Chokier *in procem. reg. VIII. Cancell. n.* 17.

§. IX. Ita Romani pontifices mandatis, reseruationibus, praeuentionibus suae potestatis & collationis ferme omnia Occidentis beneficia reddiderunt (*c*): qua ratione aucta quidem est Romanae sedis dignitas; at exitiale vulnus ecclesiasticae disciplinae inflictum est. Principio mandata captandae alienae mortis praebebant occasionem, quo

(c) Sed quibus rationibus Romani pontifices omnia ferme Occidentis beneficia suo arbitrio & collationi reseruarunt? Sunt, qui opinantur, Romanos pontifices id lucri studio fecisse, vt nempe suos cognatos amicosue ipsamque Romanam curiam locupletarent. Nec sane negari potest, aliquos pontifices reseruationum auctores ad rem fuisse auditores. Verum si res in origine sua expendatur, videntur clerici sine titulo ordinati & Romam magno numero confluentes, mandata primum induxisse; pontifices enim sui muneris esse iudicarunt, vacantes clericos antistitibus ad obtinendum aliquod beneficium commendare: qui mos magis magisque inualescentibus sine titulo ordinationibus latius se diffudit. Sed praeuentiones & reseruationes noua etiam doctrina innituntur, ecclesias omnes Occidentis ab ecclesia Romana fundatas fuisse, & plenariam omnium beneficiorum collationem ad pontificem pertinere: quae doctrina in ipsis reseruationibus saepe exprimitur, *cap. 2. de praebendis in 6.* Et inde etiam increbuerunt illa doctorum placita, Romanum pontificem esse collatorem collatorum, & summum in ecclesia omnium beneficiorum dispensatorem.

quo nihil est a viri boni officio alienius. Mandatis quoque omnia litibus impleta; nam saepe pro pluribus clericis eidem antistiti pontifices mandata dederunt, saepe etiam idem beneficium diuersis mandatis adstrinxerunt; vni vero collato beneficio, ceteri sibi ius ademtum existimabant. Porro mandatis, reseruationibus & praeuentionibus aditus dignioribus ad beneficia praeclusus; in tanta enim negotiorum multitudine, quibus aula Romana perstrepebat, facile non erat candidatorum merita expendere, etsi alias pontifices intenderent optimis clericis consulere. Item clerici peregrini, legum & sermonis patrii ignari ad beneficia promoti; hierarchicus ordo turbatus, coactique sunt episcopi reddere rationem de beneficiariis, quos ipsi non constituerant.

§. X. Satis in ecclesiarum perniciem creuerant mandata de prouidendo, reseruationes & praeuentiones. Hinc viri cordatiores has nouitates semper reprobarunt, & in synodo Constantiensi moderatio reseruationum, sed nullo effectu, expetita. Sed deinceps synodus Basileensis *sess. XII. & XXIII. cap. 1. & 6.* reseruationes omnes abrogauit praeter comprehensas in corpore iuris, quasque pontifices in regionibus ciuili imperio sedis apostolicae addictis facere vellent. Excidit quoque synodus ista exspectationes ad beneficia, quae non conferuntur per electionem: tantumque pontifici relicta est facultas mandatorum ad vnum beneficium, si collator habeat in suo iure decem; ad duo, si habeat quinquaginta vel plura; ita tamen ne vnus idemque pontifex duas concederet eiusdem capituli praebendas. Ius vero praeuentionis illaesum intactumque pontifici relictum est.

§. XI. Haec decreta Galli in comitiis Bituricensibus anno CIↃCCCCXXXVIII. perlubenter exceperunt, eaque mox in *pragmaticam sanctionem* coniecta sunt. Ita in Gallia canonicae electiones & liberae beneficiorum electiones restitutae: quae disciplina vsque ad pacta conuenta inter Leonem X. & Franciscum I. regem stetit (*d*). Sed in Italia,

(d) Pacta ista prorsus inuito & repugnante clero inita sunt, iisque nominatio episcoporum & abbatum & priorum conuentua-

talia, Hispania & multis aliis prouinciis, vbi decreta Basileensia non pari veneratione, ac in Gallia, recepta sunt, mandata, reseruationes & praeuentiones continuatae, & latius diffusae. Ergo ventum ad comitia Tridentina, in quibus mandata de prouidendo & reseruationes mentales prorsus abolitae sunt, at reseruationes & praeuentiones integrae relictae sunt. Trident. *sess. XXIV. de ref. cap. 19.* Reseruationes mentales ab Iulio II. & Leone X. inductae erant, quibus summus pontifex aliquod beneficium sibi reseruabat, vt illud inde certo clerico, cuius nomen apud se retinebat, conferret. Hoc decreto parum promota est ecclesiastica disciplina; & quid quaeso boni sperari poterat ex abolitione mandatorum, vbi beneficia ferme omnia pontifici erant reseruata? .

§. XII. Iam vero post synodum Tridentinam, quasi satis beneficiorum antiquae reseruationes non continerent, pontifices nouas induxerunt. Et quidem Pius V. in bulla *ex apostolatus officio* collationi pontificiae addixit beneficia, quae ob haeresim vacarent, paroecias non collatas per sollemne examen ex forma synodi Tridentinae; & in bulla *in conferendis* beneficia, quae contracta fiducia, seu, vt dicitur, *in confidentiam* recipiuntur, ita nempe, vt beneficiarius ex pacto acceptum beneficium resignet sequestro, vel alteri, aut vt pensionem, siue fructus aliquos inde praestet. Item reseruata sunt beneficia vacantia ex resignatione, in qua decretalis Gregorii XIII. *humano vix iudicio* seruata non fuit. Et demum ex bullis Sisti V. & Benedicti XIII. beneficia eo nomine vacantia, quod habitus & tonsura clericalis non deferatur.

§. XIII. Reseruationes clausae in corpore iuris non adeo graues visae sunt, & hinc passim vbique receptae. Sed extra corpus iuris vagantes, vtpote graues., nec omnes, nec prout verba sonant, in christianis prouinciis obti-

tualium, qui ex forma *cap.* quia propter *ex. de electione* eligi debent, regi cessit, pontifici vero confirmatio, praeter episcopatus vacantes in curia, quos solus papa confert; reseruationes prorsus extinctae; mandata potius restricta, quam omnino sublata; praeuentio vero integra pontifici relicta est.

obtinent, sed quatenus receptae. Porro generalibus reseruationibus non continentur iuris patronatus laici & misti beneficia, quae olim, nisi ex adsensu patronorum, nec mandatis de prouidendo subiiciebantur. Nec hodie regia potestas apud nos ratas habet pontificis collationes, in quibus ille ex certa scientia & expressione vel in totum, vel pro parte suffragiis patronorum derogauerit.

§. XIV. Iam in collatione beneficiorum, quae pontifici reseruata sunt, beneficiarii ex propriis pecuniis pendunt *annatas*, vt dicuntur, antequam bullas collationis consequantur. Sunt *annatae* media pars fructuum primi anni ex collato beneficio prouenientium, qui fisco pontificio, cardinalibus & inferioribus ministris in collatione beneficii per praematuram solutionem pendi debent. Sic descriptas annatas Bonifacius IX. inter incendia schismatis Auenionensis induxisse videtur, vt suam suorumque leuaret necessitatem, quod tradit Platina *in vit. Bonif. IX.* Initio annatis subiecta beneficia conferri consueta, at inde, vt reditus esset vberior, extensae sunt ad beneficia vnita, ita tamen vt (quod numquam vacarent) decimo quinto quoque anno penderentur (e). Vt vero constaret de annatarum quantitate, prodiit regula cancellariae *de exprimendo vero valore beneficiorum in impetrationibus:* quae regula in episcopatibus & abbatiis, in quibus annatae secundum antiquas taxationes penduntur, locum non habet. Ceterum minuta beneficia, quae reditum viginti quatuor aureorum de camera non excedunt, annatis non subiacent, quod in Italia seruatur: nam extra Italiam

(e) Annatae non ab omnibus probatae, quin a multis viris doctis tamquam simoniacae traductae, quod non gratis beneficia conferantur. Sed exactio non videtur esse pro collatione, sed potius ad sustinendas Romanae curiae necessitates: qua ratione Petrus de Marca *lib. VI. de C. S. & I. cap. 12.* & Thomassinus *de vet. & noua eccles. discipl. par. III. lib. 2. cap. 58.* nihil turpis lucri annatis inesse contendunt. Quamquam negandum non videatur, clericorum necessitates a multis saeculis luxu & saeculi pompis aestimari.

liam ferme sola beneficia, quae dicuntur *consistorialia*, vectigalia sunt, non item reliqua minora. V. Espen. *par. II. sect.* 3. *tit.* 7. *cap.* 4.

C A P V T XLII.

De commendis beneficiorum.

§. I. Species quoque collationis beneficiorum ex nouis moribus censentur *commendae*, contra quam quod in veteri disciplina obtinebat. Et quidem prisca aetate in commendationem dare ecclesiam, erat eam vacantem interim idoneo clerico regendam committere, qui a reditibus ecclesiae commissae tantum necessaria alimenta decerpebat, eiusque officium desinebat, statim ac proprius pastor ecclesiae dabatur. Nonnumquam etiam episcopis, quos sedibus suis barbari eiecissent, abbatiae in spiritualibus & temporalibus ad longum tempus commendatae. Greg. M. *lib.I. ep.*38. *& seq.* Et quoniam commendae ad tempus erant, receptis regulis non repugnare videbatur, vt pastores aliarum ecclesiarum eas susciperent, aut etiam saeculares clerici interim monasteria administrarent. Ita inualuit regula iuris canonici, vnum clericum duas ecclesias posse retinere, vnam *titulo*, seu proprio & perpetuo iure, alteram *commendatione*, quam regulam Leo IV. & Gregorius IV. proponunt, *can.*3. C. 21. *q.* 1., *cap.* 54. *ex. de electione*.

§. II. Sic descriptae commendae vtilitati ecclesiarum inseruiebant, nec iis canones erant impedimento. At quod in vtilitatem ecclesiarum receptum erat, labentibus annis in ipsarum perniciem mirabiliter conuersum est. Et sane episcopi aliique ordinarii collatores fuco commendarum plura singularia beneficia vni coeperunt conferre; nam vnum beneficium in titulum possidenti perpetuas aliarum ecclesiarum dabant commendas, idque sacris canonibus aduersari non credebatur, etsi integrum negotium in beneficiarii vtilitatem cederet. Conc. Salmu-

rienſe anno CIↃCCLIII. *can.XXVIII.* Praeterea ſaepe non presbyteri paroecias & clerici ſaeculares monaſteria in commendationem perpetuam acceperunt, idque eo colore, quod clerici commendarum non neceſſario eiuſdem ordinis & inſtituti eſſe deberent, ac veri paſtores. Interim ſynodus Salmurienſis vetuit, paroecias iis commendari, qui aliam paroeciam, aliudue beneficium obtinerent: & ſynodus Lugdunenſis ſub Gregorio x. paroeciarum itidem commendas excidit, tantumque in eccleſiae vtilitatem ad ſex menſes eas permiſit commendari, *cap.* 15. *ex. de elect. in 6.*

§. III. Poſt ſynodum Lugdunenſem ceſſarunt quidem epiſcopi paroecias in commendationem perpetuo dare; at deinceps opera Romanorum pontificum commendae omnis generis beneficiorum, etiam epiſcopatuum & abbatiarum, ad locupletandos clericos torrentis inſtar exundaſſe viſae ſunt. Tantae licentiae aditum Clemens v. aperuit, *extrauag.2. de praebendis inter communes*: inde quouſque Avenione fixa ſtetit ſedes apoſtolica, & multo magis in ſchiſmate Auenionenſi abuſiones creuerunt; nam diſſentientes pontifices ſiue coaceruatione beneficiorum, ſiue commendarum effuſione rem promouebant ſuam. Exſtincto ſchiſmate mali mores etiam ſteterunt: praeſertim vero commendabantur monaſteria cardinalibus & praelatis, qui id ſibi oneris imponi petebant, ad inſtaurandam monaſticam diſciplinam.

§.IV. Vix autem dici poteſt, quo exitiali vulnere adfecta eſt eccleſiaſtica diſciplina, ex quo commendae, quae in eccleſiarum vtilitatem erant inſtitutae, in commodum clericorum degenerarunt. Reditus eccleſiarum abſumti, eccleſiae & monaſteria collapſa, perdita omnis ſiue clericorum, ſiue monachorum diſciplina, Dei cultus neglectus, peregrinis hoſpitia denegata, pauperibus nihil relictum, *extrauag.2. de praebend. inter communes*, conc. Lateran. ſub Leone x. *ſeſ. IX.* Nam boni iſti cuſtodes & in rem ſuam procuratores vnice reditibus colligendis ſolliciti, nihil aut parum clericis & monachis ad vitam ſuſtinendam, & ad externum religionis cultum relinquebant; & ab eccleſiis ſibi commendatis abſentes quî clericalem & monaſticam vitam poterant promouere?

§.V.

§. V. In tanta ecclesiarum & monasteriorum calamitate degeneres commendae inuita canonica iurisprudentia semper continuarunt; status enim Romanae curiae talis erat, vt nec mala commendarum, nec remedia ferre posset. At Tridentini patres commendas omnes, saltem in futurum, videntur abrogasse; in primis *ses. VII. de ref. cap.* 4. prorsus eliminarunt commendas, quae ecclesiarum & beneficiorum singularium coaceruationi inseruiebant; & deinde tum vigentes commendas monasteriorum, in quibus erant monachorum conuentus, quousque viuerent fiduciarii abbates, tolerarunt, exceptis monasteriis, quae erant ordinum capita, in quibus etiam tum vigentes commendas sustulerunt; at vbi toleratae commendae vacarent, iterum monasteria commendari vetuerunt: *quae vero in posterum vacabunt, non nisi regularibus spectatae vitae & sanctitatis conferantur, ses. XXV. de regularibus cap.* 21. Ita Tridentina synodus commendas omnes monasteriorum in futurum deleuit. V. Espen. *par. I. tit.* 31. *cap.* 7. At quis crederet! commendae monasteriorum & prioratuum, quae in commendam dari consueuerant, etiam post Tridentinum continuarunt, monasteriis ordinum principibus tantum exceptis. Passim quoque in commendam conceduntur monasteria monachis destituta: quin etiam ipsa simplicia beneficia saecularia in perpetuum cardinalibus solent commendari. Sed in monasteriis in commendam dari consuetis mensae abbatis & monachorum seiunctae sunt. Gregor. XIII. *bul.* superna *XVIII. in bull. Rom.*

§. VI. Illud interim obseruandum, moribus praesentibus commendas potius verbis, quam re differre a beneficiis; etenim non secus ac beneficia in perpetuum conceduntur, & fiduciarii clerici effectu iuris iisdem fere praerogatiuis ac veri beneficiarii fruuntur. Ita habent liberam prouentuum administrationem; habent iurisdictionem in monachos, qua vtuntur, si in beneficio ipsi morentur, & ordinarius praelatus eiusue vicarius absit. Ant. Faber *in cod. lib. I. tit.* 2. *def.* 34. Porro in Gallia commendis aucti ad sacros ordines suscipiendos coguntur, conc. Rothomag. anno CIↃIↃLXXXI. *tit. de monaster. cap. IV.*, & in Italia similiter tenentur ad ordines susci-

 piendos,

piendos, & ad adsiduam moram, si animarum cura interior monachorum aut aliorum fidelium ipsis fiduciariis incumbat. Gallimart. *adnot. ad Trident. sess.VI. de ref. cap.2.* Ceterum commendata beneficia pristinam qualitatem non deperdunt, etsi longo vsu commendentur iis, qui eiusdem ordinis & instituti, ac veri titulares, non sunt.

§. VII. Solus summus pontifex ex recepta disciplina commendas concedit. Nempe perpetuae commendae, quae effectu iuris vera beneficia reputantur, iis concedi solent, qui qualitatibus ad obtinenda beneficia destituuntur, veluti monastica beneficia praelatis saecularibus. Hinc solus summus pontifex, cui soli competit facultas canones relaxandi, commendas concedit, quod dum facit, canones relaxare censetur. Immo ex noua disciplina nec episcopis licere videtur semestres paroeciarum vacantium commendas ex forma synodi Lugdunensis sub Gregorio x. concedere; nam Tridentina synodus *sess. XXIV. de ref. cap.* 18. decreuit, vt episcopus statim a notitia vacationis paroeciarum, si opus fuerit, oeconomum seu vicarium constituat cum congrua fructuum parte, qui ecclesiam regat, quousque parochus constituatur.

CAPVT XLIII.

De laica beneficiorum collatione.

§. I. QVamuis beneficiorum collatio res spiritualis sit, & sacerdotio cohaereat, tamen mediis saeculis laici plures eam sibi nullo iure adquisiuerunt. Sane laici nono saeculo & deinceps in ecclesiis, quas in feudum ante acceperant, beneficiarios creare, eosque mox pro arbitrio expellere solebant. Interim quod laicis ministeriorum Dei dispensatio non competebat, canones eiusmodi ecclesiarum concessiones pluries damnarunt. Thomass. *de vet. & noua ecclesiast. discipl. par.II. lib.1. cap.55.* Quibus iteratis decretis non per omnia desierunt laicorum collationes; nam Carolus Molinaeus *ad reg. de infirmis resi-*

resignantib. n. 416. *seqq.* plures nobiles laicos recenset, qui beneficia, immo paroecias conferunt.

§. II. Frequentibus canonibus abolitae quidem sunt pleraeque laicorum collationes, at integra remanserunt iura regum, qui olim contulerunt, & nunc conferunt multa beneficia, praesertim aere regio fundata. Hoc iure vsi sunt olim reges Angliae, *cap.* 4. *de consuetud. in* 3. *collect. apud Ant Augustinum*, & reges Galliae & Apuliae etiam nunc vtuntur. Et certe Reges nostri creant archipresbyterum Alti Muri, priorem S. Nicolai Bariensis, abbatem S. Egidii Altaeuillae, qui omnes quasi episcopali dignitate decorantur; & porro conferunt multa alia minora beneficia in variis dioecesibus regni siue simplicia, siue cum cura animarum. V. Chioccarel. *arch. tom. VI.* & Troylum *tom. IV. hist. par.* 2. *cap.* 3.

§. III. At qui possunt reges suapte potestate beneficia conferre, & sacra officia committere, non interueniente episcopi iussione, aut confirmatione? Varia commenti sunt rei canonicae consulti ad hunc nodum extricandum; verum illud magis videtur ad rem, reges beneficia conferre, tamquam episcoporum vicarios ex expressa vel tacita ecclesiae concessione; separatis enim ab ordinatione beneficiis, horum collatio etiam laicis adquiri potuit, immobili penes episcopos ordinum collatione remanente. Ipse Bonifacius VIII. etsi Philippo Pulcro minus aequus, professus est, beneficiorum collationem laico posse competere, *ecclesiae consensu tacito vel expresso*, *ap. Raynaldum ad an. CIƆCCCXI. n.*34. Hinc si reges conferunt beneficia, nec eius rei exstat priuilegium, dicendum est, longa consuetudine ex tacito ecclesiae consensu beneficiorum collationem regibus quaesitam.

CAPVT XLIV.

De iure patronatus.

§. I. ANtiſtites beneficiorum collatores ſaepe tenentur conferre certis clericis, quos alius ex iure in eccleſiam nominauerit: quo caſu offerens *patronus*, beneficia *iuris patronatus*, & collatio ſtricto ſenſu *inſtitutio* dici ſolet. Itaque ius patronatus eſt facultas a canonibus data, qua patronus vacante beneficio idoneum miniſtrum offert, ab epiſcopo, alioue collatore inſtituendum, & ſimul aliis iuribus partim vtilibus, partim oneroſis, partim honorificis vtitur. Hoc ſenſu acceptae voces *patroni* & *iuris patronatus* etiam poſtquam res ipſa innotuerat, non occurrunt: veteres enim vtebantur nominibus *fundatoris* & *aedificatoris*, nominatio vero iis data potius *gratia*, quam ius dicebatur.

§. II. Hoc ſenſu acceptum ius patronatus in eccleſia diu ignotum, tempore addito ſenſim receptum eſt. Et in Occidente quidem primum ſynodus Arauſicana anno CCCCXLI. *can. X.* gratiam fecit epiſcopo, qui in aliena dioeceſi eccleſiam exſtrueret, vt ad eam regendam pro arbitrio clericos eligeret, & loci epiſcopo ſiſteret ordinandos. Satis reſtrictum beneficium, quo tantum epiſcopus augebatur; at deinceps & in Occidente & in Oriente etiam fundatores omnes iure nominationis aucti ſunt. quae diſciplina ſaeculo ſexto iam inualuerat, *L.46.* §.3. *C. de epiſc. & clericis*, conc. Tolet. IX. *can.* 2. Sed hac aetate praerogatiua iſta perſonalis erat, nec in heredes fundatorum tranſibat, quod expreſſe mox laudatus canon II. Toletanus edicit, donec eo ventum eſt, vt nominatio fundatoribus conceſſa etiam in heredes deuolueretur. Et ita ius patronatus, quod rebus ſacris adhaeret, inter iura hereditaria reputari coeptum eſt.

§. III. Pluribus vero modis ius patronatus adquiritur, quorum potiores ſunt eccleſiae fundatio ſeu conſtructio, & do-

& dotatio. Et fundatio quidem, qua ius patronatus adquiritur, est ecclesiae aedificatio, quae contineat dotationem; vetant enim canones, ecclesiam aedificari, nisi prius satis redituum alendis ministris & sustinendo religionis exercitio tribuatur, *can.* 26. C. 16. *q.* 7., *can.* 9. D. 1. *de consecr.* V. Franc. de Roye in *prolegom. de iure patron. cap. XIII.* Et profecto non conuenit cum canonibus sententia illa, quae habet, etiam adquiri ius patronatus sola fundi, seu areae, in qua ecclesia aedificetur, datione. Quod si ecclesia aedificata sit, & eius reditus defecerint, tum sola dotis adsignatione ius patronatus adquiritur, Trident. *sess. XIV. de ref. cap.* 12.; haec enim liberalitas aequiualet fundationi. Inest autem ius patronatus ecclesiae fundationi, aut dotationi, nec necesse est, vt specialiter reseruetur, *cap.* 25. *ex. de iure patronatus*, modo expresse aut tacite eidem non renuntietur.

§. IV. Adquiritur quoque ius patronatus antiqua possessione, *cap.* 24. *ex. de electione*, & quidem contra patronum quadraginta annorum possessione, at contra ecclesiam liberam vetusta possessione, cuius contraria memoria non exstat, praesertim si praescribens laicus sit, *cap.* 1. *de praescript. in* 6. Vbi ius patronatus in heredes deuolutum est, sensim veluti cetera iura hereditaria haberi coepit, atque ideo praescriptioni obnoxium. Antiqua possessione adquiri ius patronatus etiam Tridentina synodus *sess. XXIV. de ref. cap.* 9. admittit; verum probari voluit ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat: & si agatur de personis & vniuersitatibus, in quibus praesumi potest vsurpatio, pleniorem probationem ad docendum verum titulum praescripsit, & immemorabilem possessionem tum suffragari voluit, si praeter reliqua ad eam necessaria praesentationes etiam continuatae non minori quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum habuerint, authenticis scripturis probentur. Sed decretum hoc nec alibi, nec apud nos receptum est.

§. V. Porro multi patronatus ex regum, aut episcoporum & pontificum liberalitate originem habuerunt. Nimirum a tempore Caroli Martelli consueuerunt principes monasteria & ecclesias militibus in feudum aut alodium

concedere. Milites autem acceptas ecclesias veluti in privato dominio tenebant, & presbyteros, etiam inscio episcopo, instituebant & expellebant. Interim episcopi omni studio ecclesias a manibus laicorum excutere curarunt, & multis canonibus statutum, ne laici ecclesias concederent. Hinc multi laicorum bonam mentem induerunt, & a se possessas ecclesias cesserunt monachis aut canonicis, & ita exorti sunt multi ecclesiastici patronatus: in ecclesiis vero, quas laici retinuerunt, collatio versa est in nominationem. Ipsi quoque episcopi & pontifices ecclesias multas collegiis canonicorum aut monasteriis adiunxerunt, quo factum est, vt in multas ecclesias canonicis & monachis ius patronatus adquisitum sit. Priuilegiis item summorum pontificum aliquando etiam patronatus quaesiti, sed eiusmodi priuilegia synodus Tridentina *sess. XXV. de ref. cap. 9.* videtur abrogasse, exceptis patronatibus, qui super ecclesiis cathedralibus competunt, & qui summis potestatibus & studiorum vniuersitatibus concessi sunt.

§ VI. Iam ius patronatus aliud ecclesiasticum, aliud laicum est. Ecclesiasticum ecclesiae seu dignitati adhaeret, fortasse quia ecclesia ex alterius ecclesiae prouentibus fundata est, aut si patronus laicus ius suum alicui ecclesiae cedat. Contra laicum dicitur, quod ratione patrimonii in ecclesiam collati siue clerico, siue laico competit; cuius naturae etiam est patronatus, si a clerico beneficium ex prouentibus ecclesiasticis excitetur; ex praesenti enim disciplina clerici in foro externo reditus ecclesiasticos ad instar proprii patrimonii tractant. Franc. de Roye *proleg. ad tit. de iure patron. cap. VI.* Ex his duabus speciebus conflatur mista patronatus species, veluti si ex duobus laicis patronis alter ius suum ecclesiae cedat. Vtriusque naturam, si patroni coniunctim praesentent, mistus patronatus induit, & in speciebus obuenientibus ea conditio attenditur, quae patronis magis fauet.

§. VII. Porro ius patronatus in *reale* & *personale* dividi solet, quorum illud glebae, seu fundo adhaeret, illudque exercet, qui fundum tenet; hoc vero certae personae seu familiae competit, nulla alterius rei habita ratione, diciturque personale, non quod finiatur cum persona,

ſona, ſed vt ab eo, quod rei adhaeret, diſtinguatur. Ius patronatus, quod fundo adhaeret, ab oratoriis & ſacellis, quae in villis ſuis in familiae commodum nobiles excitare conſueuerunt, originem videtur habuiſſe: haec enim ſacella, vtpote in commodum villarum, ſeu in iis habitantium exſtructa, videntur ex mente fundatorum rebus ipſis adnexa. V. Eſpen. *par. II. ſect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 2. *edit. Neapol.* Quod ſi patronatus feudo adhaereat, & feudum in eccleſiam transferatur, ille naturam non mutat, atque ideo laicus perſeuerat; ratione enim feudorum eccleſiae tamquam laici reputantur.

§. VIII. Ius patronatus ſemel quaeſitum in alios pluribus modis transfertur. Et primum quidem patronatus eccleſiaſticus cum officio, ſeu dignitate, cui adnexus eſt, transfertur; ſeorſum vero transferri non poteſt, niſi ex forma, qua res eccleſiarum ſolent alienari. Patronatus quoque rei adhaerens, vna cum ipſa re ad inſtar aliorum iurium, quae praediis inhaerent, transfertur, ſiue dominium plenum, ſiue ſemiplenum, quod *vtile* appellant, transferatur, licet in fundi alienatione nulla patronatus mentio iniiciatur, *cap.* 13. *ex. de iure patronatus.* Hinc ſi patronatus fundo dotali adhaereat, ad maritum, ſtante matrimonio, praeſentatio ſpectat: receptumque etiam eſt, praeſentationem a bonae fidei poſſeſſore factam valere, & inde factam inſtitutionem ſuſtineri, etiamſi fundus poſtea euincatur, *cap.* 19. *ex. eodem.* Sed patronatus perſonalis transfertur cum hereditate ſiue teſtamentaria, ſiue legitima in heredes in ſolidum, licet hereditas inaequaliter diuidatur, quia ius hoc eſt indiuiduum, excepto iure praeſentandi, in quo heredes in ſtirpes, non in capita ſuccedunt, *Clement.* 2. *de iure patronatus.* Ceterum poteſt fundator patronatum alicui de familia, ſiue etiam extraneo adſignare: quo caſu cum hereditate fundatoris patronatus non transfertur. Patronatus transfertur etiam permutatione cum alia re ſpirituali, *cap.* 6. *ex. de rer. permutatione*, & donatione, ſeu ceſſione, quae ſi eccleſiae vel monaſterio fiat, epiſcopi conſenſu opus non eſt, *cap. vlt. de iure patronat. in* 6.

§. IX. Iura patronis debita plura ſunt, ſed praecipuum eſt *nominatio* ſeu *praeſentatio*, qua patronus, eccleſia

clesia seu beneficio vacante, rectorem collatori offert, a quo instituatur (a). Praesentatio ista tum facta censetur, si electum patronus collatori sistat: quod hodie fieri solet per authenticas litteras collatori praesentatas. Si patroni plures sint, & collegium componant, praesentatio per collegium fieri debet secundum receptas regulas electionis: si vero pluribus seorsum patronatus competat, singuli seorsum possunt nominare: nec tenentur omnes eumdem clericum sistere: & si plures quam duo patroni sint, ille praeferendus, qui a maiori parte nominatur, *cap.* 3. *ex. de iure patronatus*. Praesentatio autem, si patronatus ecclesiasticus est, fieri debet intra sex menses, si vero laicus, intra quatuor, *cap. vn.* §. I. *de iure patron. in* 6. Incipit vtrumque tempus a die scientiae vacationis, eoque exacto & litteris nominationis non exhibitis, ordinarius antistes pro iure suo beneficium confert.

§. X. Quousque legitimum tempus ad offerendum non impletur, patronus laicus, rebus integris, hoc est nondum facta institutione, pro iure suo plures, vnum post alium potest offerre, non item ecclesiasticus, qui vnum tantum praesentabit, quae differentia demum Lucii III. rescripto inualuit, *cap.*24. *ex. de iure patronatus*. Verum dum secundum laicus patronus praesentat, primo oblatum reiicere vetatur: & hinc variatio ista doctoribus *cumulatiua* dicitur. Videtur autem laicis concessa plures offerendi potestas, vt episcopi collatio liberior, & ius patroni non adeo efficax euaderet. Quidquid vero huius rei sit, pluribus per successionem praesentatis, integrum est episcopo eorum vni conferre beneficium.

§. XI. Si inter plures oriatur controuersia, cui patronatus competat, vt ad patroni praesentationem beneficium conferri debeat, intra sex, aut quatuor menses pro

(a) Solus ecclesiae rector seu beneficiarius patroni nominatione instituendus est, & si necessarii sint alii clerici ad ecclesiae seruitium, ii etiam sine adsensu patroni constituuntur, quae est recepta disciplina veteribus regulis aduersa; antiquitus enim omnes clerici a patrono etiam offerebantur. Conc. Arausic. I. *can.* 10., *vetutl. Iustin.* CXXIII. *cap.*18.

pro patroni qualitate finienda est, *cap.* 3. & 27. *ex. de iure patronatus:* nam eo tempore elapso libere confert ordinarius antistes. Quod si constet, beneficium esse iuris patronatus, & inter litigantes de vnius nominatione conveniat; tum etiamsi lis tempore legitimo finita non sit, praesentatio est admittenda, nullum enim inde in ecclesiam damnum deriuatur. Verum praescripta tempora non procedunt, si lis inter patronum & episcopum siue de ipso patronatu, siue de nominati qualitatibus emergat, & quousque quaestio est, patroni nominatio non praescribitur, ne facile sit episcopo excitatis controuersiis patronos iure praesentationis spoliare. V. Franc. de Roye *in cap.* 3. *ex. de iure patronatus*.

§. XII. Qui autem a patrono offertur instituendus, idoneus obtinendo beneficio esse debet; pertinetque profecto ad patroni officium, vt optimi quique beneficiis augeantur. Conc. Tolet. IX. *can.* 2. Idoneus autem ille censetur esse, qui conditiones habet a canonibus ad beneficia adquirenda praescriptas, & in fundatione appositas. Vt vero constet, nominatum esse idoneum, in eius qualitates pro iure suo episcopus inquirit, nisi ab vniuersitatibus studiorum praesentatio fiat. *Nouel. LVII. cap.* 2. Trident. *sess. VII. de ref. cap.* 13. Quod si examine instituto nominatus idoneus non reperiatur, collator eum a beneficio repellit, *cit. can. II. conc. Tolet.*, modo palam constet, praesentatum esse indignum, *capit. reg. Franc. lib. V. cap.* 178.; nam si in hac re solius episcopi iudicio standum sit, patroni facile iuribus suis exciderent. Hinc ab iudicio collatoris praesentatum veluti indignum reiicientis locus est appellationi. Garcias *de benef. par. X. cap.* 4. §. 9. Vbi nominatus tamquam indignus reiectus est, patronus ecclesiasticus pro ea vice nominatione cadit, non vero laicus, qui alios potest offerre. Franc. de Roye *ad cap.* 14. *ex. de iure patronatus*.

§. XIII. Praesentatione intra tempus legitimum a patrono facta, tenetur collator antistes beneficium dare praesentato: quae est collatio minus libera, quae stricto sensu dicitur *institutio*. Et si praeter patroni nominationem beneficium detur, institutio nulla est; nominatus enim per praesentationem ius ad beneficium adquirit, *can.* 32.

C. 16.

C. 16. *q.* 7. Tum vero nulla est beneficii collatio, si inuito patrono fiat; nam si nondum tempore ad praesentandum impleto collator beneficium conferat, & patronus eo currente nullum offerat, institutio sustinetur, eique saltem tacite patronus censetur consentire; currente enim ad praesentandum tempore inest antistitibus, licet obstricta, facultas conferendi; & hinc dum patronus iure suo non vtitur, firma manet antistitis collatio. V. Espen. *par.* II. *sect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 5. *edit. Neapol.*

§. XIV. Praeter praesentationem etiam alia iura siue vtilia, siue onerosa, siue honorifica patronis competunt. Et ad vtilia iura quod spectat, patroni ad inopiam redacti ab ecclesiis, quas fundarunt, aut dotarunt, iure exigunt alimenta, eaque ecclesia, veluti vicem rependens, praebet, *can.* 30. C. 16. *q.* 7. Hinc non omnibus patronis debentur alimenta, sed illis tantum, qui ecclesias fundarunt, vel bonis suis auxerunt, etsi fundator ea de re nihil sibi suisque stipulatus sit, vel iuri nominandi renuntiarit. V. Espen. *loc. cit. cap.* 6. Alimenta autem patrono pauperi ab ecclesia exhibenda sunt pro eius conditione, & ecclesiae reditibus. Porro etiam extra necessitatem potest patronus in fundatione sibi suisque, immo extraneo reseruare annuam pensionem, *cap.* 16. *ex. de censibus*: quae ab episcopo probata & admissa recte exigitur.

§. XV. Illud vero oneris patronis incumbit, vt summa vigilantia ecclesias tueantur, & praeterea videant, num beneficiarii ex ecclesiae sententia sacros prouentus administrent. Conc. Tolet. IX. *can.* I. V. Franc. de Roye *proleg. de iure patr. cap.* 27. Itaque si beneficiarii inferiores aliquid de bonis ecclesiae defraudauerint, patroni aut eos amice debent admonere, aut episcopo, siue iudici denuntiare; & si eodem vitio episcopus laboret, metropolitanum adire, contra metropolitanum vero Regem ipsum interpellare, quod aperte laudatus canon Toletanus habet. Et quamuis synodus Tridentina *sess. XXIV. de ref. cap.* 3. statuerit, ne patroni administrandis sacramentis, aut visitationi vestimentorum ecclesiae, aut eiusdem prouentibus se immisceant; tamen non videtur sustulisse vigilantiam patronis olim ab ecclesia datam; sed canon iste videtur tantum cauere, ne tuitio ista in abusionem degeneret.

§. XVI.

§. XVI. Demum patronis, qui fundarunt, aut dotarunt ecclesias, debentur iura quaedam *honorifica* interpretibus dicta, idque etsi illi praesentationi renuntiarint. Sunt iura ista signa quaedam honoris & reuerentiae, quibus patronos suos ecclesia colit. Olim non erant determinata, sed in noua disciplina haec passim recepta sunt, *honor processionis*, *precum*, *thuris*, *sedis*, *aquae benedictae*, *panis benedicti*, & *sepulturae*. Honor processionis in noua disciplina exhibetur patrono, si illi in ecclesiam venienti clerus in processionem digestus occurrat, itemque si illi honoratior locus in publica & sollemni processione concedatur. Sed sollemnis occursus tantum regibus & principibus patronis exhiberi solet. Honor precum facit, vt patroni nomen inter publicas preces recitetur. Honor thuris id patrono tribuit, vt thuris suffimen in publicis functionibus patrono speciatim exhibeatur. Honor aquae benedictae facit, vt dum aqua illa adspergitur, praecipue patroni ratio habeatur: & honor panis benedicti id proprium habet, vt patronus ante omnes eum accipiat, & offerat. Honor sedis defert patrono perpetuam & fixam in ecclesia sedem, quae eo honoratior censetur, quo est proximior sanctuario. Et demum honor sepulturae eo spectat, vt patronus honoratiore ecclesiae loco sepeliatur. Ceterum in his signis honoris exhibendis ecclesiarum mores seruandi sunt, tum quod spectat ad exhibitionis modum, tum ad personas, quibus praestantur.

C A P V T XLV.

Quibus conferenda beneficia.

§. I. Beneficia iis tantum conferre licet, qui qualitatibus per canones requisitis aucti sunt: quas qualitates separata ab ordinibus beneficiorum collatione noui canones praescripserunt. Principio beneficiorum incapaces

paces ferme laici sunt (a), tantumque clericis & monachis ea conferri debent, & quidem eo discrimine, vt saecularia clericis, regularia regularibus conferantur. V. Espen. *par. II. sect. tit.* 1. *cap.* 3. *edit. Neapol.* Sane vita clericalis & monastica sibi inuicem aduersantur, & idcirco nec clericis beneficia monastica, quae monachalem disciplinam spectant, nec monachis saecularia beneficia conferenda. Hinc recepta sententia est, saecularia beneficia, quibus nulla subest cura animarum, monachis sine venia pontificis conferri non posse. Verum vtrum similiter pontificis indulgentia necessaria sit, an tantum venia suorum praelatorum requiratur, vt possint monachi & canonici regulares ad parochiales curas promoueri, interpretes disputant.

§. II. Item clericus aut monachus beneficiorum capax debet esse aetate legitima. Et decani quidem, archidiaconi & parochi creari non possunt, nisi vicesimum quintum annum attigerint, quod synodus Lateranensis sub Alexandro III. statuit, *cap.* 7. §. 2. *ex. de electione*. Et ex cancellariae regula a Paulo III. edita quatuordecim annos nati capaces sunt praebendarum in ecclesiis cathedralibus, decem annos nati in collegiatis inferioribus, & septem annorum aetas sufficit ad capellanias & simplicia beneficia: qua regula statutos annos impletos esse oportet. Verum Tridentina synodus *ses. XXIV. de ref. cap.* 12., innouato concilii Lateranensis canone, insuper statuit, ad dignitates & personatus, quibus animarum cura nulla subest, clericos *viginti duobus annis non minores*, hoc est maiores, promoueri; ad simplicia vero beneficia obtinenda quatuordecim annos inceptos sufficere, *ses. XXIII. de ref. cap.* 6., nisi canonicis incumbat onus, quod ordinem sacrum requirat. Sic statuta aetas nihil commune habet cum aetate ad ordines necessaria: & hinc qui ex indulgentia ante annum vicesimum

(a) Tantum ex lege fundationis consensu superioris ecclesiastici probata potest laico patrono praebenda canonicalis vel dignitas reseruari, vt apud nos exemplo esse possunt Reges nostri, quibus in basilica S. Nicolai Bariensis ex lege fundationis prima dignitas thesaurarii competit.

mum quintum presbyter creatus est, adhuc incapax ad parochiales curas censetur. Ceterum Tridentinus canon de simplicibus beneficiis ita acceptus est, vt in beneficiis antiquis, hoc est ante eius synodi publicationem fundatis, praesentari & institui valeant clerici septennio maiores; at in nouis qui quatuordecim annorum sunt. Verum apud nos pactis conuentis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum *cap. IV. n.5.* haec interpretatio restricta est, & septennio maiores tantum ea antiqua beneficia possunt obtinere, ad quae in tabulis fundationis vocantur.

§. III. Porro qui beneficiis donantur, certo ordine debent esse initiati, aut quamprimum initiari. Et quidem archidiaconi, decani, parochi & quotquot in ecclesiis cathedralibus & collegiatis beneficia obtinent, quibus certi ordines sunt adnexi, intra annum post collatum beneficium ordine necessario debent initiari, *cap. 14. de electione in 6., Clement. 2. de aetate & qualit. ordinandorum.* Incipit autem annus ex decreto synodi Lugdunensis sub Gregorio X. *a die commissi regiminis, cit. cap. 14.*; at Bonifacii VIII. interpretatione currit a tempore, quo beneficiarius habet *pacificam possessionem*, aut per eum stetit, quo minus haberet, modo iusta caussa ordinationem non impedierit, *cap.35. de elect. in 6.* Si praefixo tempore beneficiarius non ordinetur, & beneficium parochiale sit, ipso iure nullaque praemissa monitione paroecia cadit, *cit. cap. 14.*, exceptis ecclesiis collegiatis parochialibus, in quibus beneficiarius legitimo tempore non ordinatus sententia iudicis beneficio exuetur, *cap.22. eod. in 6.* Haec omnia vera sunt ex generalibus decretalium regulis; nam ex fundatione, aut ecclesiarum moribus saepe ordo necessarius est tempore collationis: quo casu ordo dicitur adnexus *actu*, & ipsam collationem praecedere debet. V. Garciam *de benefic. par.VII. cap.1. n.57.* & Fagnan. *ad cap.* vt abbates *ex. de aetate & qualit. ordinandorum.*

§. IV. Necessaria quoque est iis, qui beneficiis augentur, scientia, quae functionibus beneficio adnexis respondeat. Ita parochiales curae iis conferendae, qui eminenti rerum diuinarum & sacrorum canonum scientia

prae-

praediti sunt; cura enim animarum veluti ars artium merito habetur. Nec minor fortasse scientia necessaria est in dignitatibus & canonicis ecclesiae cathedralis, qui ex noua disciplina ecclesiae senatum, cuius adiutorio & consilio episcopus ecclesiam regere debeat, constituunt. Hinc vota illa synodi Tridentinae, vt in ecclesiis cathedralibus & collegiatis insignibus, dignitates omnes & saltem dimidia pars canonicatuum scientia illustribus viris, qui academicis theologiae & iuris canonici gradibus fulgerent, conferantur. Trident. *sess. XXIV. de ref. cap.* 12.

§. V. Iam incapaces beneficiorum sunt clerici a canone alieni, item excommunicati, aliaue censura ecclesiastica irretiti, *cap. 26. ex. de rescriptis*, *cap. 7. ex. de clerico excommun. ministrante.* Verum natis ex iniustis nuptiis potest episcopus ad minores ordines & simplicia beneficia veniam indulgere, *cap. 1. de filiis presbyterorum in 6.*, modo non sint illegitimi filii clericorum, quibus nec ex venia episcopi licet aliquod obtinere beneficium in ecclesia, vbi pater aliquod beneficium obtinet, aut obtinuerit; idque vt a locis Deo dicatis paternae incontinentiae memoria longe arceatur, *cap. 15. ex. de filiis presbyterorum*. Item filii presbyterorum etiam legitimi, hoc est ante patris ordinationem ex iustis nuptiis suscepti, vetantur obtinere beneficia, quae eorum pater nulla persona intermedia obtinuerit, *cap. 11. ex. eodem:* idque ad exstirpandas ab ecclesia hereditarias successiones. Nec capaces sunt beneficiorum clerici coniugati, *cap. 1. & 5. ex. de clericis coniugatis:* quae disciplina inducta est, vbi copia fundorum sacris officiis accessit, ne patres amore filiorum bona ecclesiae in filios transferre studerent. Et demum beneficia ex peculiaribus ecclesiarum & regnorum moribus tantum eiusdem ecclesiae, aut prouinciae, aut regni ciuibus conferenda sunt: quod ius etiam obtinet apud nos, litteris enim Caroli VI. beneficia & pensiones huius regni tantum eiusdem ciuibus conferri debent.

§. VI. Ex pluribus clericis, qui nullis impedimentis detinentur, beneficium digniori conferri oportet; peccantque profecto grauiter collatores, qui posthabitis dignioribus dignos beneficiis augent. Espen. *par. II. sect. 3. tit. 14. cap. 2. edit. Neapol.* Sane quo digniores sunt pastores &

bene-

beneficiarii, eo melius ecclesia adminiſtratur, & in virtutibus proficit: quae ratio etiam locum habet in ſimplicibus beneficiis. Ille vero dignior cenſetur, qui prae aliis ſecundum praeſentem rerum ſtatum eccleſiae vtilior eſſe valeat. S. Thom. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. Quod ſi iure decretalium ratae ſint collationes dignis factae, & collatores poenis tum ſubiiciantur, ſi indignos beneficiis auxerint, aut elegerint, *cap.*19. *ex. de praebendis*, *cap.*7. *de electione in* 6.; id quidem ſpectat forum externum ad euitandas lites, at in foro interno procul dubio peccant, qui minus dignos praeferunt. V. Thomaſſ. *de veteri & noua eccleſ. diſcipl. par. II. lib.* 1. *cap.* 40.

§. VII. Verum quidem eſt, iure decretalium non reſcindi collationes beneficiorum dignis factas; at quod ſpectat ad parochias, expreſſa lege collatores Tridentina ſynodus adſtrinxit, vt eas dignioribus conferant. Et quo melius dignior innoteſcat, ſollemni examine, quod *concurſum* vocant, paroecias omnes, etſi reſeruatas vel adfectas, dandas edixit, niſi admodum exigui reditus ſint, aut nemo ſit, qui examini ſe ſiſtat, aut in locis ſint apertae factiones, quae in tumultus euaderent; quibus caſibus conceſſum epiſcopo priuatum examen inſtituere. Inſtituere debent examen epiſcopus ipſe, aut, eo impedito, vicarius generalis, & examinatores ſynodales ſaltem tres: qui doctrinam, mores, vitam candidatorum explorent, & inde renuntient quotquot idoneos iudicauerint, ex quibus iudicio epiſcopi ſeligendus dignior, eique ab eo, cuius eſt conferre, paroecia danda eſt. Quod ſi paroecia ſit iuris patronatus eccleſiaſtici, & inſtitutio ad epiſcopum pertineat, patronus ex probatis digniorem ei ſiſtere tenetur: ſi vero alterius ſit inſtitutio, epiſcopus digniorem deſignabit, quem patronus collatori praeſentet. Sed ſi patronatus ſit laicus, a patrono oblatus examini ſubiiciendus, qui ſi idoneus reperiatur, admittendus eſt. Trident. *ſeſ. XXIV. de ref. cap.* 18.

§. VIII. Haec eſt forma conferendi parochias, quam Tridentina ſynodus propoſuit, quae etiam iudicio epiſcopi ſeligentis ſtandum praecipit, nec appellationem admittit. Inde Pius v. bulla *in conferendis*, ſacra congregatio concilii Clementis XI. iuſſu, & nouiſſime Benedictus XIV.

bulla *cum illud LXVIII.* exactiorem formam examini instituendo proposuerunt, multa innouarunt, dederuntque etiam facultatem ab irrationabili examinatorum & episcopi iudicio prouocandi, non impedita tamen exsecutione electionis ab antistite factae. Verum Pii constitutio, quod iura patronorum deminueret, & in collationibus deuolutis ad sedem apostolicam, vel deuoluendis vi eiusdem constitutionis sollemne examen remitteret, nec alibi, nec apud nos recepta est. Quin nec apud nos amplius admittuntur collationes in forma *dignum*, vt dicitur, quibus summus pontifex resignatas in fauorem paroecias remisso sollemni examine conferre solet.

CAPVT XLVI.

De coniungendis ecclesiis & beneficiis.

§. I. Coniunctio ecclesiarum & beneficiorum, quae communiter *vnio* dici solet, est duarum pluriumue ecclesiarum seu beneficiorum legitima auctoritate ex iusta caussa facta coadunatio. Quae quidem coniunctio tribus modis fieri consueuit: confusione, si duae pluresue ecclesiae, seu beneficia in vnum veluti corpus coalescant, & inde vna ecclesia, vnumue beneficium fiat: subiectione, si singulae proprium coetum retineant, sed altera principalis euadat, cui altera tamquam filia & fundus accedat: & demum aeque principaliter, si neutra ecclesia alteri subiiciatur, sed ambabus suum titulum gradumque retinentibus idem minister praeficiatur: qua ratione cathedrales praesertim adunari consueuerunt. Quacumque vero ratione vniantur ecclesiae, seu beneficia, coniunctiones solent esse perpetuae, vt scilicet durante caussa non reuocentur.

§. II. Cuiuscumque autem generis ecclesiae & beneficia coniungantur, id superioris ecclesiastici legitima auctoritate fieri debet. Et summus quidem pontifex ampla donatur potestate ecclesias & beneficia omnia coniungendi;

di; praesertim vero ei reseruata est ecclesiarum cathedralium coniunctio, quod ius in noua disciplina receptum est, *cap.8. ex. de excessib. praelatorum;* etenim secundum antiquos canones episcopatuum adunatio (vt & eorum sectio, & nouae cathedrae institutio) a metropolitano & synodo prouinciae decernebatur. Fleuryus *disc. IV. in histor. ecclesiast. n.4.* Sed episcopi adunant ecclesias & beneficia suae dioecesis, *cap. 8. ex. de excessib. praelatorum:* quo iure vtitur etiam capitulum sede vacante, modo iuri episcopali non derogetur: atque ita nequit adunare beneficia, quae ad liberam solius episcopi collationem pertinent. Inferiores vero antistites, licet ordinaria iurisdictione aucti, ecclesias & beneficia sibi subiecta nequeunt adunare, nisi praescriptione longaeua talem iurisdictionem sibi quaesiuerint. V. Gonzalez *in cit. cap.* 8.

§. III. Interim coniunctio ecclesiarum & beneficiorum non pro arbitrio superioris ecclesiastici fieri potest, sed ex caussis legitimis, quae sunt euidens ecclesiae necessitas, aut vtilitas, *cap.* 33. *ex. de praebendis*, puta quod duae ecclesiae sint adeo pauperes, vt ad victum duorum presbyterorum non sufficiant, aut ecclesiae belli vel temporis iniuria desolatae sint, aut si deminutus sit fidelium numerus, *can.* 48. *C.* 16. *q.* 1., aut si reditus necessarii sint ad adolescentes in seminariis educandos, aut alias ad Dei cultum sustinendum. Trident. *sess. XXIII. de ref. cap.*18. & *sess.XXIV. de ref. cap.* 15. Quin nec ex omni caussa promiscue omnes ecclesias coniungere licet; nam ad vniendas paroecias maior caussa adesse debet. Quod si ex nulla iusta caussa coniunctio fiat, ea, veluti peruertens ecclesiarum statum, rescindenda est. Et hinc statuit Tridentina synodus *sess. VII. de ref. cap. 6.*, ab episcopis expendi coniunctiones perpetuas beneficiorum a quadraginta annis factas, rescindique quas non ex probatis caussis factas apparuerit: at hoc decretum, saltem quod spectat ad beneficia adnexa ecclesiis laici patronatus, apud nos receptum non est.

§. IV. Verum non omnia beneficia sine delectu aliis ecclesiis seu beneficiis coniungere licet. Sane non licet episcopis ecclesias mensae suae vel capituli adnectere, *Clement.* 2. *de rebus ecclesiae non alienandis*. Item vnius

 dioe-

dioecesis beneficia alterius dioecesis beneficiis non coniunguntur, Trident. *ses. XIV. de ref. cap.* 9., & seminariis & canonicatibus exigui reditus tantum beneficia simplicia saecularia vnire fas est. Trident. *ses. XXIII. de ref. cap.* 18. & *ses. XXIV. de ref. cap.* 15. Item non permittit synodus Tridentina paroecias coniungi monasteriis, dignitatibus, praebendis canonicalibus, vel aliis simplicibus beneficiis & hospitalibus, *ses. XXIV. de ref. cap.* 13.; nec porro sinit, beneficia liberae collationis adnecti paroeciis, seu aliis iuris patronatus beneficiis, ita vt adnexa beneficia etiam iuris patronatus fiant, additque, a quadraginta annis huius generis peractas coniunctiones ad examen renocari, *ses. XXV. de ref. cap.* 9. Sed hoc decretum, vtpote deminuens iura patronorum, apud nos receptum non est.

§. V. Quo autem constet de legitimis caussis, ecclesiarum coniunctiones sub certo ritu & forma faciendae sunt. Principio vocandi sunt omnes, qnorum interest, veluti beneficiorum possessores & populus eius ecclesiae, quae coniungenda est, item patroni, siue laici, siue ecclesiastici, sine quorum consensu beneficia iuris patronatus, praesertim laici, coniungere non licet. V. Turricellium *de vnionib.cap.IX.* Vocatis autem omnibus, quorum interest, episcopus cum consilio & adsensu capituli coniunctionem decernit, *cap.* 1. *& seqq. de his, quae fiunt a prael. sine consensu capituli*, Trident. *ses. XXIV. de ref. cap.* 15. Nec beneficia ad inferiores antistites spectantia possunt episcopi coniungere, nisi ex consensu praelati inferioris, cui ea subsunt. *Clement.*1. *de statu monach.*

§. VI. Iam mediis saeculis paroeciae multae monasteriis aut collegiis canonicorum, aut simplicibus beneficiis adnexae sunt, & quidem ferme saluo ecclesiarum statu per subiectionem, nempe vt reditus omnes monasteriis aut canonicis cederent, paroeciae vero saluae remanerent (*a*). Quod

(a) Sane multi laicorum a se iure feudi possessas ecclesias monachis & canonicis ex consensu episcopi cesserunt, quae monasteriis & capitulis adnexae sunt. Nimirum saeculo decimo & sequentibus ob malos mores clerici saeculares odio erant: contra

Quod vero in paroeciis, quae monasteriis, capitulis, alteriue beneficio adnexae fuerant, cura animarum exerceri debebat; coeperunt monachi & canonici *ecclesiam* ab *altari* distinguere. Dicebant *ecclesiam* bona omnia temporalia & reditus; *altare* vero sacramentorum administrationem & curam spiritualem. Hac inducta distinctione, qui paroecias vnitas tenebant, reditus sibi reseruarunt, altare vero presbyteris, qui *vicarii*, & in Gallia *personae* dicebantur *can.* 4. C. 1. *q.* 3., committebant. Sed semper ac nouus presbyter altari praeficiendus erat, aliquid pecuniae episcopis pendebatur: quae pensitatio *redemtio altarium* dicebatur (*b*): itemque soluebatur episcopo annuus census, vt inde de iure episcopali in paroecias vnitas constaret. Quoniam vero redemtionibus altarium ipsa animarum cura vendi videbatur, synodus Claromontana sub Vrbano II. eas tamquam simoniacas explosit; sed saluum annuum censum reliquit, *cit. can.* 4. V. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. III. lib.* 1. *cap.* 10.

§. VII. Presbyteri, qui a monachis & canonicis ad regendas ecclesias vnitas episcopis sistebantur, vbi adsumti erant, pro arbitrio patronorum videntur eiici potuisse: qua ratione non bene curae animarum consulebatur. Quid enim boni sperare licebat a frequenti vicariorum mutatione & a conductitiis presbyteris, qui non iusta sustentatione saepe contenti, plus aequo patronis erant addicti? Hinc saeculo decimo tertio multis canonibus & pon-

tra in nouis rei monasticae & canonicae vitae reparationibus monachi & canonici sanctitatis laude inclarescebant. Christ. Lupus *schol. in conc. V. Gregorii VII. can.* 9. Hinc laici nefarium reputantes a se iure feudi paroecias possideri, eas potius monachis & canonicis, quam clericis saecularibus cedere voluerunt. Item mediis saeculis ipsi episcopi & summi pontifices ecclesias multas monachis & canonicis addixerunt ad instaurationem monasticae & canonicae vitae promouendam.

(b) Redemtio altarium ex iure feudali videtur inualuisse, quod Petrus de Marca *in can. VII. conc. Claromontani* obseruat: iure enim feudali receptum erat, vt quoties nouus vasallus feudo donabatur, certam pecuniae quantitatem domino penderet.

tificum rescriptis statutum, vt in ecclesiis, quae monasteriis & canonicis coniunctae erant, perpetui vicarii instituerentur, *cap.* 30. *ex. de praebendis*: quam disciplinam Tridentini patres *sess. VII. de ref. cap.* 7. confirmarunt. Itaque vicarii euaserunt veri beneficiarii, vtpote qui iure proprio & perpetuo curam animarum acceperunt, tantumque nominis sono a parochis distant. Qua recepta disciplina abbates, canonici aliique, qui ecclesias sic vnitas possident, pastores non re, sed nomine sunt, & tandem dicti sunt *pastores primitiui*: quo verbo tantum significatur, ecclesias in temporalibus vnitas esse, sed spiritualem curam in vicarios perpetuos deuolutam. Interim perpetui vicarii a monasteriis & capitulis nominantur, at ab episcopis, quibus curae spiritualis reddere rationem debent, instituuntur.

§. VIII. Iam vbi reditus integri ecclesiarum vnitarum cedebant monachis, aut canonicis, seu alii beneficiario, iure verendum erat, ne perpetui vicarii fame perirent, si eorum sustentatio arbitrio monachorum & canonicorum relinqueretur. Hinc merito variis canonibus cautum, vt ex reditibus ecclesiae vnitae certa redituum quantitas adsignaretur, quae alendo vicario & curae parochiali sustinendae sufficeret, *cap.* 30. *ex. de praebendis*; qua portione non adsignata vetantur episcopi a monachis nominatos instituere, *cap.* 12. *ex. eod.* Atque haec est portio *congrua*, quae alias *sufficiens*, *competens* & *competentia pastoralis* dicta est. Tantum vero adsignari debet in congruam; *quod rectoris & parochiae necessitati decenter sufficiat*, inquiunt Tridentini patres *sess. XXIV. de ref. cap.* 13.

§. IX. Coniunctioni ecclesiarum & beneficiorum opponitur earumdem dissociatio, qua vna ecclesia vnumue beneficium in duo abeunt. Diuisio ecclesiarum generaliter vetita est, *cap.* 8. & 36. *ex. de praebendis*, valetque regula, *vt ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur*. Sed ex ecclesiae vtilitate, aut necessitate recte vna ecclesia in duas diuidetur, *cap.* 26. *ex. eodem*, & quidem eiusdem auctoritate, a quo coniunctio decernitur, iisque, quorum interest, auditis. Immo si coniunctio facta sit ob certam caussam, puta belli, aut paupertatis, tunc si

caussa

caussa cesset, etiam coniunctio cessabit, Rebuf. *in praxi tit. de vnion. reuocatione*; dissociatio enim ecclesiarum favorabilis censetur. Ceterum per dissociationem beneficiis in pristinum statum restitutis, collatio aut praesentatio ad illum spectabit, cuius antea fuerat, nisi in coniunctione collator aut patronus aperte suo iuri renuntiauerit.

CAPVT XLVII.

De renuntiandis & permutandis beneficiis.

§. I. Renuntiatio beneficii, quae alias *resignatio* dicitur, est spontanea dimissio ecclesiastici officii, quae ex caussa ab ecclesiastico superiore probatur & admittitur. Est vero triplex, simplex seu pura, si absque vlla conditione beneficium apud superiorem eiuremus; in fauorem, si deponamus beneficium sub ea conditione, vt alicui certae personae conferatur; & demum ex caussa permutationis, si duo eiurent quidem sua beneficia, at eo pacto, vt alteri alterius beneficium a superiore conferatur. Verum stilo curiae dimissio simplex & pura *renuntiatio* dicitur, at si fiat in fauorem, *resignatio*.

§. II. Simplex beneficii renuntiatio sacris canonibus probatur, modo sponte & ex iusta caussa fiat, & sacra antistitis auctoritate probetur, *cap.4. ex. de renuntiatione.* Renuntiationes beneficiorum a tempore Alexandri III. frequentiores euaserunt: nec in libris decretalium alterius antiquioris pontificis reperiuntur rescripta, quae de iis agant, quod Franc. de Roye *instit. iuris can. lib. II. cap.* 18. obseruat: antiquitus enim beneficia adhaerebant ordinationi, atque ideo clerici potius sacro ministerio, quam beneficiis renuntiabant.

§. III. Permutationes beneficiorum antiquis patribus ignotae, separatis ab ordinatione beneficiis excogitatae sunt. Sed eas statim inuentas ecclesia damnauit, *cap.* 8. *ex. de praebendis*, *cap.*5. *ex. de rerum permutatione*. Quid enim turpius, quam vt beneficiarii de sacris officiis paci-

ſcantur, & ea veluti in commercium adducant? Quod vero non vetabatur epiſcopus mutuo transferre beneficiarios in eas eccleſias, in quibus fidelium vtilitati impenſius feliciuſque ſeruirent *cit. cap.*5., ſenſim receptum eſt, vt beneficia ex cauſſa permutationis dimiſſa non aliis, quam permutare volentibus conferri liceret, *cap. vn. de rerum permutatione in* 6., *Clement. vn. eodem*. Hinc coeperunt beneficiarii de permutandis beneficiis inter ſe paciſci, & pacta conuenta in ſcripturam redigere, demum epiſcopum adire: qui degeneres mores ex facilitate epiſcoporum inualuerunt. Interim ſi epiſcopi beneficiarios de permutatione beneficiorum pactos duxerint mutuo transferre, potius eccleſiarum, quam permutantium vtilitatem ſpectare debent; nam iure canonico pacta de permutandis beneficiis non probantur.

§. IV. Item reſignatio beneficii in fauorem naturae ſacrorum officiorum aduerſatur; officia enim eccleſiaſtica eius generis non ſunt, vt clerici de iis pro arbitrio diſponere valeant. Conc. Antioch. *can. XXIII.* Sed demum initio ſaeculi decimi ſexti coeperunt beneficiarii eccleſias & beneficia veluti ex pacto & ſub certo modo reſignare, vt certo alicui clerico darentur. Eſpen. *par. II. ſect.* 3. *tit.* 10. *cap.* 1. *edit. Neapol.* Quae quidem reſignationes, vtpote ex pacto conceptae, turpes habentur, vetitum eſt enim de rebus ſpiritualibus paciſci, *cap.*5. *ex. de rerum permutatione*: ſaepe etiam beneficia reſignantur conſanguineis, tantum vt lautius viuant, aut ſi extraneis, id ex quaeſtu fieri ſolet: & demum reſignatis beneficiis in fauorem dignioribus aditus occluditur. Interim ſacris canonibus inuitis eiuſmodi reſignationes frequentiores euaſerunt, praeſertim in canonicorum praebendis, idque ob pontificis auctoritatem, qua conceduntur, quaque ab omni vitio elui creditum eſt.

§. V. Iam non ſine iuſta & probabili cauſſa, quae in eccleſiae vtilitatem cedat, eiurari oportet beneficia; per beneficium enim clerici certae eccleſiae adſcribuntur, quod vinculum ſine iuſta cauſſa ſoluere non licet. At iamdiu inualuit, vt cuique quodammodo liberum eſſet, non tantum ſuum beneficium ſimpliciter eiurare; verum etiam illud in alterius fauorem reſignare, aut cum alio

bene-

beneficio permutare: idque ferme fine vlla cauffa, praefertim fi agatur de beneficiis, quibus nulla cura animarum adnexa eft. Qui degeneres mores videntur inualuiffe ex facilitate epifcoporum in admittendis etiam fine vllis cauffis renuntiationibus, quod ipfis gratum effet novis collationibus alios clericos beneficiis augere. Et quamvis Pius V. in bulla *quanta ecclefiae LVIII.* tantum ex certis cauffis renuntiationes beneficiorum ab ordinariis antiftitibus admitti decreuerit; tamen decretalis ifta in multis locis recepta non eft.

§. VI. Item vt renuntiatio beneficii recte fiat, interponenda eft fuperioris auctoritas, qui cauffam expendat, & vinculum, quo renuntians cum ecclefia fua adftringitur, foluat. Superior ifte, fi epifcopus, aut alius ab iurifdictione epifcopali exemtus, velit munus eiurare, iure decretalium eft fummus pontifex, *cap.* 2. *& feqq. ex. de translat. epifcopi* & *cap.* 15. *ex. de renuntiatione;* epifcopus vero vbi inferiores beneficiarii fuis beneficiis renuntiant, *cap.* 4. *ex. eodem*. Ceterum ex facilitate epifcoporum in admittendis renuntiationibus inualuit, vt fimplices renuntiationes etiam coram ordinariis collatoribus recte fiant: immo inferiores praelati iure admittunt ex cauffa permutationis refignationes, modo adfiduis moribus id ius fibi quaefiuerint. At renuntiationes in fauorem tantum pontificis auctoritate fiunt: cuius referuationis ea ratio vulgo adfignatur, vt pontificia auctoritate eluatur labes fimoniaca, qua illae infectae funt (*a*). Et vbi epifcopus permutationes beneficiorum iuris patronatus decernit, audire debet patronos, qui fi laici fint, debent etiam confentire.

§. VII. Quifquis vero beneficium ecclefiafticum habet,

(a) Multum quidem haec ratio videtur contuliffe, vt refignationes in fauorem foli pontifici referuarentur; at vera non eft fententia, quae habet, fimoniam in his refignationibus auctoritate pontificis elui poffe: etenim quae pacta res fpirituales in commercium adducunt, natura fua turpia funt, nullius auctoritate purganda. V. Efpen. *par. II. fect.* 3. *tit.* 10. *cap.* 2. *edit. Neapol.*

bet, si iusta probabilique caussa ducatur, illud potest renuntiare, etiamsi beneficiarius criminis accusatus, immo etiam si damnatus sit, modo a sententia aduersus se lata appellauerit. V. Flamin. Paris. *de resignat. benef. lib. IX. q. 16.* Sed impubes si beneficio aliquo auctus sit, illud propter consilii infirmitatem eiurare posse non videtur: contra aetate minor etiam sine curatore renuntiare non vetatur, modo fraus omnis absit, minores enim in spiritualibus pro maioribus habentur, *cap. fin. ex. de iudiciis in 6.* Porro si quis ad sacros ordines beneficii titulo promotus sit, illud vetatur eiurare, nisi eiusmodi promotio exprimatur, & praeterea constet, renuntianti aliunde satis esse ad vitam sustinendam. Trident. *sess. XXI. de ref. cap. 2.* Eiurari vero debet beneficium vel ab ipso beneficiario praesente, vel ab alio, quem ille eius rei gratia specialem procuratorem constituerit.

§. VIII. Iam si quis infirmus resignet beneficium, siue simpliciter, siue ex caussa permutationis, siue in favorem, & intra viginti dies a die praestiti per ipsum resignantem consensus ex ea infirmitate moriatur, collatio vi resignationis facta nulla est, & beneficium morte vacare censetur, vt habet reg. xx. ante xix. cancellariae *de infirmis resignantibus*, quae locum habet etiam in resignationibus, quae coram antistite ordinario fiunt: itemque si resignatio in infirmitate fiat, sed vi supplicationis in bona valetudine signatae, quod a Clemente VIII. additum videtur. Espen. *par. II. sect. 3. tit. 10. cap. 5.* Prodiit haec regula ad euitandas beneficiariorum artes & nundinationes, qui dum sibi mortem instare animaduertebant, beneficia sua infirmi resignabant (*b*).

§ IX.

(b) Ex regula de infirmis resignantibus alia regula cancellariae *de publicandis resignationibus* originem habuisse videtur, quae habet, resignationes in loco beneficiorum debere publicari, & nouos beneficiarios possessionem petere, idque intra sex menses a die datae supplicationis, si resignationes Romae, intra mensem, si alibi factae sint; beneficia vero vacare per obitum, si resignantes post statuta tempora in possessione decesserint; & collationes illorum, tamquam resignatione vacantium factas,

& omnia

§. IX. Per superiorem admissa & iure impleta renuntiatione, ius renuntiantis ad beneficium prorsus extinguitur, illudque in nouum beneficiarium facta collatione transmittitur: & hinc qui beneficium eiurauit, illud amplius repetere vetatur, *cap.* 3. 5. & 6. *ex. de renuntiatione*, Trident. *sess. XXV. de ref. cap.* 7. Verum in renuntiatione ex caussa permutationis si ex vna parte collatio facta sit, tum alter praemoriatur; & in resignatione in fauorem si illi, cuius caussa eiuratum est, beneficium non conferatur, licet renuntiantibus sua beneficia repetere. Huiusmodi enim renuntiationes sub conditione, seu potius sub certo modo conceptae sunt, atque ideo modo non impleto resoluuntur. V. Flamin. Paris. *de resignat. benef. lib. I. q.* 2. & 3. Quin locus est regressui, etiam vbi vtrimque perfecta permutatione, ex interuallo alterius beneficium ex defectu iuris permutantis euincatur, vel litigiosum aut fictum appareat: quippe quod collatio sub certo modo facta etiam ex interuallo resoluitur. Interim vbi locum habet regressus, ex multorum sententia moribus probata sine noua collatione regrediens repetit beneficium, modo alteri vim non inferat, sed legitima auctoritate apprehendat possessionem. V. Espen. *loc. cit. cap.* 7.

CA-

& omnia deinceps acta nullius momenti esse. Vbique ferme obtinuit regula ista vsque ad Gregorium XIII. qui edita bulla *humano vix iudicio. LXXXV.* nouam beneficii resignati publicationis formam constituit, contra quam factas resignationes irritas declarauit, & beneficia ipso iure vacantia pontificiae collationi addixit. Hinc regula de publicandis resignationibus Romae neglecta est, nec inter regulas cancellariae deinceps relata. In multis prouinciis Gregorii bulla recepta non est, at apud nos admissa, nisi in eo, quod collationi pontificiae reseruabat etiam laici patronatus beneficia, quae ob omissam Gregorianam publicationem vacabant.

CAPVT XLVIII.

De pensionibus ecclesiasticis.

§. I. PEnsio in re canonica est quaedam beneficii delibatio, qua ex eo, quod totum beneficiarii foret, pars aliqua decerpitur, & alteri clerico ex iusta caussa adsignatur. Sunt vero pensionum duae potissimum species, aliae decerpuntur a beneficiis, & dantur clericis, qui vel tamquam perpetui vicarii ecclesiae deseruiunt, vel ecclesiae in subsidium addicuntur; aliae vero absque vllo onere clericis non deseruientibus conceduntur: de qua postrema pensionum specie hic agendum est (*a*).

§. II. Pensiones tantum eleemosynae titulo constitui possunt clericis, qui ecclesiae non deseruiunt: tantum enim ratione seruitii, aut ratione paupertatis licet de altari viuere. Hanc esse pensionum naturam contestati sunt sapientes illi theologi a Paulo III. de reformanda ecclesiae disciplina percontati, *nulla alia de caussa nulloque alio iure pensiones constitui possunt, nisi vt quaedam eleemosynae, quae in pios vsus indigentibus concedi possunt.*

§.III.

(a) Vsus pensionum in ecclesia satis antiquus est; patres enim aequitati conuenire iudicarunt, vt clericis pauperibus, qui ex iusta caussa ecclesiae suae non deseruirent, de bonis ecclesiasticis alimenta praeberentur. Conc. Ephesin. *act. VII. epist. ad synodum Pamphyliae*, Chalced. *act. X. XII. & XIV.* Pensiones autem istae, vbi adhuc reditus ecclesiastici in vnam arcam confluebant, admodum rarae videntur fuisse; singuli enim clerici ab ecclesia sua accipiebant victualia, ac proinde raro contingebat, vt clericus non deseruiret, & pensione aliqua augeretur. Sed institutis beneficiis euaserunt frequentiores; ea enim facta institutione multi clerici sine beneficiis creati sunt, exortique multi, qui ex reditibus ecclesiae sine vllo labore viuere in deliciis habuere.

§. III. Verum quum facilis sit ab iusto ad iniquum transitus, vbi beneficia instituta sunt, pensiones a primigenia natura degenerarunt & aliam veluti formam induerunt. Sane pluralitas beneficiorum toties sacris canonicis excisa degeneribus pensionibus ferme aut retenta, aut restituta est, saltem vt profani clerici (quod appetebant vnum) ampliores reditus adquirerent: qui enim beneficium habent, iure ex alienis beneficiis pensiones percipere posse credunt. Clericis quoque diuitibus pensiones constitutae, & quidem ea vbertate, vt integros paene reditus absumerent: & hinc beneficiariis alimenta subtracta, pauperibus nihil relictum, sacra supellex vilis & neglecta, sacrae aedes collapsae. Itaque innaluit sententia, pensiones esse odiosas, & sacris canonibus aduersas, idque in tanto earum abusu verum est; nam si pensiones in sua origine spectentur, nihil habent a canonum doctrina alienum.

§. IV. Iam pensiones ex iusta caussa constitui possunt, veluti si quis clericus de ecclesia sua benemeritus, aut inops sit, aut mala valetudine laboret. Moribus receptis ex caussa pacis conciliandae, veluti si beneficium litigiosum sit, ex caussa renuntiationis siue purae, siue in fauorem, & ex caussa permutationis beneficiorum vt plurimum pensiones decerpuntur. Nec dubium est, ex his caussis recte pensionem constitui, modo superioris auctoritate, non partium conuentione procedat, negotium omne ex ecclesiae vtilitate suscipiatur, & clerici, quibus adsignatur, pauperes sint. At vt habent recepti mores, pensiones ex his caussis fere nefariae sunt, & hominum profanorum praedae res pauperum obiiciunt. V. Espen. *par. II. sect. 3. tit. 11. cap. 3. edit. Neapol.* Sane dum beneficium litigiosum est, saepe ex pacto litigantium pensio procedit: idque transactionis species est, quae in rebus spiritualibus nefaria censetur, *cap. 7. ex. de transactionibus*. Porro nullo iure nititur pensio, quam alter deposcit tantum, quod in fauorem eiurat beneficium: & si resignat tantum, vt onere se eximat, & fructus colligat, (quod saepe fieri solet) quid aliud hoc est, quam reditus sacros diripere? Et quae imponuntur pensiones in permutandis beneficiis, vt eorum inaequales prouentus

tus ad aequalitatem reducantur, sacra officia, tamquam si essent res profanae, in commercium adducunt.

§. V. Nec tantum ex iusta caussa, verum etiam superioris auctoritate pensiones decerni debent. Et olim quidem reditibus ecclesiae in vnam arcam confluentibus, episcopi pro iure suo decerpebant pensiones, portiones nempe communis aerarii non seruientibus clericis in eleemosynam adsignatas. At institutis beneficiis, quibus proprii reditus perpetuo cesserunt, sensim ad vnum pontificem deuoluta est pensionum decerpendarum potestas: idque ea ratione, quod in earum concessione deberent canones relaxari, qui beneficia scindi vetant, *cap.*8. *ex. de praebendis*, aut iis ab episcopo onus imponi, *cap.* 7. *ex. de censibus.* Non desunt tamen interpretes, qui docent, etiam episcopis ius esse pensiones imponendi. Garcias *de benef. par. I. cap.*5. §. 2. At vbi episcopi pensiones concedunt, ex receptiore sententia distat inter pensionem ab episcopo & a pontifice impositam: haec enim ipsi beneficio imposita censetur, ac veluti species seruitutis ecclesiasticis regulis aduersa reputatur; illa vero tantum beneficiarium adficere creditur, cuius morte extinguitur.

§. VI. Quantitas pensionis moderata esse debet, vt integra beneficiario supersit sustentatio, & praeterea talis reditus, qui beneficii oneribus sufficiat. Et profecto naturae huius vectigalis aduersatur, vt integri fructus pensionibus absumantur. Hinc statuerunt Tridentini patres *ses. XXIV. de ref. cap.*13. ne pensionibus onerari possent cathedrales ecclesiae, quae mille ducatos annuos, & parochiales, quae centum suis fructibus non superent. Receptum quoque est, vt si resignetur canonicatus, aut similis dignitas, pensio non delibetur, nisi reditus sint vltra centum ducatos. Flamis. Paris. *de resignat. benef. lib.VI. q.* 2. Et in beneficiis, ex quibus pensiones decerpere licet, sola dimidia aut tertia fructuum pars plerumque a pontifice solet reseruari, teste Fagnano. Quaecumque vero pars decerpatur, in pecunia, non in fructibus constituenda est, idque vt euitentur discordiae, quae ex fructuum communione oriri solent.

§. VII. Pensiones autem beneficia proprie sic dicta non censentur, quod Duarenus *de sacr. ministeriis lib.VI.* *cap.*4.

cap. 4. post alios recte obseruat; nec enim propter aliquod sacrum ministerium constitui solent. Hinc mortuo creditore non dicuntur vacare, vt impetrari, sicut aliquod beneficium, possint; sed velut vsusfructus extinguuntur. Remittuntur etiam absque vlla antistitis venia; at beneficium, nisi superioris auctoritas accedat, non recte eiuratur. Quamuis vero pensio beneficium non sit, est tamen beneficii loco, praesertim si eleemosynae modum excedat. Et profecto Sixtus v. voluit, vt tantum clerici pensionibus augeri possint, qui eo reditu aucti ex Pii v. bulla *ex proximo* quotidie officium B. Mariae virginis debent recitare. Nec videtur dubitandum, debere clericos pensionibus auctos ecclesiae generalis commodis adlaborare, & saltem ecclesiae, cui eos addixit ordinatio, deseruire. Ignauos fucos quî alet ecclesia?

§. VIII. Iam pensiones a pontifice constitutae inhaerent beneficio; illudque comitantur ad quamcumque personam transeat. Interim pensio extinguitur morte creditoris, degradatione, crimine haeresis, aut laesae maiestatis, percussione cuiusuis cardinalis, aut episcopi, in cuius dioecesi pensio constituta est, item matrimonio, religiosa professione, remissione, & interitu rei, cui pensio erat imposita. V. Caballut. *theor. & prax. iur. canon. lib. II. cap.* 14. *n.* 15. *seqq.* Porro extinguitur pensio redemtione, quae fit repraesentatis, seu in antecessum solutis aliquot annuis pensionum solutionibus, idque pontificis auctoritate (*a*). Nec tantum redimuntur pensiones, verum etiam in alterum transcribi possunt; modo transferendi potestas a pontifice facta sit. Hieronym. Gigas *de pensionib. quaest. XII.*

CA-

(a) Vulgo eo colore probantur pensionum redemtiones, quod repraesentatis istis solutionibus beneficia onere imposito liberantur. At qui cernunt acutum, nouum commercii genus redemtionibus saepe inesse non dubitant. Nam qui resignant in fauorem, saepe quaerunt clericos pecuniosos, qui statim reseruatas pensiones possint redimere. Quo casu redemtio pensionis a beneficii venditione vix aliquid distat.

CAPVT XLIX.

De peculio clericorum.

§. I. Bona clericorum duplicis generis sunt, priuata scilicet, seu patrimonialia, quae ex ciuilibus caussis adquiruntur, & profectitia, quae ex reditibus ecclesiasticis & sacro officio obueniunt. Et profectitia quidem peculii instar habentur, siue seruorum, siue profectitii filiorumfamilias; beneficiarii enim domini non sunt redituum ecclesiasticorum, sed nudam habent administrationem, quod superius *cap. XXXIV.* dictum est; & hinc quidquid ex reditibus ecclesiasticis clerici possident, *peculii* nomine dici potuit exemplo peculii seruorum & profectitii filiorumfamilias, cuius vsus & administratio penes seruum filiumue, dominium penes dominum patremve erat. Porro haec eadem profectitia clericorum bona post eorum mortem *spolia* dicta sunt: idque quod clerici exemplo monachorum ad mortem decumbentes, consueverunt rebus peculiaribus se vltro spoliare, ne ecclesia damnum vllum sentiret.

§. II. Quod spectat ad bona priuata seu patrimonialia, clerici sunt eorum domini, atque ideo de iis siue inter viuos, siue testamento statuere possunt, & si intestato moriantur, locus est legitimae successioni. *Can. apostol. XL.*, conc. Antioch. *can. XXIV.*, *L.* 42. §. 2. *C. de episc. & clericis*. Censentur autem bona priuata & patrimonialia, quae episcopus aut beneficiarius ante ordinationem ex quacumque caussa adquisierit, & quae post ordinationem non intuitu ecclesiae parauerit, *cit. L.* 42. §. 2., *can.* 2. *C.* 12. *q.* 3. Quod si clerici intestato decedant nullis relictis heredibus siue ciuili, siue honorario iure vocatis, eorum priuata bona ecclesiae, cui fuerant addicti, adscribebantur, *L.* 1. *C. Th. de bonis clericor.*

§. III. Verum enimuero de bonis profectitiis, hoc est intuitu ecclesiae quaesitis, clerici in veteri disciplina non

minus

minus iure ciuili, quam sacris canonibus testari vetabantur *can. XL. apostol.*, *cap. 7. & seq. ex. de testamentis*, *L.* 42. §. 2. *C. de episc. & clericis* (a): nec enim talium bonorum domini erant, sed meri procuratores.

§. IV. Quando igitur clerici domini non sunt rerum ecclesiasticarum, atque ideo vetiti sunt de rebus inde quaesitis testari; profecto spolia decedentium beneficiariorum iure peculii ad ecclesiam reuerti debent, *can. apost. XL.*, conc. Antioch. *can. XXIV.*, *L.* 42. §. 2. *C. de episc. & clericis*. Hinc synodus sexta oecumenica statuit, vt mortuo episcopo res eius aut ecclesiae, donec alius episcopus constituatur, clerus eiusdem ecclesiae custodiat, *can.* 48. *C.* 12. *q.* 2. Nomine ecclesiae, ad quam pertinebant spolia decedentium beneficiariorum, ante beneficiorum institutionem veniebat commune ecclesiae matris aerarium; at postea venire coepit ecclesia, in qua beneficium fundatum est. Hinc si canonicus aliquis decedat, capitulum spoliorum eius curam habere & canonicam tributionem facere debet, successor vero in beneficio eam curam habet, si parochus aut alius beneficiarius moriatur, *cap.* 12. *ex. de testamentis* (b).

(a) Principio tantum intestabiles facti videntur episcopi & administratores ecclesiarum & xenodochiorum, *can. XL. apostol.*, *L.* 42. §. 2. *C. de episc. & clericis*, non vero reliqui clerici, qui ex legibus Iustiniani de rebus quomodocumque quaesitis testari poterant, etsi essent sub patris potestate, tamquam si bona ista castrensis peculii instar essent, *nouel. CXXIII. cap.* 19. Nempe episcopi & rerum ecclesiasticarum procuratores facile ex pauperum patrimonio multa poterant comparare; sed reliqui clerici (vtpote qui quotidianis ad necessitatem sportulis viuerent) non adeo multum ex altari poterant adquirere, vt iis testamenti factio iure interdiceretur. Deinceps vero vbi beneficia instituta sunt, quibus vberes reditus perpetuo cesserunt, beneficiariis omnibus de rebus profectitiis testari interdictum est, *cap.* 1. *ex. de peculio clericorum*, *cap.* 7. *& seq. ex. de testamentis*.

(b) Spolia decedentium beneficiariorum veluti iure peculii ad ecclesiam pertinent; at antiquus morbus est, quo clerici statim ac episcopus animam efflauerat, ea diripere & inuadere consue-

§. V. Interim post instituta beneficia episcopi nonnulli aut adsiduis moribus, aut sedis apostolicae priuilegio spolia inferiorum beneficiariorum intestato decedentium, quae ad ecclesiam pertinebant, sibi coeperunt vindicare, *cap.* 18. *ex. de verb. signific., cap. vlt. de officio ordinarii in 6.* Abbates quoque quidquid a prioribus sibi subiectis congestum fuerat, post eorum mortem saepe occupabant. Nec sane eiusmodi consuetudines, aut priuilegia a natura rerum ecclesiasticarum abhorrebant, modo episcopi in vsus canonicos accepta spolia tribuerent. Summi rerum ecclesiae procuratores erant episcopi, & quidquid inferioribus beneficiariis cessit, id veluti precario datum videbatur. Quod si beneficiarius decedens, voluntatem suam quomodocumque declaret, cui pio vsui impendi velit, quae ipse relinquet, spolia, cessat episcopi priuilegium, vt de bonis illis disponat, *cap.* 13. *ex. de testamentis.*

§. VI. Quod vero mirum videri debet, labentibus annis in multis ecclesiis sensim inualuit, vt beneficiarii etiam de rebus ab ecclesia profectis testarentur: idque primum locum habuit in mobilibus, & quidem ea moderatione, vt posset beneficiarius pauperibus, aut aliis, qui viuenti seruierant, aut religiosis locis aliquid relinquere *cap.* 12. *ex. de testamentis;* tum receptus mos sensim conualuit & aliam formam induit, qua liceret clericis & mobilia & immobilia occasione ecclesiae quaesita etiam

non

---

verint. Hinc synodus Chalcedonensis *can. XXII.* depositionem intentauit clericis, qui tale facinus auderent. Sed semel vsurpatae direptiones inde a clericis continuatae, & eorum fortasse exemplo deinceps laici, praesertim duces & comites, spolia episcoporum & parochorum, vt & bona ecclesiarum vacantium, inuaserunt. V. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. III. lib.* 2. *cap.* 54. Ergo synodus Lateranensis sub Innocentio II. canonem Chalcedonensem renouauit, damnauitque consuetas spoliorum episcopalium direptiones, *can.* 47. C. 12. *q.* 2. Et summi imperantes in diem crescentibus spoliorum & bonorum ecclesiae direptionibus, quae sede vacante contingebant, ecclesiarum vacantium custodiam sibi vindicarunt, qua de re superius dictum est *cap. XXXV.* §. 5.

non pauperibus testamento relinquere: qui mos saeculo decimo quinto & in Gallia & Hispania obtinebat. Non parum his moribus inducendis contulit testandi venia ab episcopis & pontifice saepe beneficiariis concessa, & difficultas patrimonialia a profectitiis discernendi. Spectabat vero haec testandi facultas praesertim beneficiarios, nam episcopi fermé antiquae disciplinae suberant, nisi indulgentia speciali sedis apostolicae testamenti factio concederetur. Quin ex generali regni Galliae consuetudine beneficiariis intestato decedentibus heredes legitimi etiam in bonis ab ecclesia profectis succedunt. Broudaeus *not. ad Louetium*.

§. VII. Sed tandem in spolia beneficiariorum manus iniecerunt Romani pontifices, eaque fisco pontificio cedere iusserunt: idque contigit sede apostolica Auenionem translata, & praesertim schismatis deinceps secuti tempore, vt pontifices satis pecuniarum ad se tuendos & partes suas sustinendas corraderent, cessitque res ex voto pontificum, nullo ferme aduersante. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. III. lib. 2. cap.* 57 Hinc missi in multas prouincias exactores, *collectores* dicti, qui beneficiariorum spolia colligerent, & fisco pontificio inferrent: restituta vero ecclesiae vnitate semel receptae exactiones in plerisque locis continuarunt. Et quo quaestus vberior esset, Pius IV. irrita pronuntiauit testamenta praelatorum & beneficiariorum, qui de bonis profectitiis testarentur, nisi papa, cuius erant haec spolia, permittente. Item idem pontifex edita bulla *decens esse* spolio contineri voluit etiam bona, quae sibi clerici negotio, vel alio illicito quaestu parassent, quod supra modum fisco pontificio profuit.

§ VIII. Nouitates istae, quibus spolia decedentium beneficiariorum in fiscum pontificium deuoluebantur, in multis christianis prouinciis receptae sunt: in Gallia initio etiam admissae, sed inde constanter reiectae. Apud nos sub regibus Andegauis pontifices spolia decedentium beneficiariorum occuparunt, sub Aragonensibus restituta est ecclesiae disciplina, regno collectoribus eiectis; at sub Austriacis iterum spolia in fiscum pontificium illata. Initio tamen beneficia regiae collationis a spoliis pontificiis

ſubtracta ſunt: tum litteris Caroli olim regis noſtri etiam beneficia omnia iuris patronatus regii & feudalis, & beneficia, quae redituum triginta ducatorum auri de camera non excedunt, exemta ſunt.

§ IX. Spoliis epiſcoporum & beneficiariorum ad fiſcum pontificium deuolutis, eccleſia non minus, quam reſpublica turbata eſt: nam exactores pontificii inter ſpolia etiam vaſa & ornamenta eccleſiarum, vt & bona priuata clericorum, cenſebant, omniaque illegitimis modis inuadebant, perturbabant. Quae incommoda praeſertim in regno Apuliae inualuerunt, vbi ſub regibus Andegavis & Auſtriacis aut nouitates pontificiae admiſſae, aut non qua opus erat conſtantia reiectae. Sed tandem regni beneficiarii tot moleſtiis liberati ſunt, non quidem reſtituta eccleſiaſtica diſciplina, ſed de ſpoliis cum Siſto v. inita tranſactione, qua pleraque capitula eccleſiarum cathedralium pro ſpoliis canonicorum & beneficiariorum totius dioeceſis annuam pecuniae quantitatem fiſco pontificio ſoluendam promiſerunt; & viciſſim ſummus pontifex ſpolia remiſit, & beneficiariis facultatem de rebus profectitiis teſtandi conceſſit, eaſque ad heredes legitimos tranſmittendi, exceptis tantum rebus illicita negotiatione quaeſitis. Interim epiſcopi, abbates & reliqui inferiores praelati tranſactione hac comprehenſi non ſunt: quibus propterea morientibus ſpolia adhuc in ſummi pontificis fiſcum inuehebantur: idque ſtetit vſque ad Innocentium XII., qui edita bulla *inſcrutabili* iura camerae apoſtolicae in colligendis ſpoliis epiſcoporum & praelatorum huius regni prorſus abolenit, eaque eccleſiis reſtituit, ita tamen vt liceret antiſtitibus in ſuarum eccleſiarum cathedralium & paroeciarum vtilitatem diſponere.

CA-

CAPVT L.

De immunitate a tributis ecclesiarum bonis & clericis concessa.

§. I. TRibutum est pecunia, quae ciuibus ad reipublicae onera sustinenda imperatur; inde vero nomen accepit, quod vbi primum Romae impositum est, tributim a singulis pendebatur. A tributis iure Romano distabant proprie sic dicta *vectigalia*, quae alio quouis nomine imposita erant, veluti pecunia, quae portorii, vel salis, vel vicesimae nomine exigi solebat. Samuel Petit. *var. lect. lib. II. cap.* 1. Sed tributa duplicis generis erant, vnum capitibus liberis vel ratione habitationis vel artificii, alterum fundis impositum erat. Vtraque vel ordinaria, vel extraordinaria erant. Ordinaria, quae vocari solent *canones* & *indictiones*, ordinario iure pendebantur: extraordinaria pro reipublicae necessitate supra canonicas indictiones, quousque necessitates vrgerent, imponebantur: & hinc vocari solebant *superindicta*, exstatque titulus in vtroque Codice *de superindicto*.

§. II. Praeterea iure Romano erant quaedam extraordinaria munera tributis adfinia, quae ciuium capitibus & bonis imminebant, & *sordida munera* dicebantur, qualia erant pollinis conficiendi cura, panis excoctio, pistrini obsequium, angariae & parangariae, viarum & pontium constructiones & reparationes, aliaque manualia opera, quae Iac. Gothofredus *in L.*15. *C. Th. de extraordinariis siue sordid. muneribus* enarrat. Angariae & parangariae erant iumentorum & plaustrorum praestationes, ad annonae militaris aliarumque specierum fiscalium transuectionem: & angariae quidem, si transuectiones fiebant via publica & ordinaria; parangariae vero, si extra viam publicam, vbi cursus publicus dispositus non erat. Verum in muneribus sordidis distinguere oportet munus personis impositum a pecuniae praestatione, quae ratione muneris praestabatur. Proprie munus sordidum erant ipsa ma-

nualia opera; nam pecuniae praestatio potius erat tributum superindictum.

§. III. Iure gentium praedia ecclesiarum, clerici & eorum bona tributis subiacent, eaque ex forma cuiusque reipublicae debent inferre. Nimirum placuit inter gentes, vt pecunia, quae ad sustinendas reipublicae necessitates necessaria est, ex ciuium collationibus, quae & ipsis capitibus liberis & agris & aliis fortunis imponuntur, colligatur. Et quoniam bona ecclesiarum, etsi piis vsibus addicta, adhuc manent sub ciuili imperio, & clerici per domini sortem non desinunt esse ciues; hinc fit, vt iure gentium non minus bona ecclesiarum, quam ipsi clerici eorumque bona tributis subiaceant. Hoc gentium ius ipsi veteres patres adgnouerunt, & apertis verbis professi sunt, bona ecclesiarum tributis subiacere. *Si tributum petit imperator*, inquit Ambrosius *orat. contra Auxent. cap. XXXII.*, *non negamus. Agri ecclesiastici soluunt tributum. Soluimus, quae sunt Caesaris, Caesari; & quae sunt Dei, Deo. Tributum Caesaris est, non negatur.* Et vt alios mittam, Augustinus *de catechiz. rudib. cap. XXI.* ex apostoli sententia, quae habet, omnem hominem potestatibus sublimioribus subiectum esse, & ex subiectione tributa deberi, docet, etiam clericos saluo Dei nostri cultu tributa soluisse; idque etiam ipsum dominum fecisse, vt nobis huius sanae doctrinae praeberet exemplum (*a*).

§. IV.

(a) Huic doctrinae obstare videntur Bonifacius VIII. & synodus Tridentina, quorum ille docet, ecclesias, clericos & eorum bona etiam *iure diuino* a saecularibus exactionibus esse immunes, *cap. 4. de immunit. ecclesiarum in 6.*; haec vero habet, immunitatem ecclesiae & personarum ecclesiasticarum *Dei ordinatione & canonicis sanctionibus constitutam*, *sess. XXV. de ref. cap. 20.* Verum haec dicta non sunt nimium vrgenda, sed potius benigna interpretatione emollienda, vt hanc sententiam habeant, immunitatem ecclesiarum & clericorum ab oneribus ciuilibus esse consonam iis, quae in scripturis consignata sunt, vbi legitur, regem Pharaonem & Artaxersem a tributis terram & personas sacerdotum exemisse. *Genes. XLVII. v. 26. & Esdrae I. cap. 7. v. 24.*

§. IV. Quoniam vero aequum erat, vt praedia christianis sacrisque vsibus dedicata, tributis non subiacerent, & clerici in ciuitate essent gratiosi; pro pietate sua christiani principes & ecclesias & clericos a multis publicis oneribus exemerunt. Et primum quidem Constantinus M. initio imperii sui bona ecclesiarum a tributis omnibus videtur exemisse, *L.* 1. *C. Th. de annona & tributis*. Sed auctis ecclesiarum praediis sequentes imperatores concessam immunitatem, velut reipublicae grauem, sustulerunt: certe enim Ambrosii aetate ex agris ecclesiarum tributa pendebantur. Inde Honorius & Theodosius Iunior praedia *vsibus caelestium secretorum* destinata a superindictis & sordidis muneribus, non vero ab ordinariis & canonicis illationibus, exemerunt, *L.*40. *C.Th. de episcopis & clericis*. Concessa vero a superindictis immunitas non semper generalis fuit; etenim deinceps ecclesiae subiectae fuerunt angariis & parangariis, si ipse imperator iter faceret, *L.* 21. *C. de cursu publico*, item superindictis ad viarum & pontium munitionem & instaurationem, *L.* 6. *C. Th. de itinere muniendo*.

§. V. Porro christianorum imperatorum priuilegio clerici a tributis pro capite libero exemti sunt. Binghamus *orig. eccles. lib. V. cap.* 3. §. 2. Sed pro reliquis illationibus Constantius clericos nouis collationibus, onere metati, seu recipiendi hospitio milites & officiales imperii transeuntes, ab exactionibus ob mercaturam alimoniae caussa susceptam, item a sordidis muneribus & personalibus omnibus oneribus exemit, *L.* 8. *&* 10. *C. Th. de episcopis & clericis*. Quam immunitatem post synodum Ariminensem idem Constantius reuocauit edita lege, qua priuati clericorum fundi fiscalibus pensitationibus subiecti sunt, tantumque iis data exemtio a sordidis muneribus & illatione pro mercatura, si exiguis vacarent negotiolis, *L.* 15. *C. Th. eodem*. Sed deinceps clerici ab extraordinariis collationibus & sordidis muneribus immunes facti sunt, quod ex quadam Honorii & Arcadii lege constat, *vt hi, qui ecclesiae obtemperant, his, quibus ecclesia, beneficiis perfruantur*, *L.* 30. *C. Th. eodem*.

§. VI. Immunitas a tributis ecclesiarum bonis iure ciuili concessa, vbi in Europa ex ruinis Romani imperii

noua regna emerserunt, in diem creuit, praesertim regum Francorum secundae stirpis liberalitate. Sane Carolus M. a tributis Regi pendi solitis bona ecclesiarum & earum homines exemit, *capit. reg. Franc. lib.V. cap.*187. Verum haec exemtio praecipue spectabat canonicas illationes, nam a quibusdam extraordinariis oneribus ecclesiae immunes non erant, veluti si ageretur de muniendis itineribus & pontibus reficiendis, si tamen illae eo loci haberent possessiones, *capit. lib. VI. cap.* 107. Item oneri metati, hoc est hospitii, ecclesiae subiectae erant, si imperatores eorumque consanguinei, aut palatini officiales, aut legati iter facerent. Praeterea quae sibi noua praedia ecclesiae comparabant, oneribus publicis, quibus antea obnoxia fuerant, subiiciebantur, nisi peculiari regum concessione eximerentur, *capit. lib. III. cap. 86.*

§. VII. Verum enimuero immunitas ecclesiis in capitularibus concessa praecipue spectabat tributa, quae regibus pendebantur: nam quod spectat onera seu seruitia senioribus debita, tantum *mansus*, decimae, oblationes, domus & hortus fruebantur immunitate; & si quid amplius ecclesiae haberent, consuetis seruitiis subdebantur, *capit. reg. Franc. lib. I. caq.*19. & *lib.V. cap.* 45. *Mansus* erat certus agri modus, a manendo fortasse dictus, quod quisque colonorum cum familia sua in eo moraretur. Car. Dufresne *gloss. med. & infimae latinit. v.* mansus. Itaque hac aetate conditione meliore erant vrbanae quam agrestes ecclesiae: illae enim, quod in ciuitatibus nulli erant seniores, generali fruebantur immunitate; hae vero immunes erant a regum vectigalibus; at quod spectat ad seruitia dominorum, praedia vltra mansum, domum & hortum iisdem suberant (*b*).

§.VIII.

(b) Sub regibus Francorum secundae stirpis iam erant constituta feuda, & seniores, qui erant domini vicorum, a praediis & incolis multa exigebant seruitia, quae erant *annui census*, *xenia*, *pastus*, *parauerdi*, *seu caballorum saginationes*, vt synodus Trosleiana anno IↃCCCIX. *cap. VI.* expressit. Quoniam vero a seruitiis, quae senioribus debebantur, aequum non erat generalem ecclesiis agrestibus concedere immunitatem, (seniores

§. VIII. Concessa ex forma capitularium bonis ecclesiasticis a tributis immunitas in Gallia, Italia & reliquis Occidentis prouinciis diu stetit; at post saeculum decimum latius producta est, adeo vt omnia paroeciarum bona etiam a seruitiis dominorum exemta sint. Interim coeperunt ciuitatum rectores extraordinariis oneribus ecclesiarum bona grauare. Hinc synodi Lateranenses sub Alexandro III. & Innocentio III. generalem immunitatem rebus ecclesiarum dederunt, seu potius confirmarunt, excommunicatione comminata contra rectores ciuitatum, qui ecclesiis collectas imponerent, nisi in publica necessitate, aut vtilitate ipsi clerici symbolas sponte conferrent, *cap.4. & 7. ex. de immunitate ecclesiae*. Ita veluti iure proprio a synodis conditi canones, qui bona ecclesiarum a tributis eximerent, idque contra morem vetustatis, qua quidquid eius rei erat, a principibus statuebatur, aut expetebatur, & ex forma legum ciuilium aut adsensu principum inde canones condebantur. Ergo saeculo decimo tertio bona ecclesiarum a tributis erant exemta, contra vero bona priuata clericorum iis erant addicta (c).

§.IX.

---

niores enim regibus militiam & obsequia debebant) principes mansum ecclesiarum, qui veluti dos paroeciae habebatur, & praeterea decimas, oblationes, domum & hortum a seruitiis dominorum exemerunt; non si quid vltra ecclesiae possiderent.

(c) Synodus Melphitana sub Vrbano. II. *can. XI.* & Narbonensis anno CIↃCCXXVII. *can. XII.* iure veluti proprio bona clericorum a tributis exemerunt. At canones isti populorum moribus recepti non videntur: quod constat Friderici II. verbis ad Gregorium IX. summum pontificem, qui querebatur, quod Fridericus contra formam pacis tributa ecclesiis & monasteriis imposuisset: *talliae & collectae clericis & personis ecclesiasticis, non pro ecclesiasticis rebus, sed pro feudalibus & patrimonialibus imponuntur, secundum quod est ius commune, & obtinet vbique per orbem*. Talliae erant praestationes, siue tributa sic dicta a taleis, seu taliis, quae erant latercula lignea, in quibus solutiones solebant adnotari, parte altera penes dominum, altera penes tenentem remanente. Conf. Car. Dufresne *in glossar. mediae & infim. latinit.* v. **talea**. Itaque saeculo decimo

§. IX. In Siciliae regno ab ipsa ferme regni constitutione ecclesiarum priuata bona, non secus ac in aliis prouinciis, generatim a tributis exemta sunt; at non item bona priuata clericorum, quae sub Friderico II. ordinariis & extraordinariis collationibus subiecta erant. Sed regno ad Andegauos translato, clericorum bonis pro parte tributa remissa sunt: etenim Carolus II. in cap. *item statuimus XCVIII.* clericis, qui *clericaliter* viuebant, concessit exemtionem a tributis, *de portionibus eos legitime contingentibus**, hoc est de bonis, quae successione ab intestato adquirebantur. Quod ius regno ad Aragonenses translato integrum stetit: & praeterea cauit Ferdinandus I. Rex, vt quae bona semel certo oneri addicta erant, semper illud exsoluerent, licet clerici ea titulo alienationis a laicis adquirerent, *pragm. 3. tit. de clericis seu diaconis seluaticis:* quod ius aequissimum erat, & iuri Romano & capitularibus regum Francorum conforme; bona enim transire debent cum onere suo.

§. X. Sic constituta legibus nostris ecclesiarum & clericorum a tributis immunitas labentibus annis latius extensa est: nam ecclesiae in diem censita bona adquisiuerunt, vnde non amplius onera soluta, & clerici curis suis publica onera a priuatis suis bonis, quocumque titulo quaesitis, excusserunt: immo non desuerunt clerici, qui per summam iniustitiam aliena praedia nomine suo suscipiebant, & a tributis excusabant. Hinc vetera & noua onera in laicos eorumque bona, quae in diem decrescebant, reiecta. Quibus malis medendis tandem incubuit Carolus olim rex noster, qui tractatu habito cum Benedicto XIV. summo pontifice ad formam non adeo gravem

decimo tertio omnia ecclesiarum non feudalia bona tributis erant exemta, non item bona priuata clericorum, quae tum ex iure communi, quod vbique seruabatur, fiscalibus omnibus oneribus suberant. Et certe errant, qui tenent, canones Lateranenses de immunitate a tributis etiam bona priuata clericorum comprehendisse: bona enim *ecclesiarum & clericorum & pauperum vsibus deputata*, de quibus illi statuunt, sunt bona ecclesiarum, non bona clericorum priuata.

vem ecclesiarum & clericorum exemtionem a tributis reduxit. Principio placuit, vt bona ecclesiarum, monasteriorum & aliorum locorum religiosorum in censu describantur, eorumque nomine penderetur dimidium eius, quod laici pensitant, detractis tamen oneribus, quorum numero personarum alimenta non veniunt: idque praestari placuit, quousque regni necessitates expostulent, & pro oneribus, quae tempore tractatus erant imposita, non quae deinceps imponerentur. *Cap. I. n. 1. & 2.*

§. XI. Sed ab hac pensitatione immunia facta sunt bona beneficiorum, quorum titulo clerici ordinantur, pro ea tamen redituum quantitate, quae sacro patrimonio secundum dioecesis formam respondet; & praeterea bona paroeciarum, seminariorum & xenodochiorum. Porro si quae bona a die tractatus habiti ecclesiae & alia loca religiosa adquisierint, per omnia in perpetuum tributis subiecta sunt. Item bona priuata clericorum, non secus ac laicorum, tributis omnibus subiecta sunt, praeter bona illa, quae clericis sine beneficio ordinatis in patrimonii titulum solent adsignari; haec enim bonorum portio a die, quo clerici hypodiaconi creantur, ab omnibus oneribus exemta est, sed pro quantitate, quam intra viginti quatuor & quadraginta ducatos annuos synodi locales, aut episcopi definiunt. Et demum certa forma statuta est immunitatibus, quae a vectigali ab vniuersitatibus super tritico aliisque rebus ad victum necessariis exigi solito, clericis concedebantur. *Cap. I. n. 5. & seqq.*

§. XII. Quamuis autem inde vsque a Carolo M. bona ecclesiarum & monasteriorum ampla a tributis & censibus immunitate aucta sint; tamen ex iisdem bonis in regia aeraria aliis nominibus tantumdem & fortasse etiam plus inferebatur, quam ex tributis colligi poterat. Et sane in Gallia sub regibus secundae stirpis recepta erant *annua dona*, quae ab ecclesiis cathedralibus & multis monasteriis quotannis regibus necessario exhibebantur, & a tributis tantum nominis sono distabant (d). Consistebant autem

(d) Id constat ex Hincmaro Remensi *de ordine palatii*: vbi ita loquitur: *caussa suae defensionis regi ac reipublicae vectigalia,*

tem dona vt plurimum in *equis*, *lanceis*, *scutis* aliisque similibus speciebus, eorumque modus satis amplus erat; refert enim Arno monachus *in vita S.Benedicti Anianensis* annuis donis & militia adeo grauata fuisse nonnulla monasteria, vt monachis alimenta & vestes defuerint.

§. XIII. Praeter annua dona, si quando reipublicae necessitas postulabat, ecclesiae ex suis bonis symbolas contulerunt, & suis illationibus extraordinariis auxilio fuerunt ciuitati. Videntur autem ista subsidia saepe indicta ipsius ciuilis potestatis imperio. At Alexander III. in concilio Lateranensi edixit, vt deliberet episcopus cum suo clero, num suadeat vtilitas, aut iubeat necessitas de rebus ecclesiae aliquid in communes ciuitatis vsus conferendi; & tum si laici ipsi non possint, subsidia ab ecclesiis praestentur, sed nulla vi, itemque nulla laicorum interposita auctoritate, *cap. 4. ex. de immunitate ecclesiae*. Et non multo post Innocentius III. in concilio generali voluit, vt subsidia laboranti ciuitati non conferantur sine Romani pontificis auctoritate, *cap.6 ex. eodem*. Vtrumque hoc decretum moribus eius aetatis erat accommodatum, quando iura summorum imperantium in bona ecclesiarum & clericos oblanguescebant, & episcopi de publicis necessitatibus sedere iudices non dubitabant. Sed in compertis esse debet, pro iure suo principes in reipublicae necessitatibus posse ecclesiarum & clericorum bonis collationes imponere (*e*).

IN-

---

galia, quae nobiscum annua dona vocantur, praestat ecclesia, seruans quod iubet apostolus: cui honorem honorem, cui vectigal, vectigal praestate regi ac defensoribus vestris. Et inde Ludouicus II. imperator inquisitionem faciendam edixit, *vnde, vel quae dona annalia aut tributa publica exigi debeant:* quod scilicet inter aerarii status reditus annua dona censerentur.

(e) In Gallia iamdiu est, quod reges sine pontificis adsensu collectas sub nomine *doni gratuiti* de bonis ecclesiasticis exigere consueuerunt: quin dona ista gratuita *decimae* alias dicta, euaserunt ordinaria & quotannis pendi solent.

INSTITVTIONVM
IVRIS CANONICI
PARS III.
De iudiciis ecclesiasticis.

CAPVT I.
De iurisdictione ecclesiae propria.

§. I. Ox *iurisdictio* apud veteres patres ad significandam ecclesiasticam potestatem vix occurrit, eiusque loco illi potius vsurpant *potestatis* & *auctoritatis* vocabula. Primus, qui ab iure ciuili vocem iurisdictionis in ecclesiam intulit, Gregorius M. *lib. XIV. ep.* 8. fuisse videtur: inde sensim ea vox in iure canonico recepta est, praesertim, vbi longe lateque diffuso legum Romanarum studio, ecclesiastici illis addiscendis in primis operam nauarunt. Satis vero ampla est in iure canonico iurisdictionis significatio; omnis enim potestas, qua episcopi aliique ecclesiae ministri pollent, siue sacra administrent, siue doctrinam fidei doceant, siue nouos ritus instituant, siue caussas audiant, siue decernant, siue iudicem dent, siue poenas in facinorosos infligant, iurisdictionis nomine continetur.

§. II. Iurisdictio autem ecclesiastica aut sacerdotio cohaeret, eique propria & intrinseca est, aut ei extrinsecus aduenit. Et quidem Christi sacerdotium propria potestate auctum esse, qua ecclesia gubernetur, in compertis

pertis est: Christus enim docendi & baptizandi potestatem suis apostolis dedit, Matth. *XXVIII.* 18. *seqq.*, eisque ligandi aut soluendi ius concessit, Ioan. *XX.* 22. *seq.*, immo etiam sontes & contumaces extra ecclesiam proiiciendi. Matth. *XVIII.* 15. *seq.* Nempe ecclesia societas religiosa est, cuius finis est sanctitas & perfectio spiritualis in hoc saeculo, & in altero aeternae beatitatis consecutio; sicque constituta ecclesia vsque ad saeculi consummationem stare debet. Itaque proprium regimen in ecclesia esse oportuit, qua staret & conseruaretur; societatum enim natura talis est, vt vix diu stare possint sine certo ordine & potestate, qua dirigantur.

§. III. Verum enimuero potestas haec sacerdotio intrinseca & ecclesiae propria tota spiritualis est, nec quidquam cum imperio & rebus temporalibus commune habet. Spectat ecclesia animae salutem & alterius beatae vitae consecutionem: atque ideo potestas ecclesiastica tantum spiritualis est, tantumque internam honestatem & religionem spectat. Et aperte Iesus Christus apud Ioannem *XVIII. v.* 36. professus est, *regnum suum non esse de hoc mundo*, hoc est temporale regnum non esse, vt ex patrum sententia Augustinus Calmet eum locum interpretatur: & hinc quum quis eius arbitrium super familia erciscunda exposceret, respondit, *quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Luc. *XII.* v.14. Item tantum spiritualem verbi & sacramentorum potestatem, vt & ius facinorosos ab ecclesia eiiciendi Christus apostolis suis demandauit: quo omnis spectabat potestas, qua ipse a patre suo auctus erat. Matth. *XXVIII.* 18. *seqq.*

§. IV. Quae quum ita sint, potestas ecclesiae propria & sacerdotio intrinseca versatur circa spiritualia, eaque sacerdotes docent christianam fidem & morum regulas, sacramenta administrant, quaestiones doctrinae definiunt, siue fidem, siue mores spectent; canones condunt, quibus fides & morum regulae confirmantur, & in dubiis explicantur, & ritus sacramentales aliaeque sacrae caerimoniae constituuntur; canones iuris humani ex iusta caussa relaxant, & si salus ecclesiae postulet, prorsus abrogant; pastores & ministros instituunt ad perficiendum opus domini ad saeculi finem, & ad hanc iurisdictionem exer-

exercendam; eosdemque, si indigni euadant, munere suo deiiciunt; christianos peccatores admonent, iisque poenitentiam irrogant; & peccatores contumaces & immedicabiles, qui ceteros inficere possunt, a suo corpore abscindunt. Haec ferme sunt iura ecclesiae propria, quibus vel sub ethnicis imperatoribus etiam vsa est.

§. V. Haec vero potestas ecclesiae propria in duas veluti species dispesci solet, in *ordinis* scilicet, & *iurisdictionis* stricte sic dictae potestatem. Spectat potestas ordinis ad ea, quae sine sacerdotali charactere exerceri non possunt, qualia sunt sacrorum ministrorum creatio, potestas eucharistiae conficiendae: potestas vero iurisdictionis continet externam ecclesiae administrationem, qualia ius contumaces ab ecclesia eiiciendi, deponendi minus dignos ministros, & beneficia instituendi (*a*). Ignota veteribus fuit distinctio ista, & tum demum audita est, quum confirmatio episcoporum ab ordinatione separata est. Nempe in noua disciplina episcopus per confirmationem pastor ecclesiae constituitur; atque hinc receptum est, posse episcopos confirmatos, etsi non ordinatos, ecclesiam in omnibus administrare, iis tantum exceptis, quae *αμεσως* ab ordinatione dependent. V. Espen. *par. I. tit.* 14. *cap.* 5.

§. VI. Iam ecclesiae spiritualis potestas, qua doctrinam docet, sacramenta administrat, & poenas spirituales irrogat, generalis est, eaque reguntur christiani omnes, etiam vrbibus & prouinciis praefecti, qui in spiritualibus ecclesiae eiusque antistitibus subiiciuntur. Conc. Arelat. I. *can.* 7. Hinc vi spiritualis potestatis etiam in impios & profanos magistratus possunt episcopi gladio spirituali animaduertere, eosque ecclesiastica communione eiicere. *Si dux quisquam*, inquit Chrysostomus *hom. LXXXII. in*

(a) Antiqui interpretes *legem iurisdictionis* & *legem dioecesanam* veluti diuersas proponunt: illius enim nomine intelligunt ordinis & iuris dicundi potestatem; huius vero nomine potestatem in res ecclesiae temporales & iura episcopo debita, qualia synodaticum, procurationes. Quam distinctionem Innocentius IV. confirmauit, *cap.* 1. *de verbor. signific. in* 6. V. Florent. *in tract. de antiquo iure patronatus*.

in Matthaeum, *si consul ipse*, *si qui diademate ornatur*, *indigne adeat*, *cohibe ac coërce*, hoc est, ad eucharistiam non admittas: *maiorem tu illo habes potestatem*. Quamvis non semper e re ecclesiae erit, in omnibus casibus vti gladio spirituali contra eos, qui cum imperio praesunt, qua de re alibi commodius disseremus.

§. VII. Iam vero quae pertinent ad spiritualem potestatem, proprie sunt ecclesiae, nec in ea aliquid directe principes saeculi possunt. Et quamquam apud gentes sollemne fuerit religionis & reipublicae administrationem in vnam personam coalescere; tamen apud christianos ea duo inter se distincta sunt, & religio antistitibus, respublica vero principibus commissa est. Et profecto Christus ipse, qui ecclesiam suam diuina auctoritate instituit, tantum sacerdotes eius regendae potestate auxit, nihilque habet, quo de potestate principum in res spirituales constet (*b*). Quae doctrina in ecclesia semper obtinuit, & a patribus semper inculcata est: quod Petrus de Marca *lib. II. de conc. sacerdotii & imperii cap.* 1. pluribus illustrat. Item ipsi christiani principes in primis Valentinianus senior, Marcianus & Iustinianus aperte professi sunt, spiritualia ad sacerdotes pertinere. Hinc non iure principes res fidei definirent, ab ecclesiae communione contumaces, tamquam ethnicos & publicanos, eiicerent, aut caerimonias, quibus sacramenta aut aliae res spirituales administrantur, statuerent (*c*).

CA-

(b) Nec quempiam moueat pontificatus maximus, quem ipsi christiani imperatores ad Gratianum vsque susceperunt. Etenim pontificatus maximus erat ex reliquiis ethnicae religionis, quem ex arcanis dominationis christiani imperatores suscipiebant; at inde nulla potestas in sacra christianorum principibus accedebat. Quin principes sacerdotium illud extrinsecus potius, quam ex animo retinuisse videntur, quatenus pontificia illa auctoritas ad reipublicae regimen erat necessaria. Grauina *de Romano imperio cap. VII*.

(c) Videtur Constantinus M. etiam directe de rebus spiritualibus ius dixisse. Certe in caussa inter Caecilianum & Donatistas iudices dedit, qui eorum caussam in synodo Romana tractarent

CAPVT II.

De iurisdictione ecclesiastica in caussis civilibus laicorum.

§. I. IVrisdictio, quae sacerdotio extrinsecus aduenit, in duobus ferme consistit, in decidendis nempe caussis ciuilibus siue laicorum, siue clericorum, & in puniendis etiam in foro externo ciuilibus clericorum delictis. Et ad lites laicorum quod spectat, doctrina est christianae religionis, ne fideles facile de rebus transitoriis litigent. *Qui vult tecum iudicio contendere*, ait Christus apud Matthaeum *V.* 40., *& tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. Et alibi, *qui aufert, quae tua sunt, ne repetas*, Luc. *VI.* 30. Sane christiana morum philosophia tota in caritate posita est; caritas vero ne leuem quidem patitur animorum dissensionem: & sine odiis & dissensionibus lites non exercentur. Cui doctrinae primis saeculis

ctarent & finirent: inde Donatistis eius tribunal appellantibus, alterum iudicium episcopale in vrbe Arelatensi concessit; & porro post synodum Arelatensem rursus haereticis ad eius maiestatem confugientibus, vltimum ipse in hac caussa tulit iudicium. Caussa ista erat mere ecclesiastica. Itaque Valesius *in Euseb. lib. III. de vit. Constant. cap.* 51. dissimulare non potuit, *aliquando plus* Constantinum *sibi in negotiis ecclesiasticis vindicasse, quam laico principi conueniret*. Sed tam synodum Romanam, quam Arelatensem pro iure suo dedit Constantinus; christiani enim imperatores clericos iudices ad tractandas caussas ecclesiasticas, ecclesia non inuita, dare consueuerunt: idque inde videtur inualuisse, quod extraordinariae synodi sine principis concessione haberi non poterant. Et si ipse imperator demum cognouit, id coactus pro bono pacis fecit, ne Donatistae vlterius contra iudices ecclesiasticos & ordinem iudiciorum clamarent, ea de re postea ab episcopis veniam petiturus, quod Augustinus *epist. CLXII.* obseruat.

vim multam addebat opinio de iamiam instanti die domini, quae a rebus terrenis christianos multum distrahere debebat.

§ II. Haec litium fuga christianae religionis summa perfectio est, ad quam vix paucis contendere licet. Hinc christiani iusti, etsi minus perfecti, sua semper repetere potuerunt; at primis saeculis ex regulis christianae pietatis id faciendum erat *ecclesiastico iudicio, non forensi*, vt Augustinus *lib.III. ad Bonif. cap.*5. loquitur. Et profecto aegre ferens apostolus, Corinthios apud iudices ethnicos litigare, veluti per indulgentiam concedit, vt christianos litium suarum iudices, seu potius arbitros constituant, 1. *ad Cor. VI.* Summa vero ratione apostolus id Corinthiis inculcauit, ne christiana religio apud ethnicos vilesceret, & ne christiani eorum dicteriis obiicerentur, quasi verbis non re caritatem, sui abnegationem & rerum terrenarum contemtum praedicarent.

§. III. Quamuis autem generaliter edixerit apostolus, vt christiani, relictis ethnicis iudicibus, apud fratres suos lites, si quas haberent, deponerent; nihil tamen ea doctrina de magistratuum in christianos imperio & iurisdictione detractum est; eiusdem enim apostoli doctrina est, omnem hominem ciuili potestati iure diuino subiectum esse, *ad Rom XIII.* 1. *seqq.* Et recte vidit Estius, apostoli sermonem praecipue spectare ad actorem, in cuius potestate erat apud magistratum lites suas instituere; reo enim vocato non licebat magistratus iurisdictionem declinare. Nec audiendi sunt, qui tenent, apostoli auctoritate christianos a magistratuum ethnicorum iurisdictione in caussis pecuniariis exemtos fuisse, nec eis in conscientia subiectionem debuisse: quem errorem Barclaius *de potest. papae cap. XXI.* late confutauit.

§. IV. Dum vero vult apostolus, vt christiani ecclesiastico iudicio, non forensi lites componant suas, non designat, cuius generis christianos in arbitros seligi oportet: quin eius sententia est, omnem christianum, alias sapientem, huic oneri parem esse (*a*). Et quoniam inter chri-

(a) Scribit quidem apostolus *cit. epist. ad Cor.VI. v.4. saecu-*

christianos episcopi in primis sapientia & iustitia eminebant; (qui ad episcopatum promouebantur, virtutum meritis longe alios anteibant) hinc christiani sensim ad episcopos, tamquam ad pacificatores & arbitros, lites suas deferre coeperunt. Nec episcopi id onus detrectabant, qui alias ratione muneris sui pacem christianam gregi sibi commisso debebant instillare: quin eorum aliqui credebant, hoc onus sibi ab apostolo iniectum fuisse, cuius sententiae Augustinus fuit *de opere monachorum cap. XIX.* Quod vero episcopi saepe aliis curis grauabantur, aliquando lites decidendas presbyteris aut diaconis commiserunt, & quandoque etiam laicis aequitatis studiosis, praesertim si suspicio esset, clericos ex litium decisione aliquod sibi lucrum captare. Socrat. *lib. VII. cap.* 37.

§. V. Iam episcopi in caussis laicorum pecuniariis decidendis vnice aequitatem sectabantur, tamquam pacis sequestres, studebantque aliquo adhibito temperamento diffidentes in concordiam adducere, nec formulas in foro receptas vsurpabant. Et ne errarent, vbi ius obscurum erat, laicos iurisconsultos consulere consueuerunt, quod ex Augustino *serm. XLIX. de diuers.* constat. Nihil vero lucri ex litium decisione ad episcopos redibat; totumque negotium breui temporis spatio finiebatur, vt animorum motus inter litigantes cito residerent, atque vt omnino residerent, saepe iureiurando super altare aut super reliquias martyrum lites finitae. Greg. Turonens. *lib. V. cap.* 32. Quod si arbitrium haud feliciter cessurum videbatur, iudicium non suscipiendum Ambrosius *de officiis lib. II. cap.* 24. monebat. Vere christiana & digna nostris episcopis erat haec lites finiendi methodus: & hinc cuiusuis sectae homines adibant episcopos, eosque litium suarum arbitros constituebant. Possid. *vit. August. cap. XIX.*

Ii 2 §. VI.

cularia iudicia si habueritis, contemtibiles, qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum; at id dixit non absolute, sed potius per comparationem, quasi e re christiana magis esset, infimos christianorum de caussis fratrum arbitrari, quam apud ethnicos contendere, vt recte Estius in locum obseruat.

§. VI. Translato ad christianos imperio, antiquam in caussis pecuniariis episcopos adeundi consuetudinem imperatores confirmarunt, & multam vim episcopalibus arbitriis dederunt. Et quid quaeso melius ciuitati poterat euenire, quam si cito lites praeciderentur, & amputatis odiis, pax & amor inter ciues conciliaretur? Itaque Arcadius & Honorius liberum omnibus esse voluerunt, vt *ex consensu* caussas suas pecuniarias ad episcopos deferrent, *L. 7. & seq. C. de episcopali audientia:* quod idem edita alia lege Valentinianus III. edixit, *nouel. XII. tit. de episc. iudicio ad calcem C. Th.* Hinc non vera ciuilis iurisdictio episcopis data; vera enim iurisdictio etiam nolentes cogit, sed tantum antiqua episcopos adeundi consuetudo ab imperatoribus confirmata est, at non sine auctoritatis accessione: nam episcoporum arbitria sic rata & firma facta sunt, vt inde non liceret prouocare, tamquam si a praefecto praetorio pronuntiata essent; & hinc ordinariis magistratibus eorumque officiis datum, vt ea omnino exsequerentur, *cit. L. 8.*

§. VII. His omnibus aduersari videtur lex sub nomine Constantini M. ad Ablauium praefectum praetorio, quae exstat in extrauaganti seu subdititio C. Th. titulo *de episcopali iudicio*. Etenim ea lege litigantibus conceditur, vt in quauis parte iudicii ante sententiam sacrosanctae legis antistitis iudicium eligant, *etiamsi altera pars refragatur*. Seldenus & Alteserra hanc legem veluti genuinam tuentur: contra ex meliori ratione eam Iac. Gothofredus *not. in cit. L.* veluti spuriam explodit, contenditque, opus esse posteriori aetate a falsariis miscellionibus consarcinatum. Sane contraria est omnibus aliis genuinis imperatorum legibus, quae tantum ex consensu litigantibus permittunt adire episcopi iudicium. Deinde Constantinus id tantum litigantibus dedit, *vt ad episcoporum iudicium prouocarent, si magistratus ciuiles reiicere vellent*, teste Sozomeno *lib. I. cap. 9.:* quod argumento est, ex compacto potuisse litigantes episcopi eligere iudicium, non etiam altera parte refragante.

§. VIII. Haec fuit per plura saecula episcoporum auctoritas in decideneis caussis pecuniariis laicorum; at labentibus annis auctoritas ista abiit in veram iurisdictionem,

nem, quae saeculi ignorantia & curis clericorum longe lateque propagata est, hactenus vt magistratuum iuris dicundi potestas fere omnis interciderit. Conficta sub Constantini nomine constitutio, quae saeculo octauo exeunte in scenam prodierat, quaeque permittebat litigantibus in quacumque iudicii parte, etiam altero inuito, eligere antistitis iudicium, occasionem praebuit, vt arbitria episcoporum in caussis pecuniariis in veram iurisdictionem degenerarent. Nimirum eam legem sub nomine Theodosii Carolus M. probauit, & in omnibus sibi subiectis prouinciis valere voluit, quocumque iure populi viuerent, *lib. VI. cap. 366. edit. Baluz.* Ita iurisdictio episcoporum auctoritati accessit, modo litigantium alter episcopi iudicium elegisset, nam hoc casu pars altera necessario apud episcopum debebat comparere. Creuit inde episcopalis iurisdictio auctoritate Gratiani, qui eam legem etiam sub nomine Theodosii Concordiae suae inseruit, *can.* 35. *seq.* C. 11. *q.* 1., & eius vsum late produxit (*b*).

§. IX. Postquam arbitria episcoporum in vera iudicia abierunt, variis rationibus ciuilis episcoporum iurisdictio ad negotia ferme omnia ciuilia laicorum producta est. Principio caussas omnes, quibus peccatum aliquod, aut mala fides inesset, suae iurisdictionis esse episcopi tenebant, quod eorum erat iudicare de peccato, *cap.* 13. *ex. de iudiciis*, atque idcirco de ipsa re, cuius caussa peccatum erat. Hac ratione caussae omnes ad forum ecclesiasticum deuoluebantur, nam vix vllae erant, quibus peccatum aliquod aut mala fides, saltem ex vna parte, non inesset. Sed facile erat obseruare cognitionem de peccato ad sacerdotes in foro interno, non externo pertinere.

§. X. Praeterea ratione iurisiurandi, matrimonii, testamenti, & cuiuslibet caussae piae ad forum ecclesiasti-

 cum

(b) Sed quae caussa fuit, cur legem Constantino in titulo post Th. C. adiecto tributam posterior aetas sub nomine Theodosii exhibuerit? *Nimirum*, inquit Alteserra *lib. I. de iurisdictione cap.* 7., *stultior & supinior aetas leges Theodosianas vulgo appellabat eas omnes, quae in codice Theodosiano positae erant, etsi alios a Theodosio haberent auctores.*

cum ciuiles laicorum caussae trahi solebant, iis enim titulis mira interpretatione qualitatem spiritualem negotiis ferme omnibus ecclesiastici adspergebant. Et cognitio quidem de iureiurando iure decretalium episcopis tribuitur, *cap.* 13. *ex. de iudiciis*: & hinc facile cognitio ad contractus, quibus iusiurandum inserebatur, extendi potuit. Caussae de matrimonio & inde pendentes, veluti de sponsalibus, dotibus, natalibus, alimentis ecclesiasticae cognitionis censebantur, tamquam quae sacramento matrimonii adnexae erant, vel inde pendebant, quando reuera pendebant a matrimonii contractu. Caussae quoque de testamentis & rerum piarum negotiis ecclesiasticae habebantur, siue quod testamenta a duobus notariis, ecclesiastico vno, altero laico scribi solebant (c), siue quod christiani imperatores curam testamentorum & caussarum piarum episcopis demandauerant, *L.* 28. & *L.* 46. *C. de episcopis & clericis*.

§. XI. Item ecclesiasticae cognitionis & potestatis reputabatur iudicis laici supplere negligentiam. Concesserat quidem episcopis Iustinianus, vt semel in hebdomada carcere detentos inuiserent, & iudices sui officii admonerent; si vero iudices negligentes essent, ea de re principem ipsum facerent certiorem, *L.* 22. *C. de episc. audientia*. At episcopi mediis saeculis vlterius progressi sunt, sibique ius esse contendebant, magistratuum negligentiam supplere. Inde si qua caussa in longum apud iudices laicos traheretur, ad forum suum eam episcopi transferebant: & inde episcopi de iudicibus suspectis iudicarunt: quae abusio in Gallia & in Hispania & in regno Apuliae sub regibus Andegauis obtinuit, eoque deuenit facilitas reginae Ioannae II., vt edita lege cauerit, suspiciones magistratuum excepta Neapoli vbique in

regno

(c) *Manus sola incidens tabellionis apostolici efficiebat, leuibusque velut per deuia gyris, negotium ecclesiasticum, quod alias & nisi mistura illa fuisset, plane erat profanum, & a profanis, seu saecularibus regiisque iudicibus iudicandum*, inquit Mornacius *ad L.* 8. *C. de episc. audientia*.

regno apud loci episcopum eiusque vicarium tractari, *rit. CCLXV. magnae Curiae*.

§. XII. His aliisque rationibus caussae fere omnes civiles laicorum ad suam cognitionem & forum ecclesiastici traxerunt. Hinc per longas aetates vnum paene forum ecclesiasticum emicuit, totoque illo tempore euiluit & veluti emarcuit regia iurisdictio, quod de regno Galliae Mornacius *ad L. 8. C. de episc. audientia* obseruat; etenim reges Galliae secundae stirpis tot beneficiis a sede apostolica aucti & deinceps successores diu passi sunt in sibi subiectis prouinciis supra modum ecclesiasticam iurisdictionem extendi. Similiter in regno Apuliae sub Andegauis mirum in modum extensa est ecclesiastica iurisdictio; Andegaui enim reges exemplo regum Francorum, vnde erant oriundi, & porro nouis beneficiis a sede apostolica acceptis, non aegre tulerunt deminutione ciuilis iurisdictionis ecclesiasticam augeri.

§. XIII. Sed tandem ecclesiastica iurisdictio in caussis temporalibus laicorum omnino defecit, eoque, vnde abscesserat, reuersa est, idque sensim factum, sed non sine turbis, quas saepe ecclesiastici iuris sui conseruandi caussa excitarunt *(d)*. Sibi autem vitio vertere debent ecclesiastici, quod iurisdictionem in caussas ciuiles laicorum omnino amiserint; nam & contra concedentium mentem summopere eam extenderunt; & praeterea caussas, quas ex bono & aequo tractare debuissent, forensibus tricis implicuerunt. Tantum apud nos ex pactis conuentis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum *cap. VI. n. 7.* laici, qui in ecclesiasticis curiis actorum magistros agunt, quique episcoporum aliorumue praelatorum *cursores* appellantur, in ciuilibus, mistis & criminalibus

(d) Celebris est disputatio, quae super ecclesiastica iurisdictione in Gallia anno CIϽCCCXXVII. habita est inter nobiles regiosque ministros & praelatos coram Philippo Valesio rege Galliae. Nobilium & magistratuum partes Petrus Cugnerius, contra praelatorum Bertrandus, episcopus AEduensis, sustinebat. Quam extensa tum fuerit episcopalis iurisdictio, constat ex articulis, qui in medium propositi sunt.

nalibus caussis, quod ad *restrictionem personalem* spectat, ab episcopis praelatisue, in quorum ministerio sunt, iudicari & coërceri debent, nisi ea caussa sit, vt poena mortis aut triremium iure statui in eos possit.

CAPVT III.

De iurisdictione ecclesiastica in caussis civilibus clericorum.

§. I. Vidimus christianos omnes ex regulis christianae perfectionis sua iudicio repetere non debere; at hoc instituto magis clerici adstringuntur, qui in sortem domini euocati, perfectionem amplecti intelliguntur. Et quamuis rerum dominia cum sacerdotio non pugnent, atque ideo non teneantur clerici sua omnia relinquere; tamen quando rerum temporalium occasione lites excitantur, ratio propriae vocationis id videtur postulare, vt nec sua iudiciis repetant, nec ab aliis prouocati sua tueantur. *Episcopus*, inquit synodus Carthaginensis IV. *can.* 19., *apud Gratianum can.* I. C. 14. *q.* I., *nec prouocatus pro rebus transitoriis litiget*.

§. II. Verum pauci clericorum sunt, qui a rebus temporalibus ita sunt alieni, vt eas non persequantur, & defendant. Hinc dum rerum temporalium dominium clericis relictum est, eorum infirmitati seruiens ecclesia, permisit, vt sibi ablata repeterent quidem, sed ecclesiastico iudicio, non forensi: cui disciplinae ratione vocationis suae magis adstringebantur clerici, quam ceteri christiani. Hinc canones poenis canonicis subiecerunt clericum, qui cum clerico negotium habens, relicto proprio episcopo, ad saecularia iudicia procurrat. Conc.Chalced. *can. IX.*, Carthag. III. *can.* 9. *apud Gratianum can.* 43. C. II. *q.* I. Regulae istae decernunt de clerico, qui cum alio clerico negotium habeat; nam si negotium esset cum laico, & laicus in episcopum non consentiret, necessario lis apud publicum iudicem erat intendenda: quo casu tantum

tum ex episcopi concessione licebat clericis apud magistratum comparere. Conc. Agath. *can.* XXXII. (*a*).

§. III. Haec fuit ecclesiae disciplina vsque ad Iustinianum, qui primum monachos & clericos in caussis ciuilibus a magistratuum iurisdictione exemit. Et quidem hic imperator in primis sanctimonialium & monachorum caussas ad episcopos deferri iussit, *nouel. LXXIX. cap.* 1., qua constitutione abrogata est lex quaedam Anthemii, quae statuebat, monachos in ius extra proprias prouincias non vocari, sed apud suarum prouinciarum ordinarios indices, *L.* 33. *C. de episcopis*. Inde idem Iustinianus rogante Menna archiepiscopo Constantinopolitano etiam clericos in caussis ciuilibus exemit a magistratuum iurisdictione, eosque apud proprios episcopos iussit conueniri, *nouel. LXXXIII.* Sed generale hoc priuilegium non

(a) Iam dum ecclesia voluit, vt clerici aduersus clericos in caussis pecuniariis apud publicos iudices non litigarent; tantum sanctiorem disciplinam promouere intendebat, vt clerici molestiis fori expediti melius altari deseruirent; non vero iura principum temerauit, nec clericos magistratuum potestate in caussis ciuilibus exemit. Clericos, qui sunt ciues, a potestate magistratuum eximere, non erat ecclesiae, sed summorum imperantium. Hinc canones tantum poenis canonicis subiiciunt clericos, qui contra alios clericos coram magistratu ius suum persequebantur; nec vmquam statuunt, vt clerici a magistratibus vocati non se sistant, nec latas sententias nullas dicunt. Et profecto si clerici apud publicos iudices in caussis pecuniariis conueniebantur, debebant comparere: tantum erat in potestate actoris, vtrum ecclesiastico, an forensi iudicio experiri mallet, *L.* 13. *C. de episcop. audientia*, *L.* 25. *C. de episcop. & cleric.*

Huic iurisprudentiae aduersatur canon XXXII. concilii Agathensis apud Gratianum *can.* 17. *C.* 1. *q.* 1., *clericum nullus praesumat, apud saecularem iudicem, episcopo non permittente, pulsare.* At Gratianus canonem Agathensem interpolauit, & in alienum sensum detorsit. Genuina canonis lectio apud Labbaeum ita habet, *ne clericus quemquam praesumat apud saecularem iudicem, episcopo non permittente, pulsare*: quod conuenit antiquae disciplinae, qua non licebat clericis lites suas apud saecularem iudicem, nisi permittente episcopo, intendere.

non fuit; nam si ob caussae naturam, aut aliam difficultatem episcopus litem finire non poterat, tum licebat apud publicos iudices clericum conuenire. Et alia edita lege idem imperator a sententia episcopi publicum iudicem appellare permisit, *nouel. CXXIII. cap. 21.*

§. V. Ratio autem, qua Iustinianus monachis & clericis in caussis ciuilibus fori priuilegium concessit, haec profecto fuit, ne illi litibus implicati, & strepitu fori distracti, a solitudine & altaris seruitio auocarentur. Certe imperator voluit, vt episcopi sanctimonialium & monachorum caussas, non tamquam iudices ex formulis & strepitu fori, sed potius *honeste & sacerdotaliter* iudicent, vt a contentione monachi expediti, sine distractione Deo vacarent; idemque etiam habet nouella LXXXIII., quam sic Cuiacius contraxit, *clerici actione pecuniaria committuntur coram episcopo, qui litem finiat celerrime sine sumtu & scriptura sollemni.* Nimirum episcopi iudicabant tamquam arbitri reiectis formulis forensibus, & temporis compendio & concordiae inter partes conciliandae studebant. Sed temporis lapsu in episcoporum audientias tricae forenses irrepserunt; quo factum, vt contra finem concedentis clerici priuilegio vtantur.

§. VI. Ita primum legibus principum inductum monachorum & clericorum in caussis ciuilibus fori priuilegium, quod temporis lapsu variis principum edictis, synodorum canonibus & pontificum decretalibus confirmatum & auctum est (*b*). Hinc clerici ecclesiastico foro addicti,

(b) Nec tantum confirmatum & auctum est mediis saeculis fori priuilegium clericis concessum; verum etiam creditum, illud ecclesiae auctoritate processisse, nec a potestate principum pendere. Haec sententia praesertim post Gratianum inualuit, quando interpretes antiquitatis incuriosi vnice ex illius concordia & posteriorum pontificum decretalibus rem canonicam metiebantur. Et profecto multa siue prorsus supposititia, siue corrupta Gratianus refert monumenta, quibus non obscure traditur, ab ecclesiae auctoritate profectam clericorum exemtionem, *can. 3. & 17. C. 11. q. 1.* Ex quibus aliisque eiusdem farinae monumentis facile erat, in saeculo antiquitatis ignaro, doctrinam induci, clericos ecclesiae auctoritate a iurisdictione ciuili exemtos esse.

dicti, censurae ecclesiasticae subiecti iudices saeculares, qui clericos iudicio suo stare compellerent, & lata sententia tamquam ab iudice non proprio dicta viribus omnino caret, exceptis tantum feudalibus caussis, quarum cognitio domino feudi reseruata est. Conc. Lateran. III. *can.* 14., *cap.* 4. *ex. de iudiciis*, *cap.* 6. *& seq. ex. de foro competenti*. Quin in plerisque locis mos inualuit, vt clerici etiam laicos coram ecclesiastico iudice conuenirent ad vindicandas res a laicis possessas, licet eas suas esse rei contenderent, *cap.* 5 *ex. de foro competenti*.

§. VII. Sed labentibus annis in plerisque christianis prouinciis praesertim in Gallia & Belgio clericorum fori priuilegium in caussis pecuniariis deminutum est: atque ita clerici in actionibus in rem & caussis mistis, quin etiam in caussis personalibus, quibus aliquid *realitatis* sit admistum, apud laicos iudices conueniri solent. V. Espen. *par. III. tit.* 1. *cap.* 4. Item in iisdem locis decretalium dispositio, qua vetatur clericus fori priuilegio abrenuntiare, in caussis ciuilibus vsu sublata est, teste Mornacio ad *L.* 4. *D. de pactis*. Caussa tantae mutationis videtur repetenda a tricis forensibus, quae in forum ecclesiasticum irrepserant; vbi enim modus litigandi apud iudices ecclesiasticos intricatior prae foro ciuili euaserat, e re sua esse viderunt clerici potius apud laicos, quam ecclesiasticos iudices conueniri: & magistratus sensim iurisdictionem vindicarunt suam, quando experientia innotuit, *honeste & sacerdotaliter*, vt ait Iustinianus, caussas in foro episcopali non tractari.

§. VIII. Quod vero spectat ad Siciliae regnum, quo & Sicilia proprie sic dicta & Apulia continebantur, sub regibus Nortmannis & Sueuis clericorum fori priuilegium in caussis pecuniariis non integrum obtinuit. Etenim clerici in actionibus in rem, si res essent eorum propriae, non ecclesiae, conueniri debebant apud iudicem saecularem eius loci, vbi res sita erat, quod Gulielmus I. Rex in *const.* si quis clericus *tit. de clericis conueniendis* statuit, & inde Fridericus II. in *const.* de burgensaticis *tit. de sacramento praestando a baiulis* confirmauit. Quo tempore constitutiones istae conditae sunt, caussae in foro ecclesiastico tricis forensibus agitabantur, clericosque ab altaris serui-

tio

tio auocabant; vt proinde iustum visum fuerit Regibus nostris, clericorum fori priuilegium in caussis pecuniariis ad solas actiones personales restringere. Interim pragmatici nostri has constitutiones nihil valere pronuntiarunt, vtpote libertati ecclesiasticae aduersas: qua in re iuris publici ignorantia erirarunt.

§. IX. Sed deinceps regno ad Andegauos reges translato, clericorum fori priuilegium extensum est, & clerici non coniugati in caussis omnibus, siue in rem, siue in personam a laicorum iurisdictione exemti, suis episcopis per omnia subiecti sunt, exceptis caussis feudalibus: quod ius pactis inuestiturae Carolo I. a Clemente IV. datae comprehensum est. Parum videbatur Carolo aliquid de iurisdictione in clericos remittere, dum regnum, cuius erat appetentissimus, adquireret. Hoc idem ius inde Carolus II. in cap. *item statuimus XCIV.* confirmauit. Ita abrogatae sunt apud nos regni constitutiones, quibus clerici in actionibus in rem apud laicos iudices conueniri debebant: & deinceps ius a Carolo II. confirmatum obtinuit: etsi hodie plures species excipiantur, in quibus clerici apud magistratum conueniendi sint, de quibus inferius.

CAPVT IV.

De iurisdictione criminali ecclesiastica.

§. I. POtestatem criminum, quae in ciuitate admittuntur, puniendorum inter iura maiestatis censeri, nemo vnus ignorat. Nimirum, quae ad ciuium securitatem spectant, ea omnia ciuilis potestatis iura constituunt: ciuium vero securitas haberi non potest, nisi crimina pro varia reipublicae ratione debitis poenis vindicentur: poenarum enim metu homines a criminibus admittendis deterrentur, & quisque in officio manet: qua ratione & ad laesi satisfactionem procurandam poenae in ciuitate receptae sunt, quod Grotius *de iure belli ac pacis lib. II. cap. 20.* pluribus illustrat.

§.II.

§. II. Ciuilis vero poteſtas pro iure ſuo punit vindicatque crimina omnia, quiſque demum ſit, ſiue laicus, ſiue clericus, qui delinquit; clerici enim per domini ſortem non deſinunt eſſe ciues. Et profecto apoſtolus, nullo facto perſonarum diſcrimine, ciuilis imperii eſſe docet criminum puniendorum poteſtatem. Eius enim ſententia eſt, omnem hominem iure diuino ſubiectum eſſe ciuili poteſtati, quae ex Dei ordinatione gladium portat, illumque in facinoroſos omnes exercet. *Omnis anima*, hoc eſt omnis homo, *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas niſi a Deo .... Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit .... Dei enim miniſter eſt tibi in bonum: ſi autem malum feceris, time: non enim ſine cauſſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit; ad Rom. XIII. 1. ſeqq.* Quibus verbis apoſtolus aperte docet, iure diuino ad ciuilem poteſtatem ſpectare ius criminum puniendorum, quiſque demum ſit, qui delinquit; loquitur enim de illa poteſtate, quae gladium portat, & cui tributa penduntur.

§. III. Porro veteres patres tenent, clericos omnes, etiam epiſcopos, iure diuino ſubiectos eſſe ciuili poteſtati. Inſtar omnium ſit Chryſoſtomus, qui *hom. XXIII. in epiſt. ad Rom.* ex verbis apoſtoli hanc doctrinam proponit: *poteſtatibus ex debito obedire iubet* apoſtolus; *oſtendens, quod iſta imperentur omnibus, & ſacerdotibus & monachis; non ſolum ſaecularibus, id quod ſtatim in ipſo exordio declarat, quum dicit: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: etiamſi apoſtolus ſis, ſi euangeliſta, ſi propheta, ſiue quiſquis tandem fuerit, non enim pietatem euertit iſta ſubiectio.* Chryſoſtomo ex recentioribus omnino concinit S. Bernardus, qui *ep. XLII.* ad archiepiſcopum Senonenſem ex eadem apoſtoli doctrina concludit, etiam ipſum archiepiſcopum ciuili poteſtati ſe ſubiectum adgnoſcere debere: *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: ſi omnis, & veſtra: quis vos excipit ab vniuerſitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere.*

§. IV. Haec autem principum in puniendis criminibus poteſtas numquam fuit, nec eſt eccleſiae impedimento, quominus in foro interno delicta coërceat. Nimirum apud chriſtianos forum interius inſtituit Chriſtus, vt ite-

rum amissam per peccata innocentiam recuperare possimus. Verum nihil habet eiusmodi forum cum potestate principum in puniendis delictis, quum ad diuersos fines dirigantur, illud nempe ad salutem aeternam, haec vero ad ciuitatis securitatem. Hinc mira fuit per plura saecula in puniendis delictis sacerdotii & imperii concordia. Primum reos damnabant ciuiles magistratus: inde damnatos ecclesia poenitentiae subiiciebat: cumque saeculo nono nonnulli reorum iactare coepissent, *nihil pertinere ad episcopum, quae a publico examinata dignoscuntur, & discussa*, eorum audaciam synodus Ioannis papae repressit, *cap. 1. ex. de off. iudicis ordinarii*.

§. V. Quoniam vero a ratione alienum videbatur, clericos delinquentes publicis iudiciis coërceri; pro pietate sua christiani principes clericos ab imperio magistratus exemerunt, eorumque delicta episcopis commiserunt punienda: idque sensim factum est. Crimina clericorum duplicis generis sunt, *communia* nempe, seu *ciuilia*, & *ecclesiastica*. Communia sunt, quae clerici committunt tamquam ciues, iisque publica tranquillitas in primis turbatur & euertitur, qualia homicidium, peculatus, adulterium, furtum. Ecclesiastica vero sunt, quae directe contra religionem & ecclesiasticam disciplinam admittuntur, quaeque poenis canonicis vindicantur, qualia apostasia, haeresis, schisma, simonia.

§. VI. Iam vero christiani imperatores in ecclesiasticis & ciuilibus criminibus, quae leuia videbantur, clericos a potestate ordinariorum iudicum exemerunt; non etiam in delictis ciuilibus grauioribus. Certe Valentinianus senior voluit, vt sacerdotes de sacerdotibus in caussa fidei, vel ecclesiastici alicuius ordinis, vel morum iudicarent, quod testatur Ambrosius *epist. XXXII.* (*a*). Item im-

(a) Caussae ecclesiastici ordinis erant crimina ecclesiastica; mores vero erant vitia, quae a laicis admissa leuia videbantur; at grauia procul dubio erant, si a clericis, qui perfectionem amplexi sunt, admitterentur, qualia scortatus, ebrietas, alea. Et licet veteri de moribus iudicio & grauiores & leuiores mores venirent, teste Vlpiano *fragm. tit. VI.* §. 12.; tamen in *L. 2. C. Th. de repudiis* aperte *crimina* & *mores* separantur.

imperatores Valens, Gratianus & Valentinianus decernunt, vt clerici in dissensionibus leuibusque delictis, quae ad religionis obseruantiam pertinent, a suae dioecesis synodis audiantur; in ciuilibus vero ordinariis extraordinariisue iudicibus subiecti sint, *L. 23. C. Th. de episcopis & clericis*. Et in hanc sententiam deinceps suas dederunt leges Theodosius M. in *L.3. tit. de episc. iudicio post C. Th.*, modo lex ista illius sit, Arcadius & Honorius in *L. 11. C. Th. de religione*, & Valentinianus III. in *nouel.XII. ad calcem C. Th.* Ceterum in ea parte, qua statuunt imperatores, vt in rebus fidei & religionis episcopi iudices sedeant, videntur potius confirmasse ius ecclesiasticum, quo caussae istae ad episcopos deferuntur, quam aliquid de nouo statuisse, aut tribuisse (*b*).

§. VII. Sic per christianos imperatores statuta in criminibus ecclesiasticis clericorum a publicis iudiciis exemtio ad Iustinianum vsque stetit immutata; at sub hoc imperatore incepit disciplinae mutatio. Etenim quamuis Iustinianus *in nouel.LXXXIII.* primum ex sententia antecedentium legum clericorum exemtionem in caussis ecclesiasticis probarit; tamen inde noua edita constitutione cauit, vt laici iudices clericos & monachos communium criminum reos inscio episcopo non damnarent, ac si laico iudici cum episcopo non conueniret, ad se referri iussit, *nouel. CXXIII. cap. 21.* Qua constitutione indulsit quidem Iustinianus clericis ciuilium criminum reis, vt a publicis iudicibus inscio episcopo non damnarentur; at interim integram reliquit principis in clericos facinorosos potestatem (*c*).

§.VIII.

(b) Certe Ambrosius *cit. ep. XXXII.* adfirmat, statuisse Valentinianum, *in caussa fidei, vel ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis*. Et Arcadius & Honorius *cit. L. V.* habent, *quoties de religione agitur, episcopos oportet iudicare*. Quae loca aperte probant, imperatores in caussis ecclesiasticis nullam exemtionem concessisse, sed ecclesiae disciplinam potius confirmasse.

(c) Quin non desunt viri iuris publici scientissimi, qui tenent, non posse principes eximere aliquem ex ciuibus a suprema

§. VIII. Exemtio ab Iustiniano clericis concessa, qua illi in criminalibus iudicio quodam misto puniebantur, in ecclesiis Occidentis saeculo sexto & initio sequentis recepta erat. Conc. Antiossiod. *can.* *XLIII.*, conc. Paris. v. *can.* 4. Sed deinceps clerici in criminalibus, exclusis iudicibus publicis, per omnia episcoporum iurisdictioni addicti sunt (*d*): quod ius habent regum Francorum capitularia *lib.* *I.* *cap.* 38. & *lib.* *V.* *cap.* 378., & saepe posteriores canones & decretales confirmant, & quidem censura contra iudices proposita, qui poenas de criminosis clericis sumere auderent. Hinc Gratianus manum admonit ad antiqua monumenta, quae in suam concordiam coniecit, eaque mutilauit, aut alias interpolauit, vt cum nouis canonibus & falsis & posterioribus decretalibus concinerent (*e*). Quin vbi iuris canonici consulti tantum ex Gra-

ma imperii potestate; nam sic exemti ciues, vtpote a capite non pendentes, vnum corpus cum reliquis ciuibus non conficerent. Conf. Barclaius *de potest. papae cap. XXXIII.*

(d) Generalis exemtio clericorum in omnibus criminibus a potestate iuris gladii moribus eius aetatis, qua concessa est, perbelle conuenit. Nimirum in nouis regnis, quae populi septemtrionales ex ruinis Romani imperii in Occidente fundarunt, crimina ferme omnia multis seu poenis pecuniariis, quas *compensationes* dicebant, solebant expiari, & raro admodum sanguis effusus. V. Car. Dufresne *in glossar. mediae & infim. latinit. v.* componere. Hinc nec receptae politiae, nec ecclesiae mansuetudini aduersabatur, episcopos de criminibus omnibus clericorum iudices sedere & poenas irrogare. Et licet ecclesia legibus Romanis viueret, tamen illa sanguinis poenas iure Romano propositas mansuetudine sua obliterauit.

(e) Et profecto a lege sub nomine Theodosii M. qua statuebatur, ne clerici ad iudicia ordinariorum iudicum in caussis ecclesiasticis traherentur, detraxit verba ista *quantum ad caussas ecclesiasticas*, *can.* 5. C. 11. *q.* 1. Et in canone IV. synodi v. Parisiensis, quo ex scientia episcopi poterat magistratus in clericos ciuilium criminum reos animaduertere, verba *sine scientia pontificis* ita mutauit *sine licentia pontificis*, *can.* 2. *loc. cit.*, vt videretur veluti ab episcopi delegatione pendere magistratus potestatem.

Gratiano & decretalibus a Gregorio IX. collectis sapiebant, ferme recepta est doctrina, clericorum exemtionem, praesertim in caussis criminalibus, esse iuris diuini, & idcirco nulli laicae constitutioni obnoxiam. V. Espen. *par.* III. *tit.* 3. *cap.* 2. Quo etiam spectant concilium Lateranense v. *sess.* V. & Tridentinum *sess.* XXV. *de ref. cap.*20., dum id edicunt, tam iure diuino, quam humano nullam esse laicis in clericos potestatem.

§. IX. Haec autem, quae iure Romano, siue regum Francorum capitularibus, siue ecclesiasticis decretis de clericorum priuilegio fori in criminalibus statuta sunt, in christianis prouinciis non generatim obtinent, sed quatenus vsu recepta, aut probata sunt. Nimirum vbi mediis saeculis magnus erat numerus clericorum, qui impune scelera grauiora admittebant, moribus aut legibus principum crimina quaedam excepta sunt, quae si clerici admitterent, a publicis iudicibus punirentur. Ita in Gallia in clericos atrociorum criminum reos regii iudices animaduertunt, quae crimina *priuilegiata* dicuntur. V.Espen. *par.* III. *tit.* 3. *cap.* 2. Et quamuis in his criminibus alias in Gallia simul magistratus & episcopus iudicarent; tamen moribus praesentibus in delictis atrocioribus soli iudices regii cognoscunt. Roussell. *hist. iurisd. pontif. lib.* IV. *cap.* 3. Similiter in Belgio nonnulla crimina clericorum etiam a publicis iudicibus vindicantur, teste Espenio *loc. cit.* Et in Venetorum republica leuia tantum clericorum delicta iudicio iudicum ecclesiasticorum committuntur. Sarpus *in considerationib.*

§. X. Nunc videamus oportet, qua ratione fori priuilegium in caussis criminalibus in regno Siciliae constitutum est. Principio statuit Gulielmus II. Rex, vt clerici in omnibus delictis in foro ecclesiae iudicentur secundum ius ecclesiasticum, *excepto si de perduellione aliquis fuerit appellatus, vel de alio magno huiusmodi maleficio, quod spectat ad maiestatem*, *const.* de personis *tit. vbi clericus in maleficiis debeat conueniri.* Inde vbi regnum in duo diuisum est, in regno Neapolitano Carolus II. Andegavus voluit, vt clerici in omnibus caussis, siue criminalibus, siue ciuilibus, siue mistis, exceptis caussis feudalibus, coram iudice ecclesiastico conueniantur, *cap.* item statuimus

tuimus XCIV. *tit. de non trahendis clericis*. Ampla quidem exemtio; at abrogata non videtur Gulielmi constitutio, qua clerici in crimine maiestatis iudicibus publicis addicuntur (f). Sane qua demum cumque generali formula exemtio concipiatur, crimen maiestatis non complectitur: non enim videtur princeps ei concessisse priuilegium, qui contra maiestatem committit; sunt enim nonnulla scelera, quae omnem honorem excludunt, *L. 1. C. vbi senatores*, & in caussa maiestatis omnibus aequa conditio est, *L. 4. C. ad L. Iul. maiestatis*.

CAPVT V.

Qui clerici & monachi fori priuilegium habeant, & an illud possint eiurare.

§. I. EX veteris disciplinae regulis clerici omnes, siue maiores, siue minores, etiam qui sine ordine erant in canone, item monachi & monastriae fori priuilegio vtebantur. *Nouel.LXXXIII. & CXXIII. cap.21.*, conc. Parisiense v. *can.* 4. Ipsi clerici coniugati, etiam qui in ministerio suis vtebantur vxoribus, fori priuilegio tuti erant, eoque etiam vsi sunt solius primae tonsurae clerici, vbi nouum hoc clericorum genus in ecclesia receptum est. Clerici autem tum gaudebant fori priuilegio, si ecclesiae, cui addicti erant, deseruirent (*a*).

§. II.

(f) Nec audiendi sunt Andreas de Isernia & Matthaeus Afflictus, qui non solum docent, clericos in crimine maiestatis de magistratuum imperio exemtos esse; verum etiam eos, vtpote ciuili potestati minime subiectos, (noua profecto theologia, nouum ius publicum) crimen maiestatis admittere non posse.

(a) Sane Iustinianus clericos omnes in caussis pecuniariis apud episcopos conueniri voluit, ne *a sacris amoueantur obsequiis*, *nouel. LXXXIII.* Et generatim clericorum personales immunitates potius ob iuge ecclesiae ministerium, quam ob dignitatem & or-

§. II. Verum labentibus annis lapsa ecclesiastica disciplina fori priuilegium praesertim in caussis criminalibus potius ob ordinis dignitatem & characterem, quam ob ecclesiae seruitium clericis datum reputatum est: quae doctrina post saeculum decimum in magna clericorum multitudine, qui sine beneficio ordinati ecclesiae non deseruiebant, generatim inualuit. Et vt nemo a clericalibus priuilegiis excluderetur, saeculo decimo tertio & sequentibus docuerunt decretalium interpretes, primam tonsuram esse ordinem, & characterem imprimere, vt ita attonsi omnes fierent omnino sacri, & ecclesiae foro addicti censerentur. V. Espen. *par. III. tit.* 3. *cap.* 3. Hinc doctrina illa, clericos omnes fori priuilegio, praesertim in criminalibus, gaudere, etsi ecclesiae non deseruirent, nec habitum & tonsuram clericalem gererent, *cap.* 12. *de sent. excomm. in* 6.

§ III. Hoc iure ferme viximus vsque ad synodum Tridentinam, quae saltem ex parte veterem disciplinam restituit. Etenim de clericis minoribus non coniugatis statuit, vt tum demum gaudeant fori priuilegio, si beneficium habeant ecclesiasticum, aut clericalem habitum & tonsuram gerentes, de mandato episcopi ecclesiae inseruiant, aut in aliquo seminario aut schola, quasi in via ad maiores ordines, versentur. Trident. *sess. XXIII. de de ref. cap.* 6. Quo decreto etsi patres de clericis beneficiariis agentes, aperte nihil habeant de ecclesiae seruitio & habitu & tonsura clericali; tamen exploratum esse debet, etiam clericos beneficiarios ex synodi mente ecclesiae debere deseruire, vt fori priuilegio vtantur; & si id patres non expresserint, ea ratione factum videtur, quod maxime beneficiariorum erat ecclesiae deseruire, benefi-

 cium

& ordinis characterem concessae sunt, *ne sacrilego liuore quorumdam a diuinis obsequiis auocentur*, vt Constantinus M. in *L.* 2. *C. Th. de episc. & clericis* expressit. Hinc si quis vitam clericalem, seu, quod idem erat, ecclesiae ministerium deseruisset, prout natales aut facultates erant, vel curiae, seu senatui patriae suae, vel ordini suo perpetuo sociabatur, *L.* 39. *C. Th. eodem*.

cium enim datur propter officium. Quidquid vero sit, apud nos etiam requiritur ecclesiae seruitium & habitus & tonsura clericalis, vt beneficiarii fori priuilegio vtantur, quod litteris Regis nostri anno CIↃIↃCCLX. ad Cameram Regalem comprehensum est.

§. IV. Clerici coniugati post saeculum vndecimum omnibus clericalibus priuilegiis spoliati sunt, & inhabiles facti ad retinenda beneficia, *cap. 7. ex. de clericis coniugatis*. V. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. I. lib. 2. cap* 56. Id factum videtur ad compescendam clericorum incontinentiam, quae saeculo decimo & deinceps increbuerat. Sed postea redintegrato caelibatus clericalis vigore, humanius cum clericis coniugatis actum est, eisque Bonifacius VIII. concessit, ne propter crimina criminaliter aut ciuiliter coram magistratu conueniantur, modo vnicam & virginem duxerint, & habitum & tonsuram gerant, *cap. vn. de cleric. coniugatis in 6.* Quod privilegium confirmarunt Tridentini patres, eo tamen addito, vt coniugati iussu episcopi alicui ecclesiae addicantur, *sess. XXIII. de ref. cap. 6.*

§. V. Plures alii, etsi non monachi, nec clerici, iure canonico, aut doctorum placitis fori priuilegio gaudent, quales tirones vitae monasticae seu nouitii, quousque in tirocinio perseuerant, Fagnan. ad *cap. nullus ex. de foro comp. n.* 59.: item seruientes seu quocumque alio nomine militiis, seu monasteriis, seu collegiis addicti. Trident. *sess. XXIV. de ref. cap.* 11. Clerici quoque seu diaconi sic dicti *siluatici*, hoc est clerici, qui nulla tonsura initiati vestem clericalem aut eremiticam induunt, & alicui ecclesiae vrbanae seu capellis suburbanis inseruiunt. Episcoporum quoque familia laica, quae varia officia complectitur, veluti cancellarios, scribas, domesticos, cursores, omnium interpretum consensu fori priuilegio vtitur. Nec desunt doctores, qui etiam ad clericorum familiam, veluti vxorem, filios, famulos fori priuilegium extendunt. V. Fagnan. *loc. cit.*

§. VI. Hactenus dicta de iis, qui fori priuilegio gaudent, non omnia apud nos peraeque seruantur, quod pactis conuentis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum aliqua addita, multa vero reiecta sunt.

Prin-

Principio placuit, solos clericos, qui secundum Tridentinas regulas viuunt, & religiosos omnes vtriusque sexus, qui veste monastica suscepta vitam communem sub disciplina & obedientia regulari viuunt, aut qui extra monasterium degunt, superiorum suorum iussu necessaria negotia obituri, fori priuilegio gaudere; non item alias personas, quocumque nomine veniant, quae fori priuilegio deiectae sunt, *cap. III. n.* 1. Clerici vero minores & primae tonsurae quotannis debent probare, se secundum sacros canones vixisse, aliter eorum nomina ab albo clericorum, quod in ecclesia cathedrali publice habendum est, delentur, & clericalia priuilegia amittunt, *cap. IV. n.* 8.

§. VII. Iam eadem conuentione *cap. III. n.* 1. *&* 2. placuit, vt clerici coniugati in solis criminalibus caussis, quae criminaliter aguntur, fori priuilegium habeant, modo viuant ex regulis Tridentinis, & artibus & negotiis abstineant, quae clericos dedecent; in reliquis vero omnibus apud iudicem laicum conueniantur. Laicus vero iudex tantum super bonis sententiam exsequetur: & si id vetet reorum inopia, ad capturam rei etiam procedet, sed prius ab ecclesiastico iudice venia petita, quam hic omnino dabit. Vt vero coniugati clerici sibi concesso priuilegio vtantur, quotannis apud episcopum loci debent probare, se ex forma canonum vixisse, & ab eodem litteras, quae id testentur, gratis accipere. Vtuntur hoc priuilegio tantum ipsi coniugati, nec ad vxores & filios extenditur.

§. VIII. Porro iisdem pactis conuentis *loc. cit. n.* 5. *&* 7. placuit, vt laici, qui in ecclesiastico foro actorum magistros agunt, quique episcoporum aliorumue praelatorum *cursores* appellantur, in ciuilibus, criminalibus mistisque caussis, quod spectat personalem restrictionem, fori habeant priuilegium, quousque in ministerio sunt, nisi ea caussa sit, vt poena mortis aut triremium iure statui in eos possit: quo casu tantum regiorum iudicum in eos iurisdictio est: officiales vero baronales tantum eos in carceres detrudere possunt, & regios iudices ea de re facere certiores. Sed actorum magistri & cursores intra praefinitum numerum esse debent.

§. IX. Iure decretalium clerici minores, qui habitum vitamque clericalem abiicerent, fori priuilegio non excidebant, nisi ter admoniti in ſtatu laicali perſiſterent, *cap. vlt. ex. de vita & honeſt. clericorum*, *cap.* 44. *ex. de ſentent. excommunicationis*. Sed deinceps diſtinctum eſt inter minores clericos beneficiarios & non beneficiarios, receptumque eſt, illos ſeruata iudicii forma & monitione praemiſſa fori priuilegio ſpoliandos, hos vero ipſo iure ob deſertam vitam & habitum clericalem excidere, quod Innocentius XIII. in bulla *apoſtolici miniſterii* & Benedictus XIII. in bulla *in ſupremo militantis* ſtatuerunt. Interim apud nos litteris Regis noſtri ad Cameram Regalem menſe Septembri anni CIƆIƆCCLX. datis etiam clerici beneficiarii ipſo iure cadunt fori priuilegio, ſi ex regulis Tridentinis & pactorum conuentorum forma non viuant. Qui vero ipſo iure amiſerunt fori priuilegium, etſi alias ex fide bona poſſent pro arbitrio ad clericalem vitam reverti; tamen apud nos ſemel albo clericorum deiecti, iterum clericalem vitam pro arbitrio ſuſcipere videntur interdicti.

§. X. Quicumque fori eccleſiaſtici priuilegium habent, ex principiis iuris veteris conceſſo priuilegio poterant renuntiare, & in iudicem laicum conſentire, *nouel.CXXIII. cap.*8., idque ob regulam iuris antiqui, qua omnibus licebat his, quae pro ſe indulta ſunt, renuntiare. Verum Innocentius III. ſummus pontifex omnino interdixit clericis fori priuilegio abrenuntiare, & in iudicem laicum conſentire, nulliusque momenti eſſe dixit renuntiationem, etſi ſacramento factam, *cap.* 12. *ex. de foro competenti:* idque duabus praeſertim rationibus, vna quod priuatorum pactis iuri publico non recte renuntiatur, fori vero privilegium iuris publici eſt: altera, quod per veteres canones prohibetur clericis laicum forum adire (*b*). Ita ſummus

(b) De hoc Innocentii III. reſcripto in diuerſa abeunt interpretes. Cuiacius, Struchius, Vulteius aliique multis contendunt, pontificem contra iuris rationes conſtituiſſe, non poſſe clericum fori priuilegio abrenuntiare, & in iudicem laicum conſentire. Contra Cironius, Gonzalez aliique pontificem ab hac

mus pontifex dignitati ordinis clericorum consuluit, quae deturpari videbatur, si clericis liceret priuilegio ordini concesso renuntiare. Rescriptum hoc Innocentianum statim in vsum versum est, & multarum synodorum decretis confirmatum; mediis enim saeculis certum habebatur, posse pontifices suis decretalibus leges ciuiles abrogare. Tantum ex regulis decretalium licet clericis in ecclesiasticum iudicem, alias incompetentem, ex venia proprii episcopi consentire, *cap.* 18. *ex. eodem*.

CAPVT VI.

De foro competenti.

§. I. FOrum siue forus Romanis & negotiationis & exercendarum litium locus fuit, qua de re multa habet Polletus *hist. fori Romani cap. I. & seq.*, qui tamen non recte adfirmat, forum virilis generis Latinum non esse. V. Cuiac. *in tit. decretal. de foro competenti*. Dictum vero fuit forum a ferendo, quod eo loci & controuersiae iudici definiendae, & merces venales ferebantur, vt Varro obseruat. Itaque forum, vbi de iudiciis agitur, est locus iudiciorum, & saepe etiam pro ipso iudicio sumitur. Forum vero in iudiciis est competens, si

 com-

nota strenue vindicant. Sed hac in re duo videntur distinguenda: vnum, num ex principiis iuris ciuilis pontifex recte prohibuerit clericis fori renuntiationem; alterum, num pro iure suo potuerit ius vetus abrogare. Er primum quidem tum recte iuri publico non potest priuatorum pactis renuntiari, si ipsa lex renuntiationem non permittat, non item si illam concedat, *L. vlt.* §. *vlt. C. de temporib. appellationum*: in specie vero fori clericalis aperte ius ipsum publicum renuntiationem clericis permittit, *L.* 51. *C. de episcopis & clericis*, *nouel. CXXIII. cap.*8. Alterum, tempore, quo vixit Innocentius III. certum habebatur, posse pontifices contra ius ciuile respondere.

competat iis, qui eo controuerſias deferunt ſuas, atque ideo eſt forum iudicis proprii, ſeu competentis, qui ſcilicet cognoſcendi habet poteſtatem & in reum iuriſdictionem.

§. II. Quando autem competens iudex forum conſtituit, dubio procul eccleſia forum proprium habet, in quo non minus de rebus ſpiritualibus, quam de rebus temporalibus iudicatur. Et quod ſpectat ad res ſpirituales, eccleſiae forum tantum competens eſt, praeſertim ſi iuris quaeſtiones agitentur, idque ſiue rei clerici, ſiue laici ſint. Poteſtas enim ſpiritualis iure clauium continetur, quas Chriſtus ſolis apoſtolis & eorum ſucceſſoribus concredidit. Hinc Oſius Cordubenſis apud Athanaſium *apol. II.* admonuit Conſtantinum M., imperii & ſacerdotii fines eſſe conſtitutos, & diuinae ordinationi eos aduerſari, qui ipſius imperium malignis oculis carperent: itemque ipſum imperatorem fines a Deo poſitos tranſire, ſi eccleſiae & ſacerdotibus diuinitus conceſſa iura vſurparet.

§. III. Verum enimuero forum eccleſiae, praeſertim pro ea parte, quae ad peccata eorumque medelas ſpectat, in veteri diſciplina totum internum fuit & ſacramentale, quod Morinus *de adminiſtr. poenit. lib. I. cap.* 10. pluribus illuſtrat. Et quamuis veteres patres in puniendis criminibus multa iudiciaria & veluti ſollemnem iudiciorum ordinem adhiberent, ſi in reos accuſatos & non confeſſos procederent; tamen externa omnis forma ad peccatorum poenitentiam & forum internum ſpectabat. Forum eiuſmodi ſaeculo decimo ſecundo in duo diuiſum eſt, vnum *internum*, alterum *externum*: & internum quidem ſine iuris ambagibus exercetur, & in crimina prorſus omnia ſacramentali ratione procedit: externum vero complectitur cenſuras & alias cauſſas eccleſiaſticas, quae per iuris ambages apud iudicem tractantur & deciduntur.

§. IV. Cauſſarum eccleſiaſticarum, quae tantum ad epiſcopale forum ſpectant, aliae ſunt de rebus ſacris, aliae de criminibus. Et de rebus ſacris in primis cenſentur cauſſae de ſacramentis, quas, quod ſpectat ad eorum naturam (a) & con-

(a) Quod ſpectant, inquam, eorum naturam: nam *circa mo-*

& constitutionem, ecclesiasticae cognitionis esse in compertis est. Verum ex caussis sacramentalibus vix vllae ad forum contentiosum hodie producuntur, exceptis matrimonialibus, quae per iuris ambages tractari solent.

§. V. Iure veteri caussae omnes ad matrimonii contractum spectantes, & inde pendentes, veluti de dote, sponsalitiis largitionibus, natalibus, alimentis praestandis ad saeculare forum pertinebant. Tantum ecclesiasticae cognitionis erant sacramentum, canonica impedimenta, nuptiarum benedictio, aliique ritus, quibus in domino matrimonium contrahi posset. At labentibus annis matrimonii sacramentum contractum veluti occupauit & ad se traxit: inde quaestiones matrimoniales etiam de contractu & inde pendentes, veluti spirituales, aut spiritualibus incidentes, ad forum ecclesiasticum conuolarunt, quod ius decretales exhibent, *cap.* 5. *ex. qui filii sint legitimi*, *cap.* 3. *ex. de donationibus inter virum & uxorem*. Interim praesentibus prouinciarum institutis ferme solae quaestiones de vi matrimonii & sponsaliorum & de sacris ritibus fori ecclesiastici sunt: quod ius etiam apud nos pactis conuentis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum comprehensum est, *cap. VI. n.* 3.

§. VI. Caussae quoque beneficiariae spiritualibus accensentur, atque ideo ecclesiastici fori sunt, siue de ipsa collatione, siue de qualitatibus beneficiariorum, siue de ipsius beneficii priuatione, siue de excitandis, siue coniungendis, siue diuidendis beneficiis agatur. Et quoniam caussae iuris patronatus spiritualibus adnexae sunt, iure decretalium etiam ad forum ecclesiasticum pertinent, *cap.* 3. *ex. de iudiciis*. Capellaniae tamen merae laicales & legata pia, quae nulla episcopi auctoritate constituta sunt, bene-

modum, tempus, locum ea exhibendi & celebrandi, nec non eorum ministros plura intercurrere queunt externam politiam spectantia, & ad quae principum eorumque magistratuum cura se extendere potest, quin & subinde debet: vtpote quibus incumbit externae politiae curam habere, atque curare, vt omnia recto ordine etiam in ecclesia agantur, vt Espenius *par. III. tit.* 2. *cap.* 1. loquitur.

beneficiariis fori ecclesiastici caussis non accensentur. Quin litteris Regis nostri III. idus Iunii anni CIↃIↃCCLXX. statutum, capellanias a testatoribus relictas aestimandas tamquam onus hereditatis, cuius exsecutio pro celebratione missarum officio iudicis continetur.

§. VII. Item caussae funerariae fori ecclesiastici sunt, si nempe agatur de concedenda vel neganda mortuis sepultura, de eiusdem electione, benedictione cadaueris, vsu crucis parochialis, & de solutis iuribus funerariis inter ecclesias & clericos diuidendis. Quin iure decretalium etiam fori episcopalis est cogere laicos ad consuetas funerarias oblationes praestandas, si sponte non offerantur, *cap.* 42. *ex. de simonia*. Sed moribus hodiernis etiam huius regni actio ad soluenda iura funeraria fori laici esse censetur; est enim actio personalis, qua debita pecunia postulatur, nec aliquid spiritualis creditur continere.

§. VIII. Praeterea caussae decimarum iure decretalium foro ecclesiastico addictae; habentur enim decimae veluti sacer census Deo debitus in signum supremi & vniuersalis dominii, *cap.* 14. *&* 26. *ex. de decimis:* quae doctrina ex moribus Iudaicis in ecclesiam irrepsit. Itaque si quaestio sit, num decimae, aut qua mensura debeantur, iudicis ecclesiastici est iudicare: cuius etiam est cogere per censuras laicos ad decimarum solutionem, *cap.* 5. *ex. eodem*, Trident. *sess. XXV. de ref. cap.* 12.

§. IX. Caussae ecclesiasticae, veluti beneficiorum & decimarum, iure decretalium pertinent ad forum ecclesiasticum, tam si de ipso iure, quam si de possessione controuersia sit. At in Gallia, Belgio & plerisque christianis prouinciis iudicium de iure, seu *petitorium*, vt dicunt, remittitur quidem ad iudicem ecclesiasticum; at iudicium possessionis in regiis auditoriis tractari solet, si agatur de retinenda vel recuperanda possessione; non item de adipiscenda, nam hoc iudicium plus iuris, quam possessionis habere videtur. Nec religio est regiis magistratibus de caussarum ecclesiasticarum possessione cognoscere; nam de possessione quaestiones, veluti quae merum factum continent, temporales reputantur. Et licet in pleno possessionis iudicio etiam iura & tituli ambarum partium discuti & ventilari soleant, idque vt constet de legitima

gitima alterius partis possessione; tamen id obiter fit, & sententia non super proprietate & titulis, sed tantum super possessione pronuntiatur. Finito possessionis iudicio, & per omnia exsecutioni dato, liberum est victo iuris quaestionem in foro ecclesiastico intendere, etsi id raro fiat, quia expensis in iudicio possessionis iuribus & titulis mala esse videtur caussa eius, qui iudicio possessionis victus est.

§. X. In regno Neapolitano etiam caussae beneficiorum in iudicio possessionis tractantur in regiis auditoriis: at caussae decimarum, etiam vbi de iure tractatur, in foro laico & praesertim in Sacro Consilio ex antiquis moribus cognoscuntur & iudicantur. Nec patitur regia iurisdictio, caussas decimarum in foro ecclesiastico quomodolibet audiri, neque laicos ab ecclesiasticis iudicibus ad earum solutionem compelli; decretum enim Tridentinum, quo licet episcopis excommunicare quotquot decimas subtrahunt, aut earum solutionem impediunt, apud nos receptum non est. Sane eiusmodi quaestiones potius factum, quam ius ipsum doctoribus nostris spectare visae sunt, receptas nempe consuetudines & pacta, quibus christiani ad decimas ecclesiis soluendas obligantur. V. de Franchis *dec. CIII. n.* 4.

§. XI. Praeterea in multis catholicis prouinciis caussae iuris patronatus laici, siue de iure, siue de possessione quaeratur, laici fori esse putantur: quod tradit Alteserra *de iurisdict. eccles. lib. VI. cap.* 11. Sed in regno nostro caussae iuris patronatus etiam laicalis ad iudicem ecclesiasticum pertinent: tantumque excipiuntur caussae iuris patronatus regii & feudalis, itemque alterius laici patronatus, si in patronatu feudali, quaeratur, num feudo sit adnexus, & in reliquis laicis patronatibus, si quaeratur, num sint de vniuersitate bonorum: in quibus speciebus cognitio ad iudicem laicum pertinet: quod pactis conventis inter Benedictum XIV. & Carolum olim regem nostrum *cap. VI. n.* 4. continetur.

§. XII. Caussae criminales fori ecclesiastici propriae quamdiu vnum fuit ecclesiae forum, internum nempe crimina omnia fidelium erant, quae salutaribus poenitetiis & sacramentali ratione ecclesia curabat. At vbi

rum

rum externum ab interno separatum est, hoc nullam deminutionem subiit, nec subire poterat; at ratione externi fori criminum distinctio in *ecclesiastica*, *ciuilia* & *mista* inualuit. Ecclesiastica religionem & fidem directe laedunt, qualia sunt haeresis, schisma, simonia. Ciuilia directe laedunt rempublicam, nec in foro externo aliquid spirituale continent, qualia homicidium, peculatus, furtum. Et demum mista dicuntur, quae religionem & rempublicam eodem tempore laedere videntur, qualia adulterium, concubinatus, sodomia, sacrilegium.

§. XIII. Quod spectat crimina ecclesiastica, in compertis est, eorum cognitionem ad forum ecclesiasticum pertinere, siue clerici, siue laici delinquant; ecclesiae enim est videre, num admissum crimen reuera tale sit, & canonicas poenas irrogare. Non tamen ex regulis ecclesiasticis vetitum est magistratibus in haereticos iudicio ecclesiae damnatos poenis ciuilibus animaduertere. V. Feuret. *de abusu lib. VIII. cap.* 2. Verum in regno Neapolitano crimina ecclesiastica solius iudicis ecclesiastici iudicio & punitioni reseruata sunt cum plena potestate animaduertendi in laicos: quod ius pactis conuentis inter Benedictum XIV. & Carolum olim regem nostrum *cap. VI. n.* 1. comprehensum est. Solius quoque iudicis ecclesiastici est de polygamia cognoscere, & poenas in polygamos irrogare, quod iisdem pactis conuentis *n.* 2. cauetur. Interim regiis litteris anno CIↃIↃCCXLVI. vetiti sunt iudices ecclesiastici in caussis haeresis reos siue ecclesiasticos, siue laicos citare, aut carceribus tradere, nisi acta informationis antea Regi exhibuerint, & ab eo id agendi specialem veniam impetrauerint: nec inde instructo iudicio sententiam exsecutioni possunt mandare, nisi Regi iterum acta exhibeantur, & ab eodem venia impetrata sit. Quae omnia Regi placuerunt ad iudiciariam S. Officii formam penitus exscindendam.

§. XIV. Crimina mista iure decretalium canonicis poenis vindicant episcopi, ciuilibus vero laici iudices, *cap.* 2. *ex. de maledicis*, *cap.* 5. *de poenis in 6.* quod regulis christianae religionis conuenit. Verum temporis lapsu ecclesiastici contendere coeperunt, etiam ius esse foro ecclesiae talia crimina poenis ciuilibus punire, idemque

etiam

etiam magistratus facere posse, & idcirco locum esse praeventioni, iudicisque praeuenientis esse iurisdictionem. Hinc inter ecclesiasticos & laicos iudices controuersiae; nam solius ciuilis potestatis esse tenebant regii iudices, poenis ciuilibus in laicos criminum mistorum reos animaduertere. Sed demum in nostro regno pactis conuentis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum compositae controuersiae, datumque episcopis tantum poenis canonicis laicorum crimina misti fori expiare, *cap. VI. n.* 5. Quibus etiam poenis episcopi contra publicos reos ciuilium delictorum possunt procedere.

§. XV. Forum ecclesiae etiam de caussis temporalibus saltem clericorum cognoscit & iudicat, idque postquam vera iurisdictio episcopis data est. Etenim iure Romano in caussis ciuilibus ecclesia forum & iurisdictionem non habet, quod Cuiacius *parat. C. de episc. audientia* & Franc. Florens *tract. de iurisdictione eccles. in praefatione* docent. Aperta est sententia Valentiniani III. *nouel. XII. de episc. iudicio ad calcem C. Th.*, *episcopi & presbyteri forum legibus non habent:* & in vtroque codice tantum *episcopalis audientia* & *episcopale iudicium* episcopis conceditur, non iurisdictio. Episcopi quoque iure Romano non habent in caussis ciuilibus rei iudicatae exsecutionem, sed eorum sententias magistratus exsequuntur. *L.* 8. *C. de episcopali audientia*. Sed nouis legibus & moribus episcopi etiam in caussas profanas saltem clericorum forum sibi quaesiuerunt.

§. XVI. Iam vero quisque in proprio foro conueniendus est, hoc est apud eum iudicem, qui in reum habet iurisdictionem. Nimirum reus in iudicium venit inuitus, atque ideo apud iudicem, qui eum vocare & cogere potest, debet conueniri. Quoniam vero clerici fori priuilegio vtuntur, quo de fori ciuilis iurisdictione exemti sunt; hinc in caussis temporalibus laici apud laicos iudices, clerici vero, & qui eorum iure censentur, apud ecclesiasticos conueniri debent, nisi caussa talis sit, quae clericos de foro laico non eximit.

§. XVII. Reus siue in ecclesiasticis, siue in ciuilibus iudiciis ex quatuor praecipue caussis forum sortitur, domicilio nempe, contractu, re sita, & maleficio, quod ciuili

vili & canonico iure constitutum est. Principio forum fit proprium domicilio, ibique reus ferme ex quavis caussa recte conuenitur. Domicilium vero positum certo loco intelligitur, vbi quis larem, rerumque ac fortunarum summam constituit, vnde rursus non sit discessurus, si nihil auocet, vnde, quum profectus est, peregrinari videtur, *L. 7. C. de incolis;* vel si in aliquo loco per decennium commoratus, ibi sedem constituat, *L. 2. C. eodem (b)*.

§. XVIII. Item forum euadit competens & proprium ex caussa contractus; vbi enim contractus initus est, ibi actione in personam reus praesens conuenitur; censentur nimirum contrahentes iurisdictioni eius loci, vbi contrahunt, se subiicere. Locus vero contractus ille intelligitur, vbi contractus initus est, nisi expressum sit, quo loco pecunia soluenda sit; nam in hac specie contractus eo loci initus censetur, vbi pecuniam solui placuit, *L. 3. D. de rebus auctorit. iudicis possidendis*. Qui vero extra domicilium contraxit, actione directa in loco contractus, si ibi praesens reperiatur, arbitraria in domicilio conuenitur, *L. vn. C. vbi conueniatur, qui certo loco*.

§. XIX. Forum quoque facit proprium locus, vbi res controuersa sita est, ibi enim in rem actio aduersus possidentem intenditur, *L. 3. C. vbi in rem actio*, quasi quod actio rem ipsam persequi videatur. Nec refert, vtrum immobilis, an mobilis res sit, de qua contenditur: quin etiam actio intenditur, etsi possessor absit, *L. 2. C. eod.* Res vero sita non impedit, quo minus liberum sit actori,

(b) Praeter proprium cuiusque domicilium, hactenus descriptum, datur etiam commune, quod iure Romano ipsa Roma erat. *L. 33. D. ad municipalem*. Hinc vnusquisque Romae repertus ex quauis priuata caussa ibi conueniebatur, nisi ius reuocandi domum haberet, *L. 2. §. 3. seqq. D. de iudiciis*. Simili iure etiam Roma christiana communis omnium clericorum patria habetur: quo fit, vt clerici peregrini Romae reperti, ibi recte conueniantur, etsi nulla alia caussa sit, qua forum proprium fiat, nisi ex iusta & necessaria caussa in vrbem venerint, quo casu habent ius reuocandi domum, *cap. vlt. ex. de foro competenti*.

ri, in loco domicilii eadem actione reum conuenire, *L.* 38. *D. de iudiciis*. Iure canonico etiam beneficio forum competens fit, veluti re sita, *cap.* 3. *de temporib. ordinationum in 6.*, & ita in caussis beneficiariis recte apud episcopum beneficii clerici conueniuntur.

§. XX. Praeterea ex caussa admissi criminis forum competens euadit: quaestiones enim vbi commissa, aut inchoata sunt crimina, perfici debent, etsi alterius loci aut prouinciae sit, qui deliquit, *L.7. & vlt. D. de accusationibus*, *cap.* 14. *ex. de foro competenti*. Sane vbi quis deliquit, maior est copia probationum & maius expensarum compendium, & praeterea iustum est, reum exemplo poenae prodesse, vbi obfuit exemplo delicti. Quod si reus a loco delicti absit, etiam alibi quaestio perfici potest, *L.* 1. *C. vbi de criminibus*, nisi magistratus loci criminis admissi petat, reum ad se transmitti, in loco patrati delicti puniendum, *L.* 7. *C. de custodia reorum*, *nouel. CXXXIV. cap.* 5.

§. XXI. Sunt etiam alii modi, quibus forum alias incompetens proprium euadit, quales praecipui sunt consensus litigantium, continentia caussae, & priuilegium. Et quidem iure Romano in caussis ciuilibus licet litigantibus in alienum iudicem consentire, quo consensu iurisdictio profertur, seu, vt dici solet, *prorogatur*, & incompetens judex competens euadit, *L.* 1. *& seq. C. de iudiciis*. Iure decretalium clerici ex proprii episcopi voluntate in alienum iudicem ecclesiasticum recte consentiunt, *cap.* 18. *ex. de foro competenti*, non item in iudicem laicum, *cap.* 12. *ex. eodem*. Ex antiquo vsu in regno nostro clerici etiam inscio episcopo in forum nuntii apostolici Neapoli commorantis consentiebant; at regiis litteris ad praesidem Sacri Consilii mense Augusto anni CIƆIƆCCLXIX. datis vetiti sunt notarii scripturis inserere formulam, qua clerici iurisdictioni nuntii apostolici consentiant, eique se subiiciant.

§. XXII. Continentia quoque caussae iudicem alias incompetentem facit proprium, hoc est, si quaestioni principaliter propositae incidat quaestio, cuius ipse directe cognitionem non habebat, idque ne caussae continentia & contextus abrumpatur, *L.9. C. de iudiciis*. Et hinc iure

re decretalium quaestiones de dote & alimentis praestandis, quae matrimonialibus incidebant, in foro ecclesiastico tractabantur, *cap. 3. ex. de donationib. inter virum & uxorem*. Verum tum iudici principis quaestionis de incidentibus cognoscere licet, si tantum iure prohibitus, non si omnino incapax sit: qua ratione incidens spiritualis quaestio apud iudicem laicum ad episcopale forum ablegands est.

§. XXIII. Forum denique euadit competens priuilegio; multi enim concessis priuilegiis subtracti sunt ab ordinarii iudicis iurisdictione, & alii iudici addicti, quales iure Romano viri clarissimi, milites, iique etiam, quibus fori electio concessa est, quales pupilli, viduae, & miserabiles personae, *L. vn. C. quando imperator inter pupillos vel viduas*. Similiter iure decretalium monachi, regulares, ecclesiae multae, itemque multa canonicorum capitula priuilegiis apostolicae sedis in totum, aut pro parte ab episcoporum suorum iurisdictione exemti sunt. Hinc iure decretalium exemti in exemtionis articulis forum sedis apostolicae sortiuntur, aut illius iudicis, cui eos priuilegium addixit.

CAPVT VII.

Quibus in caussis clerici apud iudicem laicum conueniuntur.

§. I. QVamuis iure non minus ciuili, quam canonico clerici de magistratuum iurisdictione exemti sint; sunt tamen multae caussae tam ciuiles, quam criminales, in quibus apud laicum iudicem conueniuntur. Et ad negotia ciuilia quod spectat, principio caussae omnes feudales contra ecclesias & monasteria, quae feuda saecularia tenent, in curia domini directi, qui feudum concessit, tractari & iudicari debent, quod feudorum disciplina postulabat, & in decretalibus probatur, *cap. 6. & seq. ex. de foro competenti*. In regno Apuliae id ius obtinet,

tinet, illudque pacta conuenta inter reges Andegauos & Aragonenses & sedem apostolicam confirmarunt. Hinc caussae omnes feudales, siue clerici, siue monachi agant, siue conueniantur, in Camera Summariae, si fisci intersit, alias in Sacro Consilio agitantur & deciduntur.

§. II. Praeterea in multis prouinciis praesertim in Gallia & Belgio clerici in foro laico conueniuntur in omnibus actionibus in rem, quin etiam in actionibus, quae caussam mistam habent. V. Espen. *par. III. tit.* 1. *cap.* 4. Idem ius saltem ex parte obtinet apud nos, etenim antiquo huius regni vsu caussae omnes de hereditatibus & fideicommissis ad solum iudicem laicum spectant, siue controuersiae emergant ex testamentorum vitiis, aut ambiguae intestatae hereditatis iuribus, siue clerici agant, siue conueniantur. Item caussae iuris congrui laici iudicis cognitionis sunt, etiamsi clerici conueniantur: qua in re etsi inter pragmaticos nostros non conueniebat; tamen litteris Caroli olim Regis nostri ea cognitio ad solum iudicem laicum delata est. Quod confirmauit Rex noster litteris suis XVII. calendas Aprilis an. CIↃIↃCCLXII. datis, idque ea ratione Rex factum edixit, quod congrui actio in rem est.

§. III. Praeterea caussae nuntiationis noui operis etiam contra clericos in hoc nostro regno apud iudicem laicum agitantur. Nouum opus dicitur nuntiari, si quis impeditur, ne aedificando, aut demoliendo pristinam rei faciem mutet, & alterius iura laedat. Non conuenit inter doctores nostros, cuius iudicis sit iudicare, si clericis opus nouum a laicis nuntietur. Ergo ad euitandas controuersias iudices laici, dum nouum opus clericis nuntiabatur, coeperunt non clericis ipsis, sed laicis eorum operariis prohibere, ne vltra procederent, vt ita sponte sua clerici apud iudicem laicum comparerent, iura sua persecuturi. Quam procedendi formam regia Pragmatica anno CIↃIↃCCXXXVIII. §. 1. *n.* 10. probare videtur, dum hanc nuntiandi consuetam formam refert, *fabricatores desistant.*

§. IV. Similiter si agatur actione in personam ex contractu, qui mercaturam spectat, clerici in hoc regno apud iudicem laicum conueniuntur, quod Rex noster X. calendas Augusti anno CIↃIↃCCLXIX. litteris suis statuit. Indi-

gni profecto sunt clerici fori priuilegio, qui contra sui status vocationem mercimoniis vacant. Quin Rex posterioribus litteris x. calendas Iulias anno CIƆIƆCCLXX. idem ius esse declarauit, si clerici litteras collybisticas, quae ad mercaturam non pertinent, scripserint, idque quod earum scriptio contractum quemcumque in mercimonium conuertat. Verum si exsecutio personalis facienda sit, auxilium iudicis ecclesiastici implorandum est, quod absque vlla caussae cognitione impertiri debet.

§. V. Iam in omnibus profanis caussis si quis post citationem ab iudice laico factam in clerum sit adscitus, is praescriptione & priuilegio fori non iuuatur, & caussam persequi debet apud iudicem, qui iudicium coepit, qua in re leges & decretales conspirant, *L.* 17. *D. de iudiciis*, *L.*19. *D. de iurisdictione*, *cap.*19. *ex. de foro competenti*. Eadem ratione si lis coepta sit cum defuncto laico, clericus eius heres eam in eodem foro persequi debet, etsi reus sit, quia succedit in defuncti locum, & ideo post coeptum iudicium alterius fori fictione iuris factus videtur. V. Couarruu. *pactic. quaest. cap.VIII.* Quin tradunt doctores nostri, clericos non iuuari fori priuilegio, si rem, de qua apud iudicem laicum lis instituta est, etiam particulari titulo adquirant, sed teneri apud iudicem, qui cognoscere coeperat, iudicium suscipere. Carol.Ant. de Rosa *prax. ciuil. par. I. cap.* 2. *dist.* 3. *n.* 32.

§. VI. Porro clericus, qui apud iudicem laicum experitur, reconueniri apud eumdem iudicem recte potest, etsi alias agentis iudex esset incompetens. Sane statuit Iustinianus, licere iudici, qui reum absoluerit, actorem e contrario condemnare, si reus vicissim ab eo aliquid petierit, nihil obstante exceptione, quod iudex agentis incompetens esse cognoscatur, *L.* 14. *C. de sententiis & interlocutionibus*. Iuris ciuilis regula de reconuentione apud eumdem iudicem iisdem paene Iustiniani verbis sub Zephyrini papae ficto nomine apud Gratianum refertur, *can.* 1. *C.* 3. *q.* 8., & in decretalibus pontificum probatur, *cap.*1. *& seq. ex. de mutuis petitionibus*. Hinc iudicio reconuentionis victus clericus sententiae iudicis laici, vbi ea transiit in rem iudicatam, parere debet, alias im-

implorata episcopi manu in eum exsecutio etiam per personae coactionem fiet.

§. VII. Quod vero spectat ad caussas criminales, etsi in Gallia & multis aliis christianis prouinciis clericorum grauia crimina a iudicibus regiis puniantur; tamen in regno Neapolitano pauca crimina sunt, quae clericos foro saeculari addicunt. Tale est crimen laesae maiestatis, quod Rex Gulielmus II. dum fori priuilegium clericis confirmavit, nominatim excepit, & ciuili imperio reseruauit. *Const.* de personis *tit. vbi clericus in maleficiis debeat conueniri*. Cui constitutioni non derogauit Carolus II. Andegauus in cap. *item statuimus XCIV.* quo statuitur, vt clerici in omnibus caussis & ciuilibus & criminalibus, exceptis feudalibus, coram ecclesiastico iudice conueniantur & iudicentur; quod supra *cap. IV.* obseruatum est.

§. VIII. Praeterea in crimine *assassinatus* seu *assassinii* clerici in foro laico puniuntur, vtpote qui crimine admisso cadunt ipso iure fori priuilegio, *cap.* I. *de homic. in 6.* Assassini in specie sunt, qui in caedem hominis suas locant operas, aut conducunt alienas (*a*). Disputabatur vero, vtrum iudex laicus de assassinii qualitate poterat iudicare, an oporteret, sententiam iudicis ecclesiastici praecedere, quae clericum crimen admisisse declararet, vt ita laicus iudex in clericum procederet. Sed tandem in nostro regno pactis conuentis inter Benedictum XIV. & Carolum olim Regem nostrum *cap. III. n.* 3. placuit, vt si clericus assassinii reus habeatur, & laicus iudex capturam praeueniat, captum carcere saeculari ecclesiae no-

 mine

(a) Assasini erant populi, qui in montibus Phoeniciae morabantur, vbi satis munita habebant castra, quod Carolus Dufresnius *in gloss. mediae & inf. Latinit. v. assasini* docet. Eorum opera Sarraceni vtebantur ad occidendos ex insidiis christianos principes, vt eorum morte belli patrii molem a se auerterent. Alteserra *de iurisdict. ecclesiast. lib. V. cap.* 3. Inde assasinorum appellatio translata est ad sicarios, homicidas, grassatores omnes, praesertim eos, qui in caedem hominis suas locant operas, aut conducunt alienas, vt post alios mox laudatus Dufresnius obseruat.

mine detineat, & acta iudicialia conficiat; sed antequam ad sententiam deueniat, ea intra menses quatuor ad forum mistum Neapoli constitutum transmittat, cuius erit cognitis actis, reoque audito, super qualitate assassinii pronuntiare.

§.IX. Item iisdem pactis conuentis *loc. cit. n.4.* placuit, vt clerici, aut aliae personae ecclesiasticae, qui res regiis tributis obnoxias, vulgo *controbandi*, deferunt, sint persona tuti, res vero deperdant.

§. X. Illud commune est tam criminalibus, quam civilibus contra clericos iudiciis, vt facti quaestio, vtrum quis clericus sit, nec ne, quae apud iudicem laicum incidat, apud eumdem agitari debeat: quod ius in plerisque locis seruatur contra expressam decretalium sententiam, qua cognitio illa ecclesiastico iudici tribuitur, *cap. 12. de sentent. excommunicationis in 6.* Viget idem ius in regno Apuliae, vbi ritibus Magnae Curiae comprehensum est, vt si quis clericus apud iudicem laicum conventus, velit clericatus exceptione illius iurisdictionem declinare, debeat coram eodem *principaliter* (b) comparere, & legitima sui clericatus documenta ostendere, vt ita iudex de proposita exceptione cognoscat, *ritu CCXXXV. M. Curiae*. Sane facti quaestio haec est, & quae facti sunt, temporalia esse non ambigitur. Item quisque origine sua subiectus est publicae iurisdictioni eius loci, in quo moratur: ac proinde si vocetur a magistratu, debet comparere priuilegia sua allegaturus, *L. 2. D. si quis in ius vocatus*, alias confusio in ciuitatem induceretur. Dum vero iudex apud nos de exceptione clericatus cognoscit, statim ac reum clericum esse animaduertit, eum ad proprium iudicem transmittere debet, etsi cetera iudicii sollemnia deficiant.

CA-

(b) Videtur tamen id intelligendum secundum regulas iuris communis, vt in criminalibus cogatur clericus *personaliter* coram iudice laico comparere ad sua probanda priuilegia; nam in caussis ciuilibus nulla esse potest ratio, cur non liceat clerico, se per procuratorem tueri. Rapol. *de iure regni par. I. lib. 1. cap. 7. n. 11.*

CAPVT VIII.

De caussis episcoporum.

§. I. Videndum modo coram quo iudice examinandae & tractandae sint episcoporum caussae. Exploratum est, ex veteri disciplina caussas ecclesiasticas contra episcopos in synodis prouincialibus iudicari consueuisse, etsi illi de gradu suo deiici, aut de vna in aliam ecclesiam transferri deberent. Certe synodus Nicaena *can. V.* omnes caussas in prouincia exortas in eiusdem prouinciae synodo definiri iubet: quo canone etiam caussas contra episcopos comprehensas fuisse synodus generalis Constantinopolitana *can. II.* & Africani patres *can.* 138. C. *Afr.* docent. Eamdem disciplinam proponit concilium Antiochenum *can. XIV. & seq.*, immo ipsa synodus Sardicensis, quae etsi tribuat episcopo Romano ius decernendi, an caussa in prouincia debeat retractari; tamen aperte habet, criminales episcoporum caussas ad prouincialis synodi audientiam pertinere. Conc. Sardic. *can. III. & V. ap. Dionys. Exiguum* (a).

§. II. Nec tantum episcoporum caussae, verum etiam ipsorum metropolitanorum in synodis prouincialibus tractabantur: erat quippe metropolitanus princeps synodi prouincialis, at eiusdem iudicio suberat. At institutis patriarchis, quorum auctoritas in plures prouincias exten-

(a) In Africa ad tractandas caussas contra episcopos veluti extraordinaria synodus, quae duodecim episcopis constabat, cogebatur, *can. 3. & seq.* C. 15. *q.* 7. Ingens erat in Africanis prouinciis numerus episcoporum, vt permolestum esset in singulis criminalibus episcoporum caussis prouincialem synodum haberi: & hinc si extra statum habendae synodi tempus deferri episcopum contingeret, episcopi duodecim cum primate prouinciae conueniebant.

debatur, synodus Chalcedonensis caussas contra metropolitanos ad dioecesis exarchum, seu patriarcham, aut apud sedem Constantinopolitanam pro arbitrio conquerentium deferri voluit. Conc. Chalced. *can. IX. & XVII.* (*b*). Haec disciplina in Oriente, vbi multi erant patriarchae, facile obtinuit, non item in Occidente, vbi metropolitani etiam post synodum Chalcedonensem in synodis provincialibus iudicati sunt. V. Dupin. *de antiq. eccles. discipl. diss. II. cap.* 1. §.4. Nimirum in Occidentis dioecesibus praeter Romanum pontificem, cuius patriarchalis potestas Romana dioecesi diu stetit inclusa, nulli alii erant proprie sic dicti patriarchae. At Romani pontifices etiam canonum Chalcedonensium praeiudicio primam cognitionem in caussis metropolitanorum sedi apostolicae tribuerunt. Greg. M. *lib. VIII. ep.* 8.

§.III. Disciplina, quae habet, caussas episcoporum in synodis prouincialibus tractari debere, per octo & amplius saecula obtinuit; inde sensim mutata est, & in Occidente caussae maiores episcoporum inter apostolica iura transierunt. Tantae mutationi caussam praecipue dederunt falsae decretales, quae initio noni saeculi opera Isidori Mercatoris sub nomine primorum pontificum in ecclesiae perniciem prodierunt. Nimirum in iis sub nomine Eleutherii, Iulii aliorumque pontificum edicitur, non licere synodis prouincialibus praeter sententiam Romani pontificis episcopos damnare, quod antiquis monumentis & ve-

(b) De hoc priuilegio sedis Constantinopolitanae eruditorum anceps iudicium. Alii ambitum Anatolii, episcopi Constantinopolitani, accusant, quasi eo spectantes canones ipse scripserit, & in synodo Chalcedonensi probari curauerit. Contra Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imperii lib. VII. cap.* 5. docet, sedi regiae vrbis pro arbitrio conquerentium tributum fuisse de metropolitanis Orientis iudicium, quod Constantinopoli erat synodus quaedam perpetua ἐνδημοῦσα Graecis dicta, quae componebatur ex episcopis, qui ex omnibus imperii prouinciis eo confluebant. Dupinus vero *diss. II. de antiqua ecclesiae disciplina cap.* 1. §. 4. tenet, priuilegium illud ad duas tantum dioeceses Asianam & Ponticam spectasse.

& veteris disciplinae vsui aduersatur; synodi enim provinciales per plura saecula episcopos inscio pontifice damnare consueuerunt. Quae doctrina diu dubia haesit (c), sed tandem exeunte saeculo decimo & deinceps vna cum falsis decretalibus ferme vbique per Occidentem recepta est: quin etiam in summa disciplinae corruptione synodi provinciales rariores euaserunt. Ita non tantum receptum, episcopos in synodis praeter pontificis auctoritatem non posse damnari; verum etiam eorum caussae, tamquam maiores, primo iudicio ad summum pontificem deuolutae sunt. Qua recepta disciplina in *dictatu* sub nomine Gregorii VII. *can. III.* veluti certum proponitur, solum papam *posse deponere episcopos, vel reconciliare*.

§. IV. Verum noua disciplina non omnes episcoporum caussas, sed tantum maiores summo pontifici addicit: quod ius exortum videtur ex antiquorum canonum & falsarum decretalium collatione. Nimirum canonum collectores, & praecipue Gratianus, codicibus suis & antiquos canones, qui generatim caussas contra episcopos synodis prouincialibus attribuunt, & falsas decretales, quae episcopos praeter pontificis auctoritatem non damnandos decernunt, inseruerunt. Hinc ad concordiam distinctum est inter caussas maiores & minores, quarum illae pontifici reseruatae sunt, hae synodis & metropolitanis relictae. Maiores caussae dictae sunt, quae deiectione a gradu puniuntur: minores vero, quae vel mitiorem correctionem merentur, vel rem pecuniariam spectant. Hanc disciplinam non obscure Innocentius III. probauit, qui tantum episcoporum translationem, depositionem & cessionem inter pontificis reseruata recensuit, *cap. 2. ex. de trans-*

(c) Proposita in falsis decretalibus doctrina de episcopis praeter summi pontificis auctoritatem non damnandis statim recepta non est. Etenim Gallicani antistites vbi animaduerterunt, nouis decretalibus iura metropolitanorum & synodorum prouincialium labefactari, iis canonicam auctoritatem denegarunt, quod non essent in codice canonum, (falsaria manus tum cognita non erat) & Romanis pontificibus Nicolao I. & Hadriano II. qui nouitates illas tuebantur, diu restiterunt.

translatione episcopi. Et tandem synodus Tridentina *ses. XXIV. de ref. cap.* 5. iamdiu inductam disciplinam confirmauit.

§. V. Iam vero mores & leges prouinciarum, quibus clerici in criminibus ciuilibus grauioribus iudicio & animaduersioni magistratuum subiiciuntur, praecipue spectant ad presbyteros & alios inferioris gradus clericos, non item ad episcopos: nam *hactenus non scimus*, inquit Espenius *par. III. tit. 3. cap. 4., ad episcopos laicam iurisdictionem ratione criminis, quantumuis atrocis, esse extensam*. Hinc in actis cleri Gallicani refertur Regis Galliae declaratio VI. calendas Maias anno CIƆIƆCLVI. emissa, qua habetur, iudicium contra episcopos in crimine laesae maiestatis instrui per iudices ecclesiasticos secundum canonicas sanctiones & formam in regno consuetam. Et id quidem recte in Gallia & in aliis prouinciis, vbi obtinet, ne quis etiam volens extra regnum ex quauis caussa iudicari possit: nam vbi tale ius non viget, nescio an principes patiantur, crimina laesae maiestatis ab episcopis admissa extra sui territorii fines vindicari.

CAPVT IX.

De conciliis.

§. I. HActenus de ecclesiastica potestate & foro competenti; dicendum deinceps de iudicibus, per quos potestas ista exercetur & explicatur, de conciliis nempe, aliisque tam ordinariis, quam delegatis iudicibus. Concilia in re ecclesiastica sunt conuentus catholicorum antistitum ad tractandum de fide & ecclesiastica disciplina rite conuocatorum. Graecis concilia dicuntur σύνοδοι, quod ex diuersis locis in eamdem viam locumque antistites conueniant. Ita ab ecclesia tamquam pars a toto concilia differunt; nam ecclesia est totius christiani populi, concilium vero tantum antistitum conuentus.

§. II. Concilia vero ecclesiastica vel sunt generalia, vel

vel particularia. Generalia, quae Graecis οἰκουμενικαὶ σύνοδοι dicuntur, ex totius christiani orbis episcopis celebrantur, quibusque summus pontifex ordinario iure, aut per se, aut per legatos suos praeest. Particularia, quae Graecis σύνοδοι τοπικαὶ *synodi locales* dicuntur, triplicis generis sunt, dioecesana, prouincialia & episcopalia. Dioecesana sic dicta a *dioecesi*, quae apud veteres saepe plurium prouinciarum ambitum comprehendit, ab episcopis & metropolitanis vnius dioecesis celebrantur. Accedunt vero ad dioecesanas synodos concilia regionalia seu nationalia, quae, deleto imperio Romano & mutata reipublicae forma, in regnis Occidentis celebrari coepta sunt, cuius generis sunt multa Gallicana & Hispaniensia. Prouincialia episcopi vnius prouinciae praeside metropolitano, & episcopalia vnius ecclesiae clerici praeside episcopo componunt (*a*).

§.III.

(a) Sunt vero aliae peculiares synodi, quae propriam veluti speciem constituunt, quales erant synodi perpetuae, & mistae seu regiae. Et quidem Constantinopoli perpetua veluti synodus morabatur, ἐνδημοῦσα, quasi *perpetua* & *popularis* dicta, quae praeside episcopo Constantinopolitano habebatur ab episcopis, qui ex vniuersis imperii prouinciis ob ecclesiasticas necessitates in aulam Imperatoriam confluebant. In ea difficiliores totius Orientis ecclesiasticae caussae tractabantur, quas vel ipse imperator episcopo Constantinopolitano committebat, vel quas conquerentes ad eum praesulem vltro deferebant. V. Thomass. *de vet. & noua eccles. discipl. par. II. lib. 3. cap. 43.* Romae quoque quotquot peregrini episcopi reperiebantur, cum pontifice & clero conuenire solebant, si qua grauis caussa occurreret, aut negotium aliquod expedire oporteret, cuius generis concilia multa in monumentis ecclesiasticis occurrunt.

Regia seu mista concilia, quae *placita*, *colloquia* & *conuentus* etiam dicebantur, ex regni optimatibus & comitibus, itemque ex episcopis & abbatibus coalescebant, ad res ciuiles & ecclesiasticas tractandas. Huius generis concilia frequentiora fuerunt in regnis Occidentis, quae ex ruinis Romani imperii emerserunt, vbi negotia publica in conuentu optimatum & episcoporum & abbatum tractari solebant: & inde nati in Gallia & Hispania misti conuentus, cuius generis sunt multa Gallicana

§. III. Concilia in ecclesia sunt apostolicae originis & institutionis, ea enim in expediendis negotiis ecclesiasticis, praecipue in controuersia de legalibus, apostoli ipsi adhibuerunt, *actor. XV.* Et profecto conueniebat ecclesiastico regimini, per Christum instituto, in plurimorum conuentu res ecclesiasticas tractari; siquidem apostoli in solidum ecclesiae regimen & administrationem acceperunt, Ioan. *XX. v.* 21. Partitio ecclesiae in paroecias de vnitate episcopatus nihil imminuit, sed tantum in rebus ordinariis & quotidianis gregis portionem singulis addixit, quae est Cypriani *de vnit. ecclesiae* doctrina. Ita vbi alicuius momenti negotia emergebant, ecclesia quatenus licuit, concilia celebrauit, praesertim quando certa erat, Christum ipsum adesse, vbi plures de eius nomine cogerentur.

§. IV. Primigenii iudices, vnde concilia, siue generalia, siue dioecesana, siue prouincialia coalescunt, episcopi sunt, quibus regimen ecclesiae primario demandatum est. Quod si ipsi conuenire ad concilium impediantur, possunt suas vices presbyteris, aut diaconis committere. Concil. Arelat. II. *can.* 18. *& seq.*, conc. Trull. *can. VII.* Vicarii isti eorum nomine, a quibus mittebantur, sententiam dicebant: sedebant vero in conciliis Orientis in iisdem locis, quibus sedere debuissent illi, vnde missi erant: contra in conciliis Occidentis post episcopos sedebant. In noua disciplina diaconi & presbyteri cardinales ex speciali priuilegio etiam in conciliis generalibus tamquam veri iudices sedent: quo eodem iure abbates consecrati, & superiores generales ordinum regularium vtuntur.

§. V.

---

cana & Toletana concilia. Rex ipse conuentum indicebat, at non in omnibus caussis vniuersi deliberabant: etenim de rebus mere spiritualibus tractabant tantum episcopi & abbates; de rebus temporalibus soli proceres; omnes vero conueniebant, si de rebus mistis tractare oporteret. Hinc. Remens. *epist. III. cap.* 35. Condita per synodos decreta principi debebant exhiberi, eademque a principe confirmata in Gallia *capitularia* audiebant.

§. V. Conciliis quoque siue generalibus, siue particularibus etiam presbyteri, diaconi & inferiores clerici interesse consueuerunt, eoque se conferebant vel inuitati, vel episcopos suos comitaturi. Et presbyteri quidem & diaconi scientia & eruditione praecellentes cum haereticis praesentibus disputabant (*b*), quo nomine Origenes Arabico, Malchion presbyter Antiocheno, & Athanasius diaconus Nicaeno interfuerunt. Euseb. *hist. eccles. lib.VI. cap.* 37. & *lib. VII. cap.* 28., Socrat. *lib.I. cap.* 8. Adventantes item episcopos diaconi in concilium deducebant. Et archidiaconus clericorum & reliquorum fidelium querelas ad synodum deferebat. Conc. Tolet. IV. *can.* 4. Ex reliquis clericis multi erant notarii, qui per notas & compendia verborum acta conciliorum celeriter scribebant.

§. VI. Praeterea synodis fideles laici, ipsique principes & magistratus interesse consueuerunt; quamuis labentibus annis non omnibus promiscue fidelibus concessum synodis particularibus interesse, idque fortasse ad turbas euitandas; inualuit enim mos synodos habere clausis ecclesiae ianuis, & ad conuentum tantum admitti laicos, qui electione concilii interesse meruissent. Conc. Tolet. IV. *can.* 4. Aderant vero principes aliique fideles in fidei tractatibus & decisionibus, at vbi canonica contra clericos iudicia tractabantur, discedebant, qui mos praesertim in Oriente obtinuit. Thomass. *diss.XII. in conc.Chalced. n.*46. *seqq.* Sed praesentes synodis principes aliique christiani non dicebant sententiam, sed potius discebant, item-
que

(b) Presbyteri veteri stante disciplina etiam tamquam iudices in multis conciliis suffragium dedisse videntur, quod constat ex nonnullis subscriptionibus, quae eos iudices fuisse aperte probant. V. Habert. *not. in libr. pontif. Graecor. p.* 175. Et quae ratio impediebat, presbyteros in conciliis iudices sedere, quando in conuentu de legalibus vna cum apostolis iudicarunt? Quidquid vero huius rei sit, presbyteri in noua disciplina in conciliis iudices non sedent, soloque doctrinae suffragio donantur, tantumque in concilio Basileensi ad iudiciale & plenum suffragium admissi sunt.

que principes & magistratus ordinem conseruabant, & ab episcopis dictatam fidem auctoritate sua confirmabant.

§. VII. Quae in synodis ecclesiasticis tractari consueverunt, ad tria ferme capita reducuntur, fidem nempe, disciplinam, & iudicia siue criminalia, siue ciuilia. Ante omnia, quae fidei erant, ex antiquis regulis tractabantur, inde ordine suo sequebantur disciplinae ordinatio, & iudicia canonica. Mediis vero saeculis vbi potestas ecclesiastica positos a patribus fines egressa est, concilia in Occidente etiam res ciuiles ventilare & decernere coeperunt. Res fidei in conciliis generalibus definitae omnino certae sunt, at decreta circa disciplinam non semper meliora proponunt. Sed moribus iamdiu receptis synodi prouinciales & episcopales de rebus fidei ferme nihil tractant, & iudicia extra synodos agitantur.

§. VIII. Ordinarius autem habendis conciliis ecclesiasticis locus ecclesia est, quod ex antiquis monumentis constat. Mendoza *not. in conc. Illiberit. cap. IX.* Nomen vero ecclesiae latiore sensu in hac caussa accipitur, vt etiam exedras seu ecclesiae adiacentia aedificia complectatur. Et profecto in basilicae secretario concilia Carthaginiensia tertium, quartum, quintum & sextum habita sunt, & hinc ipsae conciliorum sessiones *secretaria* dictae sunt. V. Car. Dufresne *comm. in Paullum Silentiarium*. Item in baptisterio Sophiano celebrata esse concilia, synodus Chalcedonensis *act. I.* testatur (c). Sed etiam extra ecclesiam synodos licet habere, vt constat ex synodis sexta & quini-sexta, quae Constantinopoli in regiarum aedium laqueato cubiculo, quod *trullus* vocabatur, celebratae sunt. Cabass. *in notitia eccles. saec. I.*

§. IX. Praeterea sollemni forma rituque concilia haberi consueuerunt, vt ordine omnia fierent, & dignitas consessus seruaretur. Consessus in coronae formam instituitur, conc. Tolet. IV. *can.* 4., & in eo ex antiquis regulis epi-

(c) Leo Allatius *de consensu lib. II. cap.* 11. *& seq.* recenset aliqua concilia in catechumeniis celebrata, seu in porticibus in altum nauis ecclesiae positis, in quibus tempore celebrationis sacrorum officiorum mulieres a viris secretae morabantur.

episcopi primo ordine sedent, seruata ecclesiarum & ordinationis suae praerogatiua: nobiliorem vero locum occupat, qui synodo praeest. Sed in praesenti disciplina ante episcopos sedent cardinales, etsi non episcopi, vt enim praesentes mores habent, cardinales supra patriarchas reputantur. Post episcopos abbates consecrati sedent, & inde generales ordinum religiosorum praepositi. Presbyteri in conciliis, siue generalibus, siue prouincialibus à tergo episcoporum sedent, diaconi & reliqui clerici adstant; at presbyteri in synodis vnius episcopatus vno consessu cum episcopo sedent secundum suae dignitatis ordinem (*d*). Omnes sacris vestibus & cuique gradui propriis induti consessum exornant. In medio consessus sacer thronus collocari consueuit, cui duo codices impositi, euangeliorum vnus, alter canonum, vt ad eos veluti ad lydios lapides inde dogmata fidei, hinc morum & disciplinae regulae explorari possent. Reliquiae quoque & imagines sanctorum ad synodos delatae, vt consessus sacratior videretur. Sic disposito consessu funduntur preces, & tum actiones conciliares incipiunt.

§. X. Concilia de veteri more, etiam posteriore aetate retento, per acclamationes finem habere solent, easque patrum subscriptiones sequuntur. Subscriptiones eo ordine institutae, quo patres in synodis sederant: ante omnes vero subscripserunt pontificis legati, licet presbyteri & diaconi essent. Qui suffragium habebant, tamquam iudices subscribebant, qui vero suffragio destituti conciliis aderant, subscriptione sua veris suffragiis accedebant. Missa item sunt concilia ad episcopos absentes, vt illis subscriberent, & aliquando etiam ad monachos sanctitatis laude insignes. Euagr. *lib. II. cap. 9. seq.* Ipsi quoque principes conciliis non semel subscripserunt, non quidem tamquam iudices in caussis fidei, sed tamquam synodalibus decretis adhaerentes, eaque confirmantes.

§. XI.

(d) Dignitas ex regulis veteris disciplinae ab antiquitate ordinationis censebatur; at nouis moribus, qui iurisdictionem aut dignitatem obtinent, ceteris praeferuntur: inde sedent parochi secundum tempus, quo parochiis aucti sunt.

§. XI. Sed persequamur nunc singulas conciliorum species, quid singulis proprium insit, enarraturi. Et vniversalia quidem concilia a totius christiani orbis episcopis celebrantur. *Orbis* autem *christianus* & *οἰκουμένη terra, quae habitatur*, apud veteres ipsum Romanum imperium designant. Luc. *cap. II. v. 1., L. 9. D. ad L. Rhodiam de iactu*. V. Suicer. *v. οἰκουμένη*. Hinc oecumenica seu generalia concilia veteribus erant, quae ex omnibus imperii Romani prouinciis habebantur, quod Iustellus *not. in C. eccles. Afric. can.* 18. aliique viri docti obseruant. Qui erant in barbarico episcopi, non facile poterant conuenire, quamuis Nicaeno concilio Persidis episcopus & Scythiae adsuerint. Euseb. *de vita Constantini cap. VI.* Verum labentibus annis primum schismate Graecorum, inde haeresibus Occidentis concilium generale ex episcopis Occidentis, qui cum ecclesia Romana communicant, coaluit, & ita potius patriarchale quam generale censendum est, quod de ipso concilio Tridentino Christ. Lupus *schol. in dictat. Gregorii VII. can. XVI.* obseruat.

§. XII. Secundum veteres regulas ad generale concilium vniuersi christiani orbis episcopi debent inuitari; at non est necesse, vt omnes conueniant; sufficit multorum ex omni ecclesia praesentia. Praesertim adesse generali synodo debebant maiorum gentium patriarchae, qui si adesse vetabantur, satis erat mittere legatos & litteras dogmaticas, quibus se & suas patriarchales synodos omnibus actis & agendis communicare & consentire testarentur. Illud vero exploratum est, iure non haberi generalia ecclesiae comitia, si summus pontifex non consentiat, & praestet auctoritatem. Sed ipsa pontificis praesentia, non est necessaria, sed sufficit eius legatos adesse. Quod si ecclesia Romana schismate laboret, aut summus pontifex sit dubius, aut haereticus, detentus, mentecaptus, aperte simoniacus, aut in perniciem vniuersae ecclesiae actiones suas dirigat, concilium etiam absque papa recte habetur. V. Bossuet. *defens. declarat. lib. III. cap. 1.*

§. XIII. Quo autem ex christiano orbe episcopi conveniant & synodum celebrent, indictio legitima praecedat oportet. In veteri disciplina synodos oecumenicas indixe-

dixerunt christiani imperatores missis diualibus litteris ad metropolitanos & patriarchas, qui sibi subiectis episcopis mox celebrandam synodum denuntiabant, quod argumentum Io. Launoius *lib. VI. epist.* 1. *seqq.* fuse pertractat (e). Indicentes vero imperatores concilia etiam litteras tractorias dabant, quibus ad iter faciendum & expensas necessarias episcopis opus erat. Sed post saeculum octauum Orientis imperio ab Occidentali penitus seiuncto, itemque ipso Occidente in varia regna diffecto, non erat amplius in vnius principis potestate omnes christiani orbis episcopos in vnum concilium conuocare, quin nec solidi Occidentis, in quo multa regna potestatem imperialem excusserunt. Ita post saeculum decimum generalia concilia Occidentis pontifices Romani indixerunt. Conciliis vero a pontifice indictis etiam principes debent consentire, quo facilior sit eorum celebratio, episcopis egredi regnis & prouinciis liceat, & spiritualis ecclesiae auctoritas temporali gladio fulciatur. Quod si schismate Ro-

(e) Non leuis disputatio est, quo iure olim imperatores synodos generales indixerint. Graeci scriptores, & ex catholicis Richerius & Febronius contendunt, ad iura imperatoris pertinere synodum generalem indicere. Ex aduerso Baronius, Thomassinus, Nat. Alexander aliique magno numero docent, semper summi pontificis proprium fuisse generalia concilia conuocare: & si priora oecumenica concilia ab imperatoribus conuocata sint, id facto potius, quam iure gestum interpretantur, & facto quidem, cui ecclesiae aut pontificis auctoritas praeluxit, aut accessit. Nimirum facile non erat in veteri disciplina sine auctoritate imperatoris generalia concilia celebrari; per publicas leges conuentus agitare principe non concedente erat interdictum, litteris tractoriis ab imperatore datis ad iter faciendum & necessarias impensas episcopis opus erat, & sacra ecclesiae potestas temporali imperio erat sustinenda. Hinc factum, aiunt, vt ecclesia synodos ab imperatoribus impetraret, vel principibus illas indicentibus adsentiretur. Medius inter has sententias Io. Launoius docet, indictionem non pertinere ad naturam conciliorum, & disciplinae exterioris, non dogmatis esse, quis concilia generalia indicat.

Romana ecclesia laboret, concilium alias necessarium indicunt cardinales, sed principibus consentientibus. Certi quoque iuris est, ipsam generalem synodum, antequam dissoluatur, aliam sequentem indicere posse.

§. XIV. Iam vero auctoritas summi pontificis generalibus conciliis necessaria, ei ius tribuit, siue per se, siue per legatos conuentui praesidendi: quae προεδρία in veteri disciplina, quae spiritualia erant, spectabat. Concilium oecumenicum vniuersalem repraesentat ecclesiam, cuius ecclesia Romana centrum est: atque ideo qui inter episcopos speciali praerogatiua fulget, etiam generali concilio debet praesidere. Praesidet vero summus pontifex cum relationis & suffragii praerogatiua. Et hinc in conciliis, antequam ad res propositas definiendas gradus fieret, litterae pontificis, quae in consessu episcoporum coram beatissimo apostolo Petro conditae erant, legebantur. Referre autem & censere oportet pontifices secundum receptam fidem & antiquam traditionem, quae sincerius in ecclesia Romana semper seruata est. Sed tum per synodos receptae fuerunt litterae pontificis, quum instituto examine constabat, illas ex recta fide & disciplinae regulis scriptas fuisse: quod cardinalis Cusanus *de concord. lib. II. cap.* 17. obseruat.

§. XV. Generalia concilia celebrari debent ex graui & necessaria caussa, quae magnas inter se ecclesias scindat, nec par aliter restitui posse videtur, nisi ecclesiae vniuersae auctoritate. Quid magis rationi contrarium, quam ob leues quaestiones sollicitari christianum orbem, & ecclesias suis pastoribus destitui? Hinc in veteri disciplina nullum certum tempus habendis generalibus ecclesiae comitiis definitum est; sed tantum emergentibus caussis extra ordinem indici consueuerunt. Sed lapsa in Occidente ecclesiastica disciplina, frequens & veluti ordinaria generalium conciliorum celebratio necessaria visa est, vt malis, quae disciplinam penitus corruperant, occurreretur. Ergo synodi Constantiensis *ses. XXXIX.* & Basileensis *epist. ad Eugenium papam* edixerunt, vt concilium generale *de decennio in decennium* celebraretur. Sed decretum hoc, vtpote tempori aptatum, effectu caruit.

§. XVI. Synodus generalis vniuersam repraesentat ecclesiam;

clesiam; coalescit enim ex christiani orbis episcopis, qui ecclesiis particularibus praesunt. Hinc decreta synodi generalis rite & ordine celebratae in rebus fidei & doctrina morum certam fidem faciunt, vtpote quae placita sunt vniuersae ecclesiae, contra quam in rebus fidei portae inferi non praeualebunt. *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, inquit synodus Hierosolymitana apostolorum, *actor. XV.* 28. Quibus verbis constat, Spiritum Sanctum conciliis adesse, & fidei decreta dirigere. Inde Gregorius M. apud Gratianum *can.*2. *D.* 15. protestatur, se veluti euangelii quatuor libros quatuor priora oecumenica concilia suscipere & venerari. At si patres in conciliis de quaestionibus facti, aut de rebus politicis & physicis tractent, & decreta condant; non diuina, sed humana auctoritate definitiones illae nituntur.

§. XVII. Iam vero vtrum synodus oecumenica supremum in ecclesia auditorium constituat, cui summus pontifex etiam subiaceat, an potius pontifex supra synodum sit, magnis animis controuertitur. Antiquiores ex schola theologi & deinceps alii magno numero pontificem supra concilium extollunt, idque *esse fere de fide* Bellarminus *de concil. lib. II. cap.* 17. pronuntiat. Contra theologi Gallicani, totius cleri professioni adhaerentes, tenent, supremam in ecclesia potestatem esse penes concilium generale, & idcirco ipsum pontificem ab eo iudicari posse in caussis haeresis, schismatis & in articulis, qui ad vniversae ecclesiae statum spectant. Medius inter vtramque sententiam cardinalis Cusanus *de concord. lib. II. cap.*20. docet, synodum oecumenicam vniuersi christiani orbis, quae in veteri disciplina coalescebat, pontifice esse superiorem, non vero synodum plenariam Occidentis, quae origine sua patriarchalis tantum est, sed propter schisma Graecorum generalis censetur. Disputatio ista praeiudicialis est; inde enim pendet altera controuersia, vtrum concilia generalia rite celebrata, quo rata & firma sint, summi pontificis confirmatione indigeant, an potius vi sua consistant. Sed non patitur nostri instituti ratio theologica ista consectari.

§. XVIII. Synodis generalibus succedunt synodi dioecesanae, quae ex vnius dioecesis, seu plurium prouincia-

rum inter se adnexarum episcopis habentur (f). Sunt vero huiusmodi synodi aliae patriarchales, aliae in specie dioecesanae, prout nempe dioeceses habebant, aut non habebant patriarchas. Patriarchales erant in Oriente, cuius dioeceses suberant patriarchis: contra in Occidente dioecesanae erant Gallicanae & Hispanienses, & fortasse etiam Carthaginienses; nam olim dioeceses Occidentis, excepta Romana dioecesi, proprie sic dictos patriarchas

(f) Concilia dioecesana a partitione Romani imperii in dioeceses originem ducunt, at in adsiduam & ordinariam iurisdictionem abierunt, postquam vnius dioecesis prouinciae ecclesiasticae exemplo ciuilis politiae inter se adnexae, communi consilio negotia administrare coeperunt. Id in ecclesia Orientali factum est synodi Constantinopolitanae auctoritate, quae ecclesiam Orientalem in quinque dioeceses partita est, & vnicuiusque dioeceseos synodo potestatem tribuit administrandi negotia omnia prouinciarum dioecesis, sed sub exarchi seu patriarchae gubernatione. Conc. Constantinop. I. *can.* 2. Ita in Oriente receptae synodi dioecesanae, praesertim vbi Theodosius iunior innouatae politiae consensit, *L.* 46. *C. Th. de episc. & clericis*. Et inde in actis concilii Ephesini memoratur *sancta synodus dioecesis Orientalis*, itemque *synodus ex dioecesi Aegyptiaca Alexandriae congregata*.

Petrus de Marca *de conc. sacerd. & imp. lib. VI. cap.* 26. tenet, synodum Constantinopolitanam tribuisse ecclesiam Orientalem in dioeceses praeiudicio legis imperatoris Gratiani, quae anno CCCLXXVI. lata concessit, vt caussae ecclesiasticae de more caussarum ciuilium *locis suis & a suae dioeceseos iudicibus audiantur*, *L.* 23. *C. Th. de episcopis & clericis*. Scilicet inde concludit vir doctus, hac lege permissum fuisse iure ordinario synodos dioecesanas celebrari, quum antea extraordinario principis imperio haberentur. Verum synodus Constantinopolitana videtur potius ecclesiam Orientalem in dioeceses tribuisse, quia optimum videbatur, ciuili politiae ecclesiasticam respondere, quam ex legis Gratiani sententia. Certe lex ista ad Occidentem spectauit, praecipue vero ad Galliae dioecesim, nam Treuiris data est. Quidquid vero huius rei sit, Occidentis dioeceses exarchos, qui synodis iure ordinario praeessent, non receperunt, excepta dioecesi Romana, cui Romanus patriarcha, & forte etiam Africana, cui episcopus Carthaginiensis praesidebat.

chas habuisse non videntur. Synodi dioecesanae in antiquis monumentis dicuntur *maiores*, *vniuersales*, *plenariae*, *generales*, totius nimirum dioecesis: posteriore vero aetate *regionales* & *nationales*, quasi ab episcopis vnius regionis, seu nationis celebratae.

§. XIX. Celebratur synodus dioecesana a metropolitanis & episcopis vnius dioecesis, eique praesidet patriarcha, si dioecesis patriarcham seu exarchum habeat. Conueniebant autem metropolitani & episcopi, qui commode poterant interesse (*g*): quin in Africa, vbi singulis annis plenariam synodum habere placuerat, ne episcopi toties & tamdiu suis ecclesiis abesse cogerentur, statutum est, vt singulae prouinciae ad plenariam synodum de conciliis suis binos aut plures episcopos mittant, *can.* 18. *C. Afr. apud Dionysium Exiguum*. Quod si res magni momenti tractanda esset, praeter prouinciarum legatos maxima pars episcoporum etiam conueniebat, vt videre est in synodo sexta Carthaginiensi, in qua ad tractandam caussam de appellationibus ad sedem apostolicam septemdecim supra ducentos episcopi adfuerunt.

§. XX. Iam vero concilia patriarchalia in Oriente, vbi in ordinariam & adsiduam iurisdictionem abierunt, a patriarcha indicebantur, nec necessarius erat specialis prin-

(g) Ius, quo episcopi adigebantur ad synodos ordinarias frequentandas, ex ordinatione nascebatur; ordinatio enim ordinatos subiiciebat ordinatori: & hinc profectum est, vt *pertinere ad synodum* & *ad consecrationem* promiscue & passim dicantur episcopi, qui a primatibus suis dependent. *Nouel. CXXXVII.* V. Petr. de Marca *de concordia sacerdotii & imperii lib. I. cap. 7. n. 3.* Ergo in Oriente & Romano patriarchatu metropolitae conueniebant ad synodum dioecesanam iure ordinationis, quam a patriarcha accipiebant. Contra in Galliae & Hispaniae dioecesibus, vbi nulli erant patriarchae, qui metropolitanos consecrarent, non iure ordinationis metropolitani conueniebant, sed potius iussu principis, qui concilium indicebat: & in Africa ad synodum primates cogebantur instituto confoederationis; primates enim Africani ab exarcho Carthaginiensi non ordinabantur, nec iussu principis inuitabantur ad concilium.

cipis adſenſus. Similiter ſummi pontificis erat indicere ſynodum Italiae, quae a quinto ſaeculo ex duabus dioeceſibus, nempe Romana & Italica ſtricte ſic dicta, coepit coaleſcere (*h*): & ſynodum generalem Africae primas Carthaginienſis indicebat, *can. 96. C. Afric.* Sed in Gallia & Hiſpania principes ipſi concilia generalia indicebant; non enim dioeceſes illae habebant patriarchas, nec placuit tantum ius alicui metropolitanorum tribuere. V. Petr. de Marca *de concord. ſacerd. & imperii lib. VI. cap.* 17. *ſeqq.* Integrum interim erat ſummo pontifici praecipere, vt in Gallia, aut Hiſpania concilium haberetur, ſi eccleſiae neceſſitas poſtularet. Leo M. *ep. XV. ad Turrib. editionis Queſnellii*, Greg. M. *lib. VI. ep.* 10. At praecepta iſta pontificum de habendis ſynodis regiam indictionem non excludebant. Greg. M. *lib. VI. ep.* 113. *ſeq.*

§. XXI. Quouſque ſynodi dioeceſanae fuerunt extraordinariae, arbitrio principum, prout cauſſae grauitas expoſcebat, indicebantur; at vbi euaſerunt ordinariae, quolibet anno habebantur: quod ius in Oriente & in Occidente ſtatutum eſt. *Nouel. CXXXVII. cap.* 4., *can.* 18. *C. Africani*, conc. Agath. *can. LXXI.* Verum quod annua celebratione epiſcopi fatigarentur, placuit patribus Africanis, vt tum ſolum generale Africae concilium celebraretur, ſi dioeceſis totius neceſſitas poſtularet, *can.* 95. *C. Afr.* Et in Hiſpania & Gallia regula de habendis

(h) Synodus ordinaria Romani pontificis longo annorum curſu epiſcopos ſolius Romanae dioeceſis, quae in decem prouincias extendebatur, complexa eſt. Quod vero prouinciae huius dioeceſis praeter pontificem alios non haberent metropolitanos; ſynodus pontificis potius metropolitica, quam patriarchalis fuiſſe videtur. At quinto exeunte ſaeculo ſynodo Romanae dioeceſi acceſſit ſynodus Italicae dioeceſis ſtricte ſic dictae, cuius metropolis erat Mediolanum, & ita ſynodus Romani pontificis euaſit patriarchalis. Nimirum hac tempeſtate iam receptum erat, vt Mediolanenſis & Aquileienſis antiſtites ex conſenſu Romani pontificis ordinarentur, *can.* 33. *C.* 29. *q.* 1. Quod probat, eos ad Romanam ſynodum pertinuiſſe.

dis vnoquoque anno synodis in vsum deducta non videtur, & potius pro necessitate ecclesiae indictae sunt. Verum dioecesana & nationalia concilia iamdiu celebrari desierunt (*i*).

§.XXII. Quod vero spectat ad negotia, quae in conciliis dioecesanis tractari solebant, ea in primis fuerunt caussae communes, quae scilicet ad totam dioecesim spectabant, *can.* 15. *C. Afr.*, siue fidei, siue disciplinae essent. *Si caussa fidei est*, inquiunt patres concilii Toletani IV. *can.* 3., *aut alia ecclesiae generalis, totius Hispaniae & Galliae synodus conuocetur*. Ea vero ratione tantum caussae communes ad synodos dioecesanas pertinebant, quod singulis prouinciis sua erant concilia prouincialia, in quibus caussas singularum prouinciarum tractari oportebat. Synodi quoque dioecesanae canones, quibus ordinabatur disciplina, condebant, & definitiua supremaque sententia

 ab-

(i) Concilia dioecesana in Occidente summa auctoritate negotia ecclesiastica vsque ad nonum saeculum administrarunt, inde sensim ferme nullius vsus euaserunt. Cui desuetudini multum contulerunt falsae decretales ea vulgata doctrina, concilia haberi non posse sine sedis apostolicae auctoritate, itemque illa, ad Romanum pontificem pertinere omnium ecclesiarum etiam ordinariam & episcopalem sollicitudinem. Etenim vbi eiusmodi doctrinae in vsum abierunt, concilia prouinciarum Occidentis, neglecta regum iussione, habita sunt praesidentibus Romanis legatis, qui ferme pro arbitrio negotia in conciliis disponebant, aut ea, tamquam difficilia, summo pontifici reseruabant vnico suffragio suo, quod collectis totius synodi suffragiis aequiualebat. Petr. de Marca *de concordia sacerd. & imperii lib. VI. cap.* 30. *n.* 4. Sic deminuta & tantum non deleta episcoporum potestate, synodorum celebratio neglecta est, praesertim quando iudicia a legatis in synodis lata per appellationem Romam deferebantur, vbi interdum parte altera inaudita mittebantur in irritum: quod ferme nullius vsus prouinciarum synodos reddebat, vt Iuo Carnotensis *epist. XCV.* obseruauit. Accessit noua disciplina, quae vni pontifici caussas maiores reseruauit, & ita generalia prouinciarum concilia celebrari desierunt.

absoluebant caussas omnes ecclesiasticas, quae in dioecesi exortae erant.

§. XXIII. Praeterea singulae prouinciae ecclesiasticae suam habent prouincialem synodum, ad quam totius provinciae episcopi conueniunt. Eam indicit metropolitanus, qui ceteros prouinciae episcopos auctoritate antecellit, nec enim sine illius iussu & admonitione episcopis licet conuenire. Conc. Nicaen. *can.V.* conc. Antioch. *can XX.* Idem porro metropolitanus, qui indicit, synodo praeest: qui enim principatu quodam inter iudices viget, necessario debet consessui praesidere. Metropolitani vero *προεδρία praesidentia* nihil de iure episcoporum deminuit, atque ideo plurimorum sententia debet praeualere, quod Nicaeni patres *can. VI.* statuerunt.

§. XXIV. Concilio per metropolitanum stato die indicto episcopi prouinciae tenentur interesse, nisi legitimis caussis, veluti infirmitate, aut iussione regia, impediantur, *can.* 18. *D.* 18.; absentes vero sine legitima caussa fraternae correptioni erant obnoxii, conc. Chalced. *can. XIX.*, aut per integrum annum *missas facere interdicebantur*, conc. Aurelian. III. *can.* I., aut communione omnium episcoporum vsque ad futuram synodum priuari solebant, *can.* 14. *D.* 18. Si vero in prouincia sint episcopi, qui nulli metropolitano subsint, aliquem vicinum metropolitanum semel eligere tenentur, in cuius synodo prouinciali cum aliis debent interesse, & eius decreta obseruare. Trident. *sess. XXIV. de ref cap.* 2. Conuenientes episcopi omnes iudices sunt, & suffragium ferunt, & inde *suffraganei* dicti. Prouincialibus quoque conciliis prouinciae abbates consecrati intersunt, & suffragium ferunt. Et iure decretalium inuitari debent canonici ecclesiarum cathedralium, quibus vel per se, vel missis vicariis licet interesse, *cap.* 10. *ex. de his, quae fiunt a praelato sine consensu capituli:* & moribus locorum etiam canonici collegiatarum, archipresbyteri aliique vocandi sunt. V. Espen. *par. I. tit.* I. *cap.* I.

§. XXV. Ex veteris disciplinae regulis synodum prouincialem semel & iterum quotannis in singulis prouinciis celebrari oportebat, conc. Nicaen. *can.V.*, Antioch. *can.XX.*, primusque conuentus pro varietate ecclesiarum habe-

habebatur vel ante quadragesimam, vel quarta hebdomada post festum paschae; alter mense Octobris, seu autumni tempore. Deinceps Iustinianus *nouel. CXXXVII. cap.* 4. edixit, vt saltem quotannis in qualibet prouincia synodus haberetur, quam disciplinam synodi Trullana *can.VIII.* Nicaena II. *can.VI.* & Innocentius III. in concilio generali *cap.VI.* confirmarunt. Et demum Tridentini patres *sess.XXIV. de ref. cap.* 2. synodum prouincialem tertio quoque anno celebrari iusserunt. Sed a pluribus saeculis synodi prouinciales raro admodum celebratae sunt: quae cessatio praesertim contigit, postquam synodalia iudicia frequenter retractari coepta sunt, & caussae maiores solius pontificis Romani iudicio cesserunt.

§. XXVI. Synodus prouincialis supremum prouinciae auditorium in veteri disciplina constituebat, in quo caussae contra episcopos & omnia negotia maioris momenti, quae in prouincia contingebant, tractabantur, siue ad fidem, siue ad disciplinam pertinerent. Hinc fidei quaestiones, iudicia contra episcopos, eorum translationes, cessiones, nouarum cathedrarum erectiones, vt antiquarum diuisiones, coadiutorum episcopalium constitutio in synodo prouinciali tractabantur. Eadem quoque synodus pro iure suo canones ad disciplinam spectantes condit: erratque profecto Gratianus initio *D. XVIII.*, dum docet, integrum esse conciliis episcopalibus caussas iudicare, & criminibus debitas poenas irrogare, non tamen nouos canones condere; auctoritas enim canonum condendorum pendet ab ecclesiae regimine, quod Christus episcopis demandauit. Haec origine sua erat synodi prouincialis potestas, at in noua disciplina caussae maiores solius pontificis iudicio cesserunt, & potestas synodi prouincialis ferme circa disciplinae emendationem & minuta episcoporum delicta versatur.

§. XXVII. Iam vero vt concilia prouincialia rata & legitima sint, sufficit metropolitani indictio & auctoritas, qua *το κῦρος firmitas* rebus agendis tribuatur; nec ex antiquis regulis ad ea celebranda iussu, aut adsensu pontificis opus erat. At vbi in scenam prodierunt falsae decretales, auctoritas metropolitanorum labefactari coepta est, noua proposita doctrina, non esse rata cuiuscumque

generis concilia fine pontificis auctoritate celebrata, *can.* 1. & 2. *D.* 17. Vna cum falsis decretalibus doctrina ista in vsum versa est, praesertim post Gratianum, a cuius tempore vix vlla concilia prouincialia, aut dioecesana in Occidente habita sunt sine Romani pontificis auctoritate, cuius legati in Occidentis ecclesias frequentes missi, & conciliis praesidebant, & negotia ferme omnia pro arbitrio procurabant. V. Petr. de Marca *de concordia sacerd. & imperii lib.VI. cap.*30. Sed tandem decreto Tridentinae synodi *ses. XXIV. de ref. cap.* 2. antiqua libertas restituta est, datumque fuit metropolitanis pleno iure singulis trienniis synodos prouinciales celebrare.

§. XXVIII. Sed an concilia prouincialia, quae inscio pontifice in noua disciplina celebrantur, saltem ante publicationem confirmatione pontificis indigeant? Et nulla videtur opus esse confirmatione; etenim Tridentini patres statuerunt, vt singulis trienniis synodus prouincialis libere celebretur. At hanc libertatem Sistus v. quodammodo infregit, qui acta synodorum ante publicationem ad congregationem cardinalium, quae interpretandae synodi Tridentinae praeest, mitti praecepit, non quidem ad confirmationem, sed ad emendationem, vt nempe corrigerentur, si opus esset correctione. Ita per Sisti constitutionem *vis aperta* synodo Tridentinae illata est, inquit Petrus de Marca *de concordia sacerd. & imperii lib.VI. cap.* 14. *n.* 22 Ergo in ecclesiis Occidentis inualuit, vt concilia prouincialia ante publicationem Romam mitterentur, & inde vt plurimum emendata redirent. Multi vero metropolitani vlterius progressi sunt, & suas synodos confirmandas Romam transmiserunt. V. Benedict.xiv. *de synodo dioecesf. lib. XIII. cap.* 3. *n.* 4.

§. XXVIII. Synodi prouincialis constitutiones de more publicatae per vniuersam prouinciam obligant; totius enim prouinciae administratio metropolitano eiusque synodo competit. Ipsi exemti de episcoporum iurisdictione in rebus non exemtis etiam statutis synodi prouincialis obedire tenentur. V. Fagnan. *ad cap.* etsi membra *ex. de his, quae fiunt a praelato sine consensu capituli*. Publicari vero debebant decreta synodi prouincialis in synodis episcopalibus, *cap.* 25. *ex. de accusationibus*, quas, non secus

cus ac concilia prouincialia, singulis annis oportebat celebrari. Verum publicatio facienda non est, nisi praeuiis regio adsensu & confirmatione.

§. XXIX. Inter synodos vltima species est episcopalis, seu *dioecesana*, vt in noua disciplina dicitur. Ea est conuentus presbyterorum & clericorum episcopo praeside, in quo de rebus ad curam pastoralem pertinentibus tractatur & deliberatur. Quod vero synodorum celebratio spirituali potestati & iurisdictioni adhaeret, episcopus pro iure suo conuentum indicit, celebratque, *can.* 16. *D.* 18., & quidem antequam consecretur, modo confirmatus sit. Praelati quoque inferiores, qui dioecesim separatam & quasi episcopalem iurisdictionem habent, etiam synodum cogere possunt, modo expressum habeant sedis apostolicae priuilegium, quod in vsum deductum sit. Card. Petra *tom. V. sect.* 2. *n.* 104. *seq.* Item vicario capituli sede vacante ius est celebrandae synodi, modo annus dilapsus sit a synodo per episcopum celebrata. V. Benedict. XIV. *de synodo dioeces. lib. II. cap.* 9. *n.* 6. Vicarius vero generalis tum synodum indicit, celebratque, si speciali episcopi mandato donetur.

§. XXX. Non minus clerici, quam abbates ad synodum episcopalem vocandi sunt, *can.* 16. *D.* 18. Et clerici quidem in veteri disciplina praecipue erant parochi, qui generali *presbyterorum* nomine ad synodum vocantur, eisque praesentes exhibentur. Verum in noua disciplina praeter parochos ad synodum vocandi, qui dignitatem, aut personatum obtinent, item vicarius generalis, & sic dicti vicarii *fornanei*, qui in pagis & oppidis episcopatus ad caussas leuioris momenti decidendas constitui solent. Vocandi quoque ex receptiore sententia ecclesiae cathedralis canonici, qui senatum ecclesiae repraesentant, itemque reliquarum collegiatarum canonici, & reliqui dioecesis beneficiarii, si id recepti mores habeant, aut de rebus ad vniuersum clerum spectantibus tractandum sit. V. Benedict. XIV. *de synodo dioeces. lib. III. cap.* 6.

§. XXXI. Abbates quoque, seu monachorum superiores ad synodum episcopalem pertinebant, erant enim episcopo subiecti, *can.* 16. *C.* 18. *q.* 2., eique de spirituali monachorum cura rationem reddere tenebantur: quamuis

in

in aliquibus ecclesiis abbates seorsum a clericis cum episcopo conuenirent, & synodum celebrarent. Conc. Antissiod. *can. VII.* Sed vbi monachi de episcopali iurisdictione subtracti sunt, obligatio abbatum conueniendi ad synodum cessauit, nisi monachi ecclesias parochiales & decimas haberent, quia harum nomine episcopo reddere rationes cogebantur. Interim ex nouis Tridentinae synodi regulis exemti omnes in dioecesi existentes, qui capitulis generalibus non subduntur, ad synodum accedere tenentur: quin ratione paroeciarum & aliarum ecclesiarum saecularium, etiam adnexarum, qui illarum curam gerunt, etiam monachi capitulis generalibus subiecti, synodo interesse coguntur. Trident. *sess. XXV. de ref. cap.* 2. Quicumque vero adesse debent, etiam exemti, ad officium poenis canonicis ab episcopo recte compelluntur.

§. XXXII. Iam ex veteris disciplinae regulis episcopalis synodus bis in anno habenda est, idque ad exemplum synodi prouincialis, cuius decreta in synodo episcopum publicare oportebat, *can.* 17. *D.* 18. Inde quum inualuisset, semel in anno synodum prouincialem debere celebrari, vna quoque inualuit, vt synodi episcopales semel quotannis haberentur, quamuis in aliquibus ecclesiis steterit disciplina de synodo bis in anno celebranda, *cap.* 25. *ex. de accusationibus*. Tandem synodus Tridentina *sess. XXIV. de ref. cap.* 2. annuam synodi episcopalis celebrationem praecepit. Sed proh dolor! nec vsu viget Tridentinus canon, immo in multis ecclesiis nec spatio quinquaginta & amplius annorum vllae synodi celebratae sunt: & hinc nihil mirum, si in diem ecclesiastica disciplina nouis abusionibus maculetur.

§. XXXIII. Satis ampla materiarum seges est, quas in synodis episcopalibus tractari & expediri canones iubent. Etenim in illis audiuntur & ex bono & aequo componuntur lites omnes ciuiles, quas siue clerici, siue laici intendunt: expenduntur ea, quae ad cuiusque mores & conuersationem spectant, & an vnusquisque clericus recte officio suo fungatur, *can.* 16. *D.* 18., conc. Aurelian. VI. *can.*4., & presbyteri de fide catholica episcopo reddunt rationes, capit. reg. Franc. *lib. VII. cap.* 108. Lapsa quoque ecclesiastica disciplina instauratur, publi-

blicantur synodi prouincialis decreta, *cap.* 25. *ex. de accusationibus*, creantur testes sic dicti *synodales*, qui in serpentia vitia inquirant, eaque in futura synodo emendanda episcopo aperiant: eliguntur sex examinatores synodales, quorum saltem tres vna cum episcopo instituere debent sollemne examen in paroeciis ex forma synodi Tridentinae conferendis, Trident. *ses. XXV. de ref. cap.* 18.; itemque creantur iudices synodales, quibus committi debent, caussae a sede apostolica in partibus delegandae, Trident. *loc.cit.cap.* 10. Quod vero synodus episcopalis amplius quotannis non celebratur, episcopi extra synodum ex venia sacrae congregationis & cum capituli consensu examinatores & iudices synodales designant. V. Benedict. XIV. *de synodo dioeces. lib. IV. cap.* 5. & 7.

§. XXXIV. Finita synodo edita decreta ab episcopo debent publicari, alias vim obligandi non habent. Publicanda vero synodus non est, nisi praeuio regio adsensu & probatione: & merito quidem; iamdiu enim in eiusmodi synodis quaedam tractari consueuerunt, quae licet ad ecclesiastica officia spectent, aut ecclesiarum iura, temporalia tamen attingunt. V. Espen. *par. I. tit.* 18. *cap.* 4. Constitutionibus publicatis tenentur omnes christiani, qui in dioecesi morantur, nisi priuilegio speciali de episcopi iurisdictione exemti sint. Sed exemtio generaliter non facit immunes regulares; nam in rebus non exemtis synodi decretis obligantur. Quin capitula canonicorum exemta tenentur decretis synodalibus, quae ad morum & disciplinae emendationem spectant. Trident. *ses. XXV. de ref. cap. 6.*

§. XXXV. Clerici ad synodum conuenientes episcopo praestant *synodaticum*, seu *cathedraticum*, certam nempe pecuniae summam in cathedrae episcopalis honorem & signum obedientiae debitam, etsi non defuerint ecclesiae, vbi pensio ista tempore visitationis dioecesis penderetur. Conc. Bracar. II. *can.* 2. Videtur institutum cathedraticum, vbi singulis ecclesiis sua bonorum portio perpetuo tributa est, vt ita de iure summi sacerdotis in ecclesiarum bona & ecclesias ipsas constaret. Summa huius pensitationis duobus aureis solidis per annum constabat, conc. Bracar. II. *cit. can.* 2., conc. Tolet. VII. *can.* 4.,

eamque

eamque pendunt omnes ecclesiae dioecesis saeculares, item parochi & beneficiarii omnes, & ecclesiae pleno iure monasteriis adnexae: non tamen abbates; ex antiquis enim institutis monasteria ab episcoporum exactionibus sunt immunia, *can.* 8. *C.* 10. *q.* 3. Debetur synodaticum singulis annis, etsi synodus non celebretur; quamuis enim in synodis pendi consueuerit; debetur tamen propter cathedrae honorem & in obedientiae signum.

CAPVT X.

De regia in synodos potestate.

§. I. QVamuis regulae conciliorum ad fidem & religionem pertinentes ecclesiae potestati innitantur; tamen ciuilis potestas non vno nomine conciliis adhaeret, & in eorum celebratione partem habet. Principio ad synodos cogendas consensus principis requiritur; conventus enim hominum haberi prohibentur, *L.* 1. *& seqq. D. de collegiis*, ne de coëuntibus priuatorum consiliis publicum malum aliquando erumpat (*a*). Consensus autem prin-

(a) Apostoli & primorum saeculorum episcopi nullo praecedente ciuilis potestatis adsensu concilia habuerunt: quo praeiudicio ad synodos habendas regius consensus non videtur necessarius. At apostolorum concilia ex adsensu ciuilis potestatis habita videntur. Sane dum Iudaei in ditionem Romanam transierunt, integrum retinuerunt suae religionis exercitium, & eorum collegia improbata non sunt, quod Cuiacius *lib. VII. obseruat. cap.* 30. probat. Et Romani primaeuos christianos cum ipsis Iudaeis confundebant, eosque quasi quamdam Iudaeorum sectam reputabant: atque ideo ex generali legum concessione apostolorum concilia habita sunt. Similiter vbi res christanorum a Iudaeis omnino diuersae ex omnium sententia erant, concilia tacito ciuilis potestatis adsensu & tolerantia ab episcopis vt plurimum habita: primis enim tribus saeculis saepe in pace & quiete

principis ad synodos habendas necessarius, aut expressus, aut tacitus est: & expressus quidem requiritur, si extraordinaria synodus celebretur; sufficit vero tacitus, si iure ordinario & statis temporibus cogatur: quando enim legibus publicis probati sunt canones, qui statis temporibus synodos habendas decernunt, legitimae sunt eiusmodi coitiones ex generali legum concessione. Moribus vero praesentibus etiam ad ipsas ordinarias synodos, vtpote quae statis temporibus non habentur, expressus regius consensus requiritur.

§. II. Sed non tantum synodis habendis venia ciuilis potestatis opus est; verum etiam postquam christiani publica pace frui coeperunt, concilia ipsa extraordinaria, qualia erant generalia, & quae statis temporibus non erant addicta, iussu principum indici solebant. Socrat. *lib. V. in praef.* Fortasse indictio & conuocatio non pertinet ad concilii naturam & constitutionem, quae in eo posita est, vt coacti episcopi rite & recte de rebus ecclesiasticis iudicent, quisquis demum sit, qui conuentum indicat. Hinc quum extraordinaria concilia, vtpote maiora, sine imperii & regnorum concussione & magnis sumtibus vix haberi possent, eorum indicendorum curam principes ad se reuocarunt. Et hinc episcopi, si quando ea necessaria reputarent, principes adire solebant, qui aliquando eorum votis aurem non praebuerunt. Verum postquam, nulla superstite principatus communione, dissociatum est Occidentis imperium ab Orientali; conuocatio conciliorum generalium ad pontificem transiit, qua de re superius dictum.

§. III. Porro principes synodis a se indictis praesidebant, quod pluribus productis monumentis Thomassinus *de conciliis diss. X. n.* 14. *seqq.* probat. Praesertim vero principes praesederunt synodis in Oriente habitis; nam quod

quiete res christianorum fuerunt, & vbi persecutiones non desaeuiebant, omnia ferme exercitia christianae religionis scientibus magistratibus explicari solebant; idque praesertim eo nomine, quod iam constabat, conuentus christianorum nihil mali continere.

quod spectat Occidentem, etsi saepe praesentes synodis reges fuerint; non tamen iis praefuisse leguntur, nisi necessitas vrgeret. Spectabat προεδρια *praesidentia* ista principum ordinem exteriorem & fidei defensionem & conventus tranquillitatem: nam in iis, quae erant fidei & religionis, summus pontifex conciliis generalibus semper praefuit. Ita in synodis generalibus duplex erat προεδρια, interior vna & episcopalis, quae conciliis inerat; altera exterior & ciuilis, quae ad externum ornatum spectabat. Conc. Chalced. *relat. ad Leonem M. ap. Harduin. tom. II. concil. col.* 655.

§. IV. Iure της προεδριας *praesidentiae* aucti imperatores in conciliis ordinem rerum tractandarum praescribebant, secundum quem synodi actiones dirigi & haberi oportebat, quod Thomassinus *de concil. diss. X. n* 19. *& seqq.* & Petr. de Marca *de concord. sacerdotii & imperii lib. IV. cap.* 3. pluribus probant. Ex ordine diualibus litteris proposito cuique liberum erat sententiam dicere & suffragium ferre. Quod si contra praescriptum ordinem concilia haberentur, integrum erat principibus in irritum mittere, quae ordine neglecto gesta erant. V. Petr. de Marca *loc. cit.* Iudicantes vero principes de ordine non seruato, tantum ipsa facta expendebant, & iuris quaestionem relinquebant integram.

§. V. Vt vero imperatores ius praesidendi sibi competens explicarent, ad concilia mittere consueuerunt praecipuos magistratus, quorum propterea munus erat synodi prouidere securitati, arcere subortos tumultus, & praeesse seruando ordini iam praescripto. V. Petr. de Marca *loc. cit.* Sed vbi canonica contra episcopos, aut clericos iudicia agitabantur, magistratus praesidentes synodis non intererant, & eorum praesidendi praerogatiua cessabat: idque ea ratione factum est, quod incongruum videbatur, laicos vitia propria clericorum noscere: *neque enim fas est*, inquit synodus VIII. generalis, *saeculares principes spectatores fieri rerum, quae sacerdotibus Dei nonnumquam eueniunt*. Obtinuit haec disciplina praecipue in Oriente: nam in Gallia etiam regularibus contra clericos quaestionibus principes interesse consueuerunt.

§. VI. Praeterea ius erat Romanis imperatoribus sententias

tentias per concilia latas ſuſpendere, ſi ipſis videretur, non iure, nec ſeruato ordine iudicatum. V. Petr. de Marca *de conc. ſacerd. & imperii lib. IV. cap.* 4. Et profecto Leo M. cum concilio Romano precibus egit apud Theodoſium Iuniorem, vt exſecutionem ſententiae Latrocinii Epheſiui (ita appellatur ſynodus ſecunda Epheſina) ſuſpenderet, vſque dum oecumenicum concilium cogeretur, idque eo nomine, quod nullo ſeruato ordine & per vim & minas Dioſcori Alexandrini, qui ex reſcripto principis praeerat, ſynodus illa iudicaſſet. *Ecce ego*, inquit ſummus pontifex Leo *epiſt. XLI. edit. Queſnellii, chriſtianiſſime & venerabilis imperator, cum conſacerdotibus meis obſecramus, vt omnia in eo ſtatu eſſe iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe numerus ſacerdotum congregetur.*

§. VII. Regiae quoque poteſtatis eſt decreta conciliorum, ſiue ad fidem, ſiue ad diſciplinam pertinent, confirmare: quod optimi quoque principes Conſtantinus M., ambo Theodoſii, Marcianus, Iuſtinianus aliique fecerunt, idque ipſis ſynodis exorantibus. Thomaſſ. *de concil. diſſ. X. n. 26. ſeqq.* Confirmari autem concilia a principibus conſueuerunt non ſine praeuia cauſſae cognitione, licet inquiſitio diuerſo modo procederet, prout de fide & iudiciis canonicis, vel de diſciplina ageretur. Decreta fidei & iudicia canonica extraiudiciali cognitione expendebantur, tantum vt innoteſceret, an ſynodi in hoc rerum genere ex regulis canonicis cognouiſſent: contra canones exterioris diſciplinae maturo examini ante confirmationem ſubiici ſolebant: huiuſmodi enim canones res ciuiles ſaepe tangunt, & aliquando nouam exterioris diſciplinae formam conſtituunt, quae publicae tranquillitati & receptis moribus aduerſatur (b). Regia autem confirmatione

(b) Principes, dum exterioris diſciplinae canones confirmabant, limitationes & additiones quaſdam addere ſolebant, in iis praeſertim articulis, qui vim regiae auctoritatis & iuriſdictionis infringebant: quod conſtat ex celebri edicto Clotarii Regis, quo multa capita concilii Pariſienſis v. ad Regis iura & temporalem iuriſdictionem ſpectantia in nouam formam redacta

ne fidei decreta & canones vim ciuilem & publicam nanciſcuntur, & in nomo-canonem abeunt, quatenus eccleſiaſtica & ciuili poteſtate nituntur, *nouel. VI. cap.* 1. §. 8, *nouel.* CXXXI.

§. VIII. Quae quum ita ſint, ſatis profecto ampla erat regia in ſynodos poteſtas; nam ſi excipias de fide quaeſtiones & decreta, & diſciplinae interioris conſtitutionem, quae ad epiſcopos pertinebant, reliqua ferme omnia ab arbitrio & poteſtate principum pendebant. Haec vero principum in ſynodos poteſtas non erat ſacerdotalis, (illi nimirum iure clauium deſtituuntur) ſed ciuilis & regia, qua armati ad religionis & eccleſiae defenſionem adſtringuntur, eoque nomine Deo reddere rationem tenentur, *can.* 20. *C.* 23. *q.* 5. Ipſe imperator Marcianus profeſſus eſt, ſe non iure ſacerdotis concilio Chalcedonenſi interfuiſſe, ſed potius vt epiſcopus exterior, vt eccleſiae & fidei defenſor. Conc. Chalced. *act. VI.* Cuius exterioris epiſcopatus ratione imperatores in antiquis conciliis *pontifices* & *ſacerdotes* ſaepe ſalutari meruerunt. V. Thomaſſ. *de concil. diſſ. XII. n.* 40. *ſeqq.*

§. IX. Tanta principum poteſtas in ſynodos, praeſertim iuſſu regio indictas, ſenſim in Occidente decreuit, vbi diſſociata prorſus imperii Orientalis communione, regiones Occidentis proprium imperatorem habere coeperunt, quod ſub Carolo M. primum factum eſt. Nimirum ab hoc tempore maximopere creuit pontificis Romani etiam in res ciuiles poteſtas, adeo vt ipſi reges pontifici etiam in ciuilibus ſubiecti crederentur. Hinc nefarium viſum eſt, principes conciliis praeeſſe, feriem rerum tractandarum praeſcribere, magiſtratus ordini ſeruando praeeſſe, principes ſententias in ſynodis latas ſuſpendere, & earum acta & decreta in irritum mittere. Hinc

cta ſunt. V. Petr. de Marca *de concord. ſacerdotii & imperii lib. VI. cap.* 22. *n.* 7. Quin ipſae ſynodi dum editos canones principibus confirmandos offerebant, eos rogabant, vt quae minus recta viderentur, emendarent. Conc. Moguntin. *in praefat. ad Carolum M.*, conc. Cabilon. II. *praef. ad eumdem Carolum*.

Hinc Romani pontifices coeperunt synodos generales in Occidente coactas moderari, & munia illa exercere, quae in veteri disciplina principes eorumque magistratus exercebant. Quin aetate posteriore adeo decreuit principum in synodos potestas, vt Romani pontifices a conciliis prouincialibus regios legatos vellent exclusos. V. Benedict. XIV. *de synodo dioeces. lib. III. cap. 9. n. 6.*

§. X. Per Occidentem oblanguit quidem regia in synodos potestas; at non per omnia defecit; nullum enim hodie concilium forte potest celebrari, nisi principes consentiant: nec iisdem denegatur magistratus delegare, qui synodis intersint, nihil obstantibus Romanae congregationis decisionibus. Item conciliorum decreta non publicantur, nisi ex principis concessione, quae praeuia cognitione, & additis limitationibus concedi solet, aut omnino denegari. Sane ipsa synodus Tridentina, quod spectat disciplinam, in Gallia publicata non est, impediente regia potestate, quod multa contineret vetustis moribus, iuribus regiis & ecclesiae Gallicanae libertatibus aduersa. V. Petr. de Marca *de conc. sacerdotii & imperii lib. II. cap.* 17. Contra in Hispania, Belgio & in regno Apuliae synodi illius publicationem praeuio examine Philippus II. concessit; at ea moderatione, vt nullius vsus essent, quae regia iura & vasallorum laederent, licet ea limitatio propter synodi reuerentiam ipsi publicationi addita non sit. Hinc in regnis Regis catholici passim a magistratibus & regiis censoribus adnotata capita, quae ex Regis sententia admissa & probata non erant. Ea capita apud nos regens Villanus recensuit, qui tamen etiam aliqua omisit. V. Petr. Iannon. *hist. ciuil. regni Neapol. lib. XXXIII. cap.* 3.

CAPVT XI.

De iudicibus ordinariis.

§. I. Nomine iudicis venire solet vir bonus ad lites dirimendas publica auctoritate constitutus, atque ideo qui ex publica auctoritate cognoscit, iudicat, & iudicatum exsequitur. Sic descripti iudices iurisdictione aucti sunt, non tantum cognoscunt & iudicant: quo sensu a magistratibus, qui ius dicebant, nihil differunt (a). Quod vero dictum est, iudicem esse virum bonum, id intelligendum est ex legum sententia, quae viros bonos iudiciis praeficiendos edicunt; etsi (quae est misera hominum conditio) saepe minus boni iudicis officio fungantur. Constituitur vero iudex ex publica auctoritate, consensus enim priuatorum arbitrum potius, quam iudicem facit, *L.* 3. *C. de iurisdictione omnium iudicum*.

§. II. Iudices iure decretalium alii sunt ordinarii, alii delegati, exstatque duplex in decretalibus titulus, vnus *de officio iudicis delegati*, alter *de officio iudicis ordinarii*. Iudices ordinarii appellantur, qui iure sui officii quasi propriam iurisdictionem exercent, quales episcopi & metropolitani, qui vi suae ordinationis & dignitatis iurisdictionem habent, item iudices omnes, qui iure officii sui lege probati iurisdictionem exercent, etsi officium illud alieno beneficio detur, quales in republica sunt

(a) Et sane postquam ex Diocletiani constitutione magistratus ipsi iudicare iussi sunt, nisi publicis occupationibus, aut caussarum mole impedirentur, *L.* 2. *C. de pedaneis iudicibus*, dandorum iudicum, qui tantum de facto cognoscerent & iudicarent, non vero iudicatum exsequerentur, vsus oblanguit, & iudex & iurisdictio aeque late patere coeperunt, ipsique iudices & magistratus promiscue dicti sunt: quo spectat titulus C. *de iurisdictione omnium iudicum*.

sunt magistratus, in ecclesia legati pontificis. Iurisdictio vero ordinaria, quae ordinationem & dignitatem consequitur, alicui sine iusta caussa & citra iuris ordinem adimi non potest, immo nec restringi; adhaeret ipsi dignitati, quae perpetua & indiuidua est; at quae consequitur officium, cum officio finitur. Ceterum licet omnes, qui in dioecesi perpetua iurisdictione augentur, dici queant iudices ordinarii; tamen *ordinarii* nomine episcopus venire solet.

§. III. Inter ordinarios iudices, qui iure dignitatis suae habent iurisdictionem, iure decretalium censentur archipresbyteri, decani rurales, & praesertim archidiaconi. Qui quidem iurisdictionem consuetudine adquisiuerunt; nam initio meri episcoporum fuerunt delegati (*b*). Competens vero archidiaconis & decanis iurisdictio, vtpote quae moribus & consuetudine accesserat, non eadem vbique fuit, *cap.* 10. *ex. de officio archidiaconi*. Sed ordinaria archidiaconorum & decanorum iurisdictio labentibus annis decreuit, paucique hodie sunt, qui pristinae iurisdictionis vestigia retinent. Vbi vero adhuc viget, decreto synodi Tridentinae vetantur decani & archidiaconi de caussis criminalibus & matrimonialibus cognoscere. Trident. *ses. XXIX. de ref. cap.* 20. Quo decreto & beneficiarias & maiores omnes caussas contineri interpretes tradunt. Barbosa *collect. VI.*

§. IV. Vicarii quoque generales inter ordinarios iudices censentur, quatenus nimirum iure officii per legem, seu canonem probati exercent iurisdictionem; nam si ordina-

(b) Nimirum mediis saeculis episcopi a rebus spiritualibus distracti, aut negotiorum copia obruti, caussas ecclesiasticas, quae non amplius in presbyterio tractabantur, committere coeperunt archipresbyteris, decanis ruralibus & archidiaconis, qui non iure officii, sed delegationis cognoscebant & iudicabant. At lapsu temporis adsiduis delegationibus, episcoporum absentia & oscitantia, quae erat mandata iurisdictio, in ordinariam conualuit, & archidiaconi & decani iudices ordinarii euaserunt: qui mores saeculo decimo tertio iam recepti erant, *cap.* 3. *de appellationibus in* 6.

dinarium iudicem eo ſenſu intelligas, qui iure conſecrationis, aut perpetuae dignitatis iuriſdictionem habet, procul dubio vicarius alterius iuriſdictionem exercet. Eſt vero vicarius generalis, qui alias *officialis* dici ſolet, qui vice epiſcopi contentioſae ac voluntariae iuriſdictioni praeeſt. Et id quidem ſecundum Italiae mores, vbi vnus idemque vicarius contentioſam & voluntariam iuriſdictionem exercet: nam alias in pleriſque tranſalpinis eccleſiis vicarius & officialis diſtant: ille nimirum praeeſt voluntariae, hic contentioſae epiſcopi iuriſdictioni. Eſpen. *par. I. tit. 12. cap. 4. & ſeq.*

§. V. Conſtituitur vicarius generalis auctoritate epiſcopi, qua alicui ſub generali officii commiſſione mandatur epiſcopalis iuriſdictio in foro explicanda; vbi enim in adſiduum abiit vſum, vt epiſcopi alterius miniſterio iuriſdictionem exercerent, ſenſim emerſit vicarii officium, quod peculiari titulo in ſexto decretalium explicatur (c). Conſtitutus autem vicarius ordinariam epiſcopi iuriſdictionem adminiſtrat, & inde epiſcopi & vicarii vnum cenſetur auditorium. Hinc cauſſae epiſcopo reſeruatae etiam per vicarium cognoſci & iudicari poſſunt, niſi nominatim exprimatur, epiſcopum per ſe debere cognoſcere: & a vi-

(c) Archidiaconi & decani poſtquam ordinaria iuriſdictione creuerunt, in epiſcopos eſſe coeperunt contumaces, & ad coaceruandas opes ſolliciti. Ergo epiſcopi ſenſim iuriſdictionem revocarunt ſuam, & nouos inſtituerunt officiales, quibus illam mandarent, non tamen in perpetuum, ſed quouſque ipſis mandantibus placeret. Hic mos ſaeculo decimo ſecundo incoepit, generatim vero vſus vicariorum videtur inualuiſſe poſt ſynodum Lateranenſem IV., vbi Innocentius III. epiſcopos hortatur, vt ſi negotia omnia per ſe expedire nequeant, eligant presbyteros, qui eorum vice fungantur. Hinc nihil mirum, ſi nec in decreto Gratiani, nec in decretalium Gregoriana compilatione vicariorum exſtent veſtigia. V. Thomaſſ. *de vet. & noua eccleſ. diſcipl. par. I. lib. 2. cap. 7.* Tantum in ſexto decretalium diſtinctius proponitur vicarii officium; quando enim ferme omnium epiſcoporum vſu vicarii conſtituebantur, opportunum viſum eſt eius officium explicare.

a vicario in caussis generalis commissionis non ad episcopum, sed ad metropolitanum appellatur, *cap. 3. de appellationibus in 6.* Integrum vero est episcopo illud ipsum vicarii officium restringere, & aliqua officio comprehensa sibi reseruare, aut ad certos actus, locum, aut tempus vicarium constituere, quibus casibus fines commissionis seruandi sunt. Potest quoque episcopus pro rectiori regiminis ratione plures vicarios constituere; immo plurium constitutio aliquando videtur necessaria, veluti si episcopus duas simul iunctas regat dioeceses, vel vnam Latinis simul & Graecis christianis mistam.

§.VI. Quamuis vero vicarius generalis ordinariae episcopi iurisdictioni praesit, multa tamen sunt, quae generali officio non continentur, eaque facere vetatur, nisi ex speciali concessione; generali enim mandato haud illa veniunt, quae non esset quis verisimiliter in specie concessurus, *cap.3. de off. vicarii in 6.* Ita vi generalis mandati vicarius litteras dimissorias ad ordines non concedit, nisi episcopus in longinquis regionibus diu moretur, *cap. 3. de temporib. ordinationum in 6.*, nec cognoscit caussas criminales, aut matrimoniales, *cap. 2. de officio vicarii in 6.* Trident. *sess. XXIV. de ref. cap.* 20., nec quaslibet alias soli episcopo reseruatas, nec confert beneficia, *cit. cap.* 3., nec eis permutandis, coniungendis & fundandis adsensum impertitur, nec visitat dioecesim, nec synodum cogit, nec canonicorum collegium indicit. Trident. *sess. XXV. de ref. cap. 6.* Mandato quoque generali non continetur absolutio a casibus episcopo reseruatis, *cap. 2. de poenit. & remissionibus in 6.*, nec relaxatio irregularitatum, quae ex crimine occulto proueniunt. Trident. *sess. XXIV. de ref. cap. 6.*

§. VII. Eligi autem debent in vicarios viri idonei, & in vtroque iure, saltem canonico, versati, qui ab omni auaritia sunt alieni, & amore iustitiae & pacis inter fideles conciliandae officium exercent; qui litium tricas & strepitus forenses auersentur, nec iis, nisi coacti & amore iustitiae inducti, implicari sinant (*d*). Certe

(d) Vicarii generales, seu officiales initio institutionis ab avaritia

te minus conuenit ei, qui episcopi vices sustinet, ex officio quaestum facere, & lites superfluis tricis & dilationibus fouere. Item ordinibus ecclesiasticis, saltem prima tonsura, debet esse initiatus, qui ad vicarii munus eligitur. Nec eligi debent in vicarios, qui sunt de eadem dioecesi, item nec regulares ex ordine mendicantium, *Clement.* 1. *de regularibus*, nec clerici coniugati, aut digami, nec minores viginti quinque annis, nec episcopi consanguinei, nec qui animarum curam habent.

§. VIII. Iure communi vicarius generalis aliquam dignitatem habere videtur, *cap.*11. *de rescriptis in* 6, *Clement.* 2. *de rescriptis*. Et quoniam iure decretalium dignitas non tantum iurisdictione, verum etiam honoris praerogatiua censetur; hinc vicarius generalis in synodis, processionibus & choro omnes canonicos praecedit, nisi canonicus etiam sit, velitque quotidianas distributiones lucrari; nam in hoc casu in stallo suo inter canonicos sedere & procedere debet. Haec vero dignitas officio videtur adhaerens, nec in beneficium, nec in titulum possidetur, quo differt ab aliis dignitatibus, & cum alia dignitate recte retinetur, & cum ipso vicarii officio finitur.

§. IX. Vicarius generalis semel constitutus pluribus modis esse desinit, nec enim perpetuo titulo officium exercet.

varitia & tricis & versutiis forensibus notati. Certe Petrus Blesensis, scriptor saeculi decimi secundi, viuis coloribus eorum malos mores depingit *ep. XXV. Tota officialis intentio est*, inquit, *vt ad opus episcopi suae iurisdictioni commissas miserrimas oues, quasi vice illius tondeat, emungat & excoriet. Isti enim sunt episcopi sanguisugae, euomentes alienum sanguinem, quem biberunt.* Deplorat quoque eorum versutias & tricas forenses, quasi qui ad perdendam iustitiam instituti essent. *Officium officialium hodie est iura confundere, suscitare lites, transactiones rescindere, innectere dilationes, supprimere veritatem, fouere mendacium, quaestum sequi, aequitatem vendere, inhiare exactionibus, versutias concinnare.* His aliisque rationibus Blesensis non illepida adlusione officialium nomen interpretatur: *credo, huiusmodi officiales non ab officio nomine, sed ab officio verbo mutuasse vocabulum.*

ercet. Ergo exſpirat vicarii poteſtas mortuo epiſcopo, aut alias epiſcopatu abeunte, item mandati reuocatione ab epiſcopo facta; conſtitutio enim vicarii etſi ordinariam iuriſdictionem largiatur, tamen nudum mandatum eſt, id habens peculiare, quod etiam rebus non integris recte ſoluatur. Vbi vero contingit, vicarium ab epiſcopo poteſtate exui, reuocatio euulganda eſt, & ipſi vicario denuntianda, alias interim geſta viribus conſtant, etſi reuocatio illi innoteſcat. Garcias *de benef. par.V. cap.*8. Vicarius quoque eſſe deſinit, ſi ipſe officio renuntiauerit.

CAPVT XII.

De iudicibus delegatis.

§. I. ORdinario iudici opponitur delegatus, qui iuriſdictionem non proprio iure, ſed alterius mandato & beneficio exercet: atque ideo nihil proprii habet, ſed eius, qui mandauit, vice fungitur. Sic ab interpretibus decretalium iudex delegatus deſcribitur, qui tamen in iure Romano iudex, cui mandata eſt iuriſdictio, ſaepe dicitur. Sunt vero mandatarii iuriſdictionis vel generales, vel particulares, quatenus vel vniuerſa iuriſdictio, vel ſpecies vna, ſeu pars iuriſdictionis mandatur, veluti in certas perſonas, aut certa cauſſarum genera, aut in quamdam ſpecialem cauſſam, *L.*16. *& ſeq. D. de iuriſdictione*. Si vniuerſa iuriſdictio mandetur, omnia, quae iure magiſtratus competunt, translata cenſentur, non item quae ſpeciali legis beneficio conceduntur: ſi pars tantum mandata ſit, quatenus mandatum eſt, tranſit.

§. II. Ius delegandae iuriſdictionis iis praecipue competit, qui conſtituendi creandique magiſtratus poteſtatem habent, a quibus iuriſdictio tamquam a proprio fonte dimanat; itemque ipſis magiſtratibus, quorum propria iuriſdictio eſt. Hinc certi iuris eſt, epiſcopos, metropolitanos, patriarchas, ſummum pontificem iuriſdictionem mandare poſſe ſuam, *can.* 29. *C.*11. *q.* 1. Item ipſi ar-

chidiaconi & decani, postquam ordinaria iurisdictione aucti sunt, eam suis officialibus mandarunt. Ceterum moribus praesentibus delegati pontificii frequentiores sunt, reliquorum vero iudicum ecclesiasticorum ferme desierunt, quod Espenius *par. III. tit.* 5. *cap.* 2. obseruat: & vicarii generales tantum quosdam actus, puta testium examen, non iurisdictionem delegant.

§. III. Delegati pontificii ferme dantur ad decidendas caussas singulares, quae ex regulis nouae disciplinae magno numero ex toto Occidente, siue per appellationem, siue primo iudicio in aulam Romanam confluebant (*a*). Tales delegati plena donantur iurisdictione; a se enim delegatos iudices iisdem praerogatiuis pontifices auxerunt, quibus a principe delegati iure ciuili vtebantur. Ergo habent adsessores, & in caussis delegatis iudices dant, etiam episcopos: poenas irrogant, & coërcitionem exercent, vt ea, quae ad caussam faciunt, expediant, *cap.*4. *& seq. ex. de officio delegati:* item sententiam exsequuntur suam, & hoc amplius post latam sententiam retinent per integrum annum potestatem, quo facilius eam exsecutioni mandent, *cap.* 26. *ex. eodem*. Praeterea delegati a pontifice in caussis sibi commissis non tantum iudicem dant, verum etiam sibi mandatam iurisdictionem, siue in totum, siue pro parte alteri mandare possunt, quod *subdelegare* dicitur, nisi ipsa personae qualitas electa fuerit, *cap*...

(a) Nempe in noua disciplina appellationes a synodis provinciarum ad pontificem admissae sunt: ipsa sedes Romana ordinarius iudex omnium exemtorum de episcopali potestate euasit: & porro admodum creuit caussarum numerus, quae primo iudicio apud pontificem, qui ordinarius in vniuersa ecclesia index putabatur, agitari poterant. Tot caussis discutiendis aula Romana impar erat, immo nec Romae ob locorum distantiam, a quibus probationes peti debebant, facile instrui poterant. Ergo necesse fuit, caussas iudicibus in partibus delegare: quae disciplina saeculo decimo secundo antiquior non videtur; supponit enim caussas ecclesiasticas Occidentis, etiam minimas, siue per appellationem, siue primo iudicio apud sedem apostolicam tractari.

cap. vlt. ex. de off. delegati, in quo delegati pontificii distant a principum delegatis, qui tantum iudicem dare poterant, *L.5. C. de iudiciis*, non item sibi mandatam iurisdictionem, ne pro parte quidem, alteri mandare. Franc. Florens *comment. ad tit. de off. delegati*.

§. IV. Iure decretalium iudices a summo pontifice delegati nullis specialibus qualitatibus aucti esse debebant, atque ideo etiam simplicibus clericis pontificis iurisdictio mandabatur: quod dignitati sedis apostolicae parum conveniebat. Ergo Bonifacius VIII. statuit, vt tantum dignitate aut personatu praeditis, aut ecclesiae cathedralis canonicis caussae ab apostolica sede eiusque nuntiis delegari possint, *cap. 11. de rescriptis in 6.* Et quoniam inter designatos a Bonifacio etiam esse poterant minus idonei ad iudicandum, statuit synodus Tridentina *sess. XXV. de ref. cap.* 10., vt in synodo prouinciali aut dioecesana designentur aliquot personae, quae habeant qualitates per Bonifacium expressas, & alias idonei sunt, quibus tantum & locorum ordinariis sedes apostolica eiusque nuntii caussas delegandas committant. Atque hi sunt iudices sic dicti *synodales*, quod in synodo designandi sunt, quorum saltem quatuor in singulis dioecesibus esse debent, electorumque nomina ad sedem apostolicam transmittenda sunt. Quod vero hodie synodi admodum raro celebrantur, episcopi ex venia sacrae congregationis cum consensu capituli iudices designant. V. Benedict. XIV. *de synodo dioecesi. lib. IV. cap.* 7.

§. V. Iudices a summo pontifice delegati ex sententia Innocentii III. non *vltra duas dietas* a dioecesibus litigantium constitui possunt, *cap.* 28. *ex. de rescriptis. Dieta*, seu iter vnius diei iure ciuili continet viginti milliaria, *L. 3. D. de verbor. signific.*, at in hac caussa potius locorum mores inspiciendos glossator monet, & dierum itinera peculiaribus moribus aestimanda. Verum deinceps Bonifacius VIII. voluit, vt si actor & reus sint eiusdem dioecesis, aut ciuitatis, extra ipsas caussa non committatur, nisi in paucis speciebus: & si actor & reus sint diversarum dioeceseon edixit, vt caussa committatur in rei dioecesi, vel in alia actoris non propria, modo locus iudicis delegati vltra iter vnius diei a dioecesis rei finibus

non

non absit, *cap.* 11. *ex. de rescriptis in 6.* Ita vbi extra Romanam curiam caussae delegantur, nam alias iure decretalium liberum est, de iisdem Romae iudicium instituі (*b*).

§. VI. Mos fuit summorum pontificum ad caussas decidendas vnum aut plures, certos tamen, iudices dare. Et plures quidem vel simpliciter nulla adiecta clausula, qua mandatum modificaretur, vel definite certis adiectis clausulis, quae procedendi modum constituerent. Si plures simpliciter delegati constituti sint, coniunctim dati censentur, nec vnus sine altero recte procedit, *cap.* 16. & 22. *ex. de officio delegati*, nisi vnus alteri delegato, vel alii vices suas commiserit, *cap.* 6. *ex. eodem*. Sed si pluribus definite & adiectis modificationibus caussa commissa sit, delegatio ex clausulis iudicanda est, & secundum eas apparebit, an omnes, an vero duo, vel vnus sine altero possit iudicare, *cap.* 13. *ex. de rescriptis*, *cap.* 8. *de officio delegati in 6.*

§. VII. Delegatus mandati fines seruare tenetur, nec enim proprio iure, sed ex alterius delegatione iudex sedet, *cap.* 13. & 15. *ex. de officio delegati*. Ergo ante omnia de mandato constare debet, eiusque exemplum citatoriis litteris inseri debet, & delegatio vltra expressas personas, vel articulos produci non potest, nisi ex communi partium praesentium consensu, nec enim sufficit, per procuratorem consentire, *cap.* 32. *ex. eodem*. Hoc ipso

(b) Ius hoc decretalium in multis regionibus non seruatur: etenim in Gallia, Belgio, Hispania caussae pontificiae cognitionis necessario per iudices in prouinciis delegatos tractandae & finiendae sunt; in his enim regionibus non finunt recepti mores, aut populis concessa priuilegia, vt ciuium caussae extra prouinciam, aut regnum pertractentur, praestoque est regia potestas ad emendandam abusionem, si quis citetur, vt extra prouinciam, aut regnum se sistat. Itaque decretalis Bonifacii, quae habet, in dioecesi, aut non vltra iter vnius diei iudices in caussis dari debere, ea moderatione obtinet, modo iudices in prouincia, aut regno instituantur. V. Espen. *par. III. tit.* 5. *cap.* 3.

ipso tamen haud vetatur delegatus de connexis cognoscere, aliaque peragere, sine quibus ipsa delegatio ad exitum perduci nequit, *cap.* 38. *ex. eodem*, *cap.* 13. *de offic. delegati in 6.*

§. VIII. Delegati officium non est perpetuum, sed certis modis finitur. Ita finitur morte delegantis re adhuc integra, *cap.* 30. *ex. de officio delegati*, seu si citatio nondum facta sit, *cap.* 20. *ex. eodem*; nam lite iam coepta delegatorum iurisdictio euadit perpetua. Praeterea finitur delegati morte, item finito negotio, & si delegatio ad totam caussam a pontifice facta sit, sententiae exsecutione, *cap.* 9. *ex. eodem*: nam si iudex ab ordinariis, puta episcopo, delegatus est, sententiae prolatione eius officium desinit. Franc. Florens *in tit. de officio delegati*. Finitur quoque delegatio lapsu temporis, quo inclusa est, nisi communi partium consensu prorogetur, *cap.* 4. *ex. eodem*: item reuocatione, quae principi deleganti semper permissa est, *cap.*28. §. 2. *ex. eodem*: & demum recusatione proposita & admissa, *cap.* 5. *eodem in 6.*

§. IX. Praeter pontificias delegationes, quae expresso mandato nituntur, datur etiam delegatio vi ipsa canonis, sine speciali delegatione, qualem delegatam potestatem exercent episcopi in pluribus casibus, quos noua disciplina pontifici addixit, vt videre est in decretis concilii Tridentini, in quibus saepe episcopis conceditur, vt *tamquam apostolicae sedis delegati* procedant (c). In his casibus appellationes ab episcopis ad summum pontificem proponuntur, vicarii generalis vi generalis mandati non pro-

(c) Speciosum sane iuris eurema, quod patribus Tridentinis Sebastianus Pighinus, vnus ex Rotae Romanae auditoribus, suggessit. Multiplicatis exemtionibus, siue monachorum, siue ecclesiarum, siue clericorum de episcopali potestate, plura incommoda in rem ecclesiasticam irrepserunt, & episcopalis potestas ad angustos terminos redacta est. Ergo in comitiis Tridentinis de abolendis exemtionibus tractatum est, & inter contraria studia medium illud tandem electum est, quo, saluis exemtionibus, episcopi tamquam apostolicae sedis delegati de exemtis cognoscerent & iudicarent.

procedunt, & demum vacante sede haec delegata iurisdictio ad capitulum non deuoluitur.

CAPVT XIII.

De fidei inquisitoribus.

§. I. INter iudices, qui praesunt ecclesiasticae iurisdictioni, in noua disciplina censentur fidei inquisitores: & idcirco ratio susceptae tractationis postulat, vt etiam fidei inquisitionem enarremus; non quod in hoc Neapolitano regno inquisitio ista vrgeat, sed vt eius origo, ingenium & procedendi methodus cognoscatur, & inde iudices ecclesiastici sibi caueant. Episcopi ex Christi institutione sunt primigenii fidei inquisitores, ratione enim sibi commissi regiminis, id in primis curare debent, vt in sibi commissis ecclesiis fides catholica vigeat, & ab omni erroris labe pura & integra conseruetur. Et profecto per duodecim ferme saecula praeter episcopos ecclesia nullos alios cognouit inquisitores, nullam specialem audientiam, cui id negotii datum esset, vt extraordinariis modis in haereticos inquireret, detectosque magistratibus puniendos traderet.

§.II. Verum enimuero post saeculum decimum secundum exorta est noua fidei inquisitio, qua ex auctoritate pontificis fratres Dominicani aut Franciscani vna cum episcopis in caussis fidei iudices constituti sunt, & modis plane singularibus procedunt. Tempore Innocentii III. permulti haeretici ecclesiam Occidentis nouis doctrinis lacerabant, praesertim vero Albigenses, quorum errores fauore comitis Tolosani late per Franciae regiones personabant. Quapropter Innocentius ad hanc hydram fortius obtruncandam, Tolosam legatos misit, in primis vero opus nouorum dogmatum exstirpandorum commissum S. Dominico eiusque familiae, quae tum primum ad opus fidei promouendum & haereticos persequendos instituta est. Sed Dominicani initio nulla aucti sunt iurisdictione,

tan-

tantumque ciuitates circumibant, contra haereticos voce & scriptis vtebantur, quam muneri suo adsidui essent episcopi, inquirebant, & principes & populos ad perdendos haereticos concitabant.

§. III. Noua haec contra haereticos inquisitio incrementum & seueritatem suam praesertim debet Friderico II. imperatori, qui anno CIↃCCXXIV. Pataui immania edicta contra haereticos edidit, & in regionibus imperii valere praecepit. His edictis imperii magistratibus praecepit, vt haereticos ab ecclesia iudicatos punirent; obstinatis mortis poenam & ignem proposuit; haeresim inter publica crimina recensuit; poenas aduersus perduelles & maiestatis reos ad haeresim produxit, & idcirco bonorum publicationem & memoriae damnationem haereticis irrogauit. Fidei quoque inquisitores tuendos recepit, eos enixe commendauit, praecepitque omnibus imperii episcopis, ducibus & magistratibus, vt eos omni auxilio fouerent, & ab insidiis haereticorum tuerentur.

§. IV. Iam vero audientia inquisitionis (vulgo *tribunal S. Officii*) certis regulis ordinata & perpetua iurisdictione instructa, praecipue ab Innocentio IV. instituta est, qui leges Fridericianas contra haereticos confirmauit, Dominicanos & Fratres Minores, qui fidei & ecclesiae vtilissimam nauasse operam videbantur, eximia armauit auctoritate, & episcopis, quibus cognitio de haeresibus competebat, adiunxit; simul etiam magistratibus mandauit, vt iudicio episcoporum & inquisitorum apparitores conducerent, a quibus haeretici in carcerem compingerentur, & eorum bona occuparentur. Hac forma Innocentius in Lombardia & adiacentibus prouinciis inquisitores ex ordine Dominicanorum instituit, quorum officio sustinendo ad rectores & consilia earum ciuitatum anno CIↃCCLII. bullam dedit, qua vnum supra viginti capita continentur, omnia ad explicandum inquisitionis officium spectantia. Ex Lombardia perpetua & ordinaria fidei inquisitio in alias Occidentis prouincias & regna permeauit, sed non vbique parem fortunam experta est.

§. V. Fidei inquisitio origine sua tantum in haereticos & fidei caussas iurisdictione armatur. Et vt tantam prouinciam curis aliis soluti, eo melius inquisitores pro-

cura-

curarent, vetiti sunt de diuinationibus & sortilegiis quaerere, modo haeresim manifeste non saperent; itemque de quaestionibus vsurarum aliisque criminibus, quae a pertinaci in fidem errore longe absunt, *cap.8.§.4. seq. de haereticis in 6.* At lapsu temporis haeresibus ferme confossis inquisitores iurisdictionem suam produxerunt ad alia crimina, quae re vera ab haeresi longe distabant, machinis vero & interpretatione inquisitorum haeresis macula, aut suspicione adsperguntur, qualia blasphemiae contra Deum & sanctos, etsi ira, ignorantia, aut malo habitu prolatae, sortilegia, diuinationes, nocturnae compotationes & digamia, quae omnia potius ignorantia & humana fragilitate, quam pertinaci in fidem errore committuntur. Inquisitionis vero iurisdictio in omnes christianos quacumque dignitate eminentes se extendit, tantumque exemti sunt nuntii pontificii, episcopi & alii quaesitores; vbi vero episcopi de haeresi suspecti sunt, inquisitores ad papam referre tenentur, *cap. 16. eod. in 6.*

§. VI. Ordo iudiciarius, qui in foro inquisitionis obtinet, omnino singularis est, & ab ordinariis iudiciorum regulis recedit, quod in gratiam fidei receptum est. Principio non desideratur libellus, seu sollemnis accusatio, nec accusator in crimen inscribit: quin, quod accusatio litibus implicat, ex *Directorii inquisitorum* placitis tantum denuntiatione, aut inquisitione iudicia instituenda. Ipsa accusatio aut delatio, etsi alias libera, in caussa fidei euadit necessaria: & hinc quilibet tenetur accusare, aut deferre, etiam fratrem, vxorem, patrem, filium. Raro adhibetur citatio, & si id fiat, caussa citationis non exprimitur. Non requiritur litis contestatio: confuso examini reus subiicitur, admoneturque generatim, vt conscientiam suam excutiat, & sponte fateatur, si quod crimen contra religionem admiserit: interim vero inquisitores adhibent blanditias & dolos ad confessionem eruendam: & si rei conuicti sint, & fateri nolint, aut vehementi suspicione grauantur, tormentis subiiciuntur. Nomina accusatoris & testium publicari non solent, admittuntur ad testimonium omnes, etiam excommunicati, socii criminis, periuri. Et contra sententiam nullum remedium, ne appellationis quidem, competit. Quae &

alia

alia huius furfuris, quae iudicio inquisitionis insunt, singulari opere *de singularibus in fauorem fidei* Ioannes Royas exsequitur.

§. VII. Sic instructo iudicio ad sententiam deuenitur, quam inquisitor vt plurimum adhibito episcopo, vel eius vicario generali in antecessum disponit, variasque poenas irrogat, prout noua disciplina in haereticos, aut de haeresi suspectos iubet animaduertendum. Sententia pronuntiatur in loco publico & magno sollemnitatum apparatu, quem viuis coloribus Limborchius *hist. inquisit. lib. IV. cap.* 41. depingit. Atque hoc est, quod dicunt *actum fidei*, (Hispanice *auto de fe*) quem vt multo celebriorem reddant, ad multos annos differunt, vt plures rei haberi possint, qui pompam faciant celebriorem (*a*). Pronuntiata sententia abiurantur errores, excommunicati absoluuntur, relapsi, etiamsi poenitentes sint, itemque pertinaces magistratibus, qui praesentes sunt, traduntur, addita

(a) Sollemnitas actus fidei haec ferme est. Ordinatis omnium sententiis certum diem festum habendae tragoediae inquisitor dicit: pridie vero eius diei comam & barbam rei deponunt, vt ita demonstretur, haereticos in eam formam, in qua nati sunt, hoc est in filios irae, rediisse. Dicto die post solis ortum ecclesiae cathedralis maior campana sonat, omnesque ad spectaculum inuitat. Inde notarius S. Officii nomina reorum recitat eo ordine, quo singuli in processione ire debent, simulque vades ex honoratioribus ciuibus designat, qui eorum latera cingant. Pompae Dominicani cum vexillo inquisitionis praeeunt, magnus est populi concursus, comitatur clerus, item ciuitatis magistratus, quin & regius senatus, si ibi sit. Rei procedunt ordine suo nudi pedibus & capitibus, & peculiari veste induti; gestant nimirum poenitentes vestem subobscuram ante & retro crucibus distinctam, nigram vero pertinaces, quae flammas & diabolos habet depictos. Vbi ventum est ad locum, qui ecclesia aliqua, aut locus ei proximus esse solet, inquisitore cum suis administris pro tribunali sedente, sollemnis habetur sermo de fide & officio inquisitionis, in quo actus fidei praecipue consistere dicitur, & demum sententiae pronuntiantur.

addita intercessione, qua inquisitor & episcopus magistratus exorant, vt citra mortis periculum sententiam moderentur. Discedunt inquisitores, & traditi rei statim in flammas vltrices ex sententia legum imperialium auctoritate magistratuum coniiciuntur: praestoque est excommunicatio, nisi magistratus statim leges exsequantur; vt hinc constet, intercessionem meram formulam esse, non ex animo adhiberi.

§. VIII. Officium inquisitionis in haereticos, etsi nomine ipso sanctitatem praeferat; tamen viris piis & sapientibus, etiam inter catholicos, christianae mansuetudini aduersum reputatum est. Quae enim aequitas, quae iustitia esse potest, vbi indiscriminatim omnes ad accusandum, vbi omnes ad dicendum testimonium admittuntur? vbi accusatores vel testium nomina ad defensionem reis aperiri non solent? vbi miseris contra sententiam negatur appellatio? Auget horrorem immanitas tormentorum, quibus plerumque contra veritatem quidquid inquisitoribus libet, miseri & innocentes rei, vt se cruciatibus eximant, fatentur. Nec tacendi doli, fraudes & simulata humanitas, quibus quaesitores deludere solent reos, vt confiteantur, quae numquam admiserunt. Nec minus odio est inquisitio seueritate poenarum, flammis vltricibus & multitudine reorum, qui tragoediam tristiorem faciunt.

§. IX. Audientia inquisitionis suis singularibus instructa in pluribus Occidentis prouinciis recepta est, saepe non sine Regum consensu & petitione, sed non vbique pari forma & seueritate procedit. Venetiis a Nicolao IV. pontifice S. Officium institutum est, quod tamen a Romana inquisitione non pendet, nec soli inquisitores procedunt; in vrbe enim tres senatores, extra vrbem rectores ciuitatum in iudiciis adhibendi sunt. Hispanica inquisitio summo rigore & seueritate armata exclusis episcopis iurisdictionem exercet in omnes Hispaniae regiones Regi catholico subiectas, & solum Regem superiorem habet; nullum enim ius in eam inquisitionem pontifici relictum dicitur, nisi quod generalem inquisitorem a Rege nominatum confirmet. Hispanicae inquisitioni similis est Lusitanica. Sed splendore non minus quam auctori-

tate

tate ceteras longe praeſtat Romana inquiſitio, quae *Congregationis S. Officii* nomine venit (*b*).

§. X. Quamuis vero in his aliiſque prouinciis audientia inquiſitionis inſtituta ſit; in aliis tamen reiecta eſt, aliquando non ſine publicis motibus, quos ſingularia inquiſitionis & poenarum acerbitas exciuerunt. Certe Gallia admiſſam inquiſitionem non diu retinuit, vixque hodie tanti facinoris veſtigium ſupereſt. Belgae Carolo v. & Philippo II. Hiſpaniarum Regibus non ſine omnium ordinum commotione S. Officium omnino reiecerunt: quin inde nata occaſio, vt poſt tot bella Belgae Hiſpanicam dominationem excuterent. Et Mediolanenſes itidem Philippo II. Rege paſſi non ſunt, inquiſitionem Hiſpanicae ſimilem Mediolanum inuehi, etſi Rex ipſe eius receptionem iuſſiſſet.

§. XI. Quod vero mirum videri debet, Neapolitani ſtabilem inquiſitionem numquam receperunt: quin regno ad Aragonenſes Hiſpanos translato odio plus quam Vatiniano ſanctam inquiſitionem coeperunt auerſari, & ad eam patriis finibus excludendam tamquam pro aris & focis ſibi pugnandum decreuerunt (*c*). Ergo aperta vi re-

(b) Romae etiam poſt receptam in aliis regionibus inquiſitionem nulli fuerunt peculiares & ſtabiles iudices negotii fidei praepoſiti, ſed ipſe pontifex in haereticos inquirebat, adſcitis pro arbitrio miniſtris & adiutoribus, quod tradit Card. de Luca in *relat. curiae Roman. diſc. XIV. n.3.* Inde exorta haereſi Lutherana, Paulus III. congregationem cardinalium inſtituit, quae ſumma poteſtate de haereſi ſimilibuſque criminibus cognoſceret. Inſtitutam congregationem ſequentes pontifices Pius IV. & Pius V. nouis praerogatiuis auxerunt: eique Sixtus V. inter reliquas congregationes principem locum dedit. Atque haec eſt congregatio S. Officii, quae etiam libros expendit, cenſura dignos proſcribit, aut a doctrinis noxiis expurgat, itemque veniam legendi libros proſcriptos concedit. Neapoli tamen huius congregationis auctoritas non adgnoſcitur.

(c) Cauſſa tanti odii non illa fuit, quod Neapolitani nollent haereſes exſtirpari, & haereticos puniri; (legitimam formam nuſquam reſpuerunt) ſed potius ab abnormi procedendi forma

ſtiterunt Petro de Toleto, qui vice regia in regno imperabat, & iuſſu Caroli v. inquiſitionem inferre ſtudebat; cui animorum obſtinationi Reges noſtri ceſſerunt, & Neapoli ſtabilis inquiſitio numquam inſtituta. Interim Romana inquiſitio miniſterio epiſcoporum, aut miſſis delegatis iuriſdictionem in regno exercebat, donec tandem Carolus VI. anno CIↃIↃCCXIX. omnem inquiſitionem aboleuit miſſis litteris, quibus praecepit, vt in cauſſis fidei tantum locorum ordinarii & ordinaria forma, in aliis delictis & cauſſis eccleſiaſticis conſueta, procedant. Sed ſanctam inquiſitionem eiuſque ſingularia, quae in aliquibus foris ſupererant, anno CIↃIↃCCXLVI. Carolus olim Rex noſter omnino contriuit, & ne nouarum rerum timor deinceps eſſet, edixit, vt epiſcopi reos haereſis, aut alterius criminis eccleſiaſtici non citent, aut carceri tradant, niſi ipſe Rex viſis prius informationis actis citationem aut prehenſionem concedat; nec inde plene inſtructo iudicio ſententiam exſequantur ſuam, niſi iterum viſis actis Rex annuat.

CAPVT XIV.

De arbitris.

§. I. NOn ſolum per iudices, ſed etiam per arbitros lites finiri conſueuerunt. Arbiter in libris iuris ciuilis ſaepe eſt iudex a praetore datus, quandoque ab

forma & ſeueritate poenarum, quibus Hiſpanica inquiſitio ſaeviebat. V. Iannon. *hiſt. ciuil. regni Neapolit. lib. XXXII. cap.* 5. Nec ſane erat, cur aliter cogitare poſſent maiores noſtri, apud quos facile reperiebantur, qui odio & vili quaeſtu falſa teſtimonia deponerent: atque ita intelligebant, arcanam inquiſitionem ad euertendas omnium fortunas & flammas excitandas inſeruire. Sic animo conceptus horror veluti hereditate ad poſteros tranſiit, & creuit eundo.

ab iudice distinguitur. V. Brisson. *de verbor. signif. v.* arbiter. Verum in praesenti arbitrorum nomine veniunt iudices extraordinarii ad cognoscendas & decidendas lites litigantium voluntate electi, siue electio ista ex libera partium voluntate, siue ex iuris dispositione fiat. Hinc arbitrorum alii sunt voluntarii, alii necessarii seu iuris; quorum illi ex libera partium voluntate, nullo cogente, eliguntur: isti sumuntur quidem ab ipsis partibus, sed legis iussu praecedente.

§. II. Arbitri sic dicti voluntarii ad lites cito finiendas partium compromisso sumuntur, & hinc *compromissarii* dicti sunt. *L.4. D. de tutoribus*. Eos eligere possunt quicumque rerum suarum liberam habent administrationem. Compromissum vero, quo arbitri sumuntur, est conuentio, qua vterque litigantium promittit, se stare sententiae, quam electus arbiter dixerit. Promissio ista iure ciuili & stipulatione & nudo pacto fieri consueuit, *L. 11. §.3. D. de receptis, qui arbitrium*, *L.5. C. de receptis arbitris*, addita quoque ex partium arbitrio poena pecuniaria, qua compromittentes fidem suam vinculo firmiore adstringunt. Item iure Romano iurisiurandi religione compromissa muniebantur, tum id fieri Iustinianus vetuit, ne homines, qui stare arbitrio sua interesse non putarent, peierare cogerentur. *Nouel. LXXII. cap. 11.* Iure decretalium poena compromisso addi potest, itemque iusiurandum, vt ei maior vis concilietur, *cap.2. & 9. ex. de arbitris*.

§. III. Omnes, qui iudices esse non prohibentur, ferme in arbitros ex partium compromisso eligi possunt, nisi quod iure ciuili etiam libertinus & infamis in arbitros eligi possint, *L.7. D. de receptis, qui arbitrium*, & filius in caussa patris, *L.6. D. eodem*. Itaque iure ciuili vetantur esse arbitri serui, pupilli, minores, item mulieres, quamuis iure decretalium mulieres arbitrium possint recipere, si ordinaria iurisdictione augeantur, *cap.4. ex. de arbitris*. Laici quoque in caussis ecclesiasticis & spiritualibus vetantur in arbitros eligi, *quia non decet, vt laicus in talibus arbitretur, cap. 8. ex. eodem.*

§. IV. Compromitti potest tam in vnum, quam in plures, & si in plures, consultius est, vt in impares nu-

mero compromittatur, vt si dissentiant, plurimorum sententia litem finiat. Si in plures compromissum sit, non adiecta clausula, vt si vnus absit, reliqui procedant; iure ciuili omnes coniunctim iudicare debent, *L.* 17. §. 7. *D. de recept. qui arbitrium*; at iure decretalium eo modo facta electione possunt praesentes arbitri in caussa procedere, si vnus citatus, nec impeditus, adesse nolit, idque placuit, vt controuersiis celerius finis imponatur, *cap.* 2. *de arbitris in* 6. Quod si duo arbitri sumti sint, & in iudicando inter se dissentiant, iure ciuili tertium in compromisso designatum eligunt; nam eo non nominato nullum censetur compromissum, quia possent arbitri in eligendo dissentire, *cit. L.* 17. §. 5. *&* 6. Verum moribus praesentibus semper licet arbitris, quo casu in iudicando non conueniant, alium arbitrum, etsi a partibus non nominatum, sumere.

§. V. Tantum vero in caussis, quae priuati arbitrii sunt, quaeque priuata cognitione componi possunt, non generatim in omnibus caussis licet arbitros sumere: quae enim tantum a iurisdictione dependent, aut ad ius publicum spectant, non admittunt arbitri notionem. Ita nullum est compromissum in caussis restitutionis in integrum, item in caussis status, videlicet ingenuitatis, libertatis, natalium, vtpote quae iurisdictionem, qua arbitri destituuntur, requirunt, *L.* 34. §. 7. *D. de receptis, qui arbitrium*, *cap.* 9. *ex. de arbitris*. Nec in caussis matrimonialibus, nec criminalibus, quae criminaliter aguntur, licet compromittere; nec enim pro arbitrio suo licet compromittentibus matrimonio abire, & imperii est poenas irrogare. Nec valet compromissum de statu ecclesiae, veluti de exemtione, quia de iure alieno, pontificis nempe, agitur, *cap.* 5. *ex. de arbitris*.

§. VI. Compromisso electus arbiter tantum volens recipit, seu acceptat arbitrium, est enim haec res libera & soluta, & extra necessitatem iurisdictionis posita, *L.* 3. §. 1. *D. de receptis, qui arbitrium*. Videtur vero arbiter arbitrium recepisse, qui iudicis partes suscepit, finemque sua sententia controuersiis impositurum pollicetur. Semel vero receptum arbitrium necessario implendum est; & si arbiter implere detrectet, magistratus iurisdictione

com-

compellitur, *L.* 32. §. 12. *D. eodem*, nisi iusta caussa subsit recepti arbitrii abiiciendi, veluti si compromissum nullum, aut incertum sit, si litigantes arbitrum infamauerint, si spreta eius auctoritate ad alium arbitrum iuerint. V. Huber. *praelect. ad pandectas lib.* 4. *tit.* 8. *n.* 5.

§. VII. Arbitri quocumque modo partium compromisso sumti nullam sic proprie dictam habent iurisdictionem, nec proprie iudices sunt, sed partes iudicis suscipiunt, *L.* 13. §. 2. *D. de receptis, qui arbitrium*, & ab eis dicta sententia proprie sententia non est, sed ab iurisconsultis vocatur *arbitrium*, *L.* 9. *D. qui satisdare coguntur*, & praesenti vsu fori *laudum* audit, idque a *laudare*, quod sequiore latinitatis aeuo erat iudicare. V. Hotom. *de verb. feudalib.* Nec arbitrium in rem iudicatam abit, nec inde datur actio iudicati, nec irrogatur infamia. Itaque arbitri puram notionem habent, qua de caussa cognoscunt & arbitrantur,: notio vero ista & potestas ex compromisso pendet, nec aliud iis facere licet, quam quod ibi compromissum est, & quatenus placuit, *L.* 32. §. 15. *D. de receptis, qui arbitrium*. Ceterum etsi arbitri iurisdictione destituantur; tamen arbitria ferme sollemni iudiciorum more instituuntur.

§. VIII. Quamuis vero arbitri sententia rei iudicatae auctoritatem non consequatur, nec inde iudicati actio detur; tamen tenentur compromittentes arbitrio stare, siue illud aequum, siue iniquum sit, *L.* 27. §. 2. *D. de receptis, qui arbitrium;* sibi enim debent imputare, qui compromiserunt, danturque propterea actiones, quibus illi per indirectum arbitrio stare compelluntur. Ergo iure Romano si stipulatione compromissum initum sit addita poena, ex stipulatu ad poenam agitur; poena vero non adiecta, agitur in incertum, hoc est, ad id, quod interest, *cit. L.* 27. §. 7. Et Iustinianus, compromisso per nudum pactum inito, dedit actionem in factum ad sententiae executionem, itemque exceptionem, modo decem dierum spatio partes expresse vel tacite eam probauerint; nondum vero elapsis decem diebus licere voluit vtrique parti impune resilire, *L.* 5. *C. de receptis arbitris*. At iure canonico vi maiore arbitria donantur; etenim si poena adiecta sit compromisso, eius metu partes sententiae stare coguntur,

cap.4. & 9. ex. de arbitris: sin minus, & actio in factum ad eius exsecutionem, & exceptio statim dantur, *cap.5. & 9. ex. eodem*, etiamsi nudo pacto compromissum sit.

§. IX. Quacumque vero actione compromittentes arbitrio stare coguntur, appellationis auxilio non iuuantur; non enim ab arbitri compromisso sumti sententia datur appellatio, quod non minus iure ciuili, quam canonico cautum est, *L. 1. C. de receptis arbitris*, *can. 33. C. 2. q. 6.*, repugnat enim rationi, qua itur ad arbitros, appellatio; (itur nempe ad arbitros, vt lites cito & compendio expensarum finiantur) itemque sibi imputare debet, qui compromisit, & veluti transegit, si minus aequum arbitrium videatur. Ceterum vsu fori passim receptum est, vt sententia arbitri, si iniqua videatur, reducatur ad arbitrium boni viri: quae reductio parum ab appellatione distat, & ita arbitria apud iudicem ordinarium deferuntur.

§. X. Haec de arbitris voluntariis, dicendum nunc de arbitris iuris, qui citra compromissum a partibus eliguntur, at iussu legis seu canonis, qui eos sumendos iubet. Ita iure ciuili si delegati iudices suspecti esse dicantur, eligi debent arbitri, qui de ipsa principe caussa cognoscant, *L. 16. C. de iudiciis*. Et in ecclesia Africana, vbi placuit, quotannis non celebrari synodum vniuersalem, eligi debebant arbitri, qui de appellatione a sententia synodi prouincialis cognoscerent, *can. 96. C. Afric.* Et iure decretalium si delegati iudices tamquam suspecti reiiciantur, eligi debent arbitri, qui de suspicione, non de caussa cognoscant, *cap. 39. ex. de off. delegati*, licet contra iure ciuili cautum sit.

§. XI. Arbitri iuris vtpote iussu legis, seu canonis ab ipsis partibus constituti, veri iudices sunt, censentur enim ab eo, qui electionem iussit, principe nempe, aut praetore dati, *L.16. C. de iudiciis*. Hinc veram habent iurisdictionem, & eorum sententia rei iudicatae auctoritatem consequitur, & ab eis recte appellatur: quod & ciuili & decretalium iure cautum est, *L. 9. D. qui satisdare cogantur*, *L. 23. D. de appellationibus*, *cap. 11. de off. delegati in 6.* Sed si ita est, cur arbitri dicuntur, non iudices? quia scilicet consensu partium eliguntur, ideo

arbitri

arbitri nomen datur, quum tamen veri iudices sint, vt arbiter pro socio, tutelae. V. Cuiac. *in L. 16. C. de iudiciis*.

CAPVT XV.

De iudiciis & eorum ordine generatim.

§. I. Leges in republica & canones in ecclesia nullius essent vsus, nisi per iudicia ad dirimendas controuersias applicarentur. Iudicii nomine venit legitima discussio inter actorem & reum apud iudicem competentem litis finiendae, vel maleficii puniendi caussa. Conuenit haec definitio non minus ciuili, quam ecclesiastico externi fori iudicio; nam in foro interno ex noua disciplina tantum iudex & reus iudicio adsunt. Ita in quolibet externi fori iudicio iudex, actor & reus interueniunt; at certe iudicia dicta sunt a iudicibus, qui iuris inter partes controuersi disceptatores legitimi sunt.

§. II. Multae sunt iudiciorum species pro varia negotiorum, quae disceptantur, indole, & pro varia, qua instituuntur, ratione. Principio iudicium aliud est ecclesiasticum, aliud saeculare. Ecclesiasticum in foro ecclesiae disceptat caussas ecclesiasticas, siue illae natura sua spirituales sint, siue temporales, puta caussae clericorum ciuiles. Saeculare iudicium est, in quo apud saeculares iudices caussae temporales disceptantur. Vtrimque veluti participat misti fori iudicium, in quo ecclesiasticus, aut ciuilis iudex, qui praeuenerit & caussam veluti occupauerit, cognoscit, cuius generis iudicia antiquitati ignota sunt.

§. III. Praeterea iudicia alia sunt ciuilia, alia criminalia, omnia enim iudicia aut distrahendarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorum caussa reperta sunt. Ciuilia ad priuati iuris, siue commodi & priuatae iniuriae persecutionem spectant; criminalia vero crimina persequuntur, & poenam in publicae pacis violatae vltionem irrogant. Sed ecclesiastica criminalia iudicia ori-

gine sua non tam ad publicam vindictam, quam ad reorum conuersionem spectant.

§. IV. Iudicium quoque diuiditur in *petitorium*, & *possessorium*, vt receptis vocibus vtar. Petitorium, quod *dominii litem* iurisconsultus appellat, *L.* 18. *D. de vsuris*, est, in quo de proprietate agitur, vel de alio iure in rem ipsam competente. Iudicium possessorium, quod per interdicta iure ciuili exercetur, in sola possessione versatur, quaeriturque, vtrum quis possideat, an non; item de adipiscenda, retinenda, vel recuperanda possessione, quaestione dominii seu iuris ad maturius examen reiecta. Itaque finito possessionis iudicio, & vni data possessione, onus victo incumbit ius suum in proprietatis iudicio probandi, quo non probato, res manebit apud possessorem, §. 4. *instit. ciuil. de interdictis*.

§. V. Sed a forma procedendi iudicium aliud est *ordinarium*, aliud *summarium*. Illud acta omnia & sollemnia, quae in iudiciis leges praescribunt, seruat, tam circa ea, quae pertinent ad intrinsecam iudicii naturam, quam circa sollemnia. Hoc vero, omissis sollemnibus, ea tantum seruat, quae intrinseca iudiciis sunt, ea nempe sine quibus de veritate & iustitia non constat. Inde vero dictum videtur summarium, quod in legibus Romanis iudices saepe praecipiuntur *summatim* procedere, *L.* 5. §. 8. *D. de adgnoscendis & alendis liberis*, *L.* 15. §. 4. *D. de re iudicata*.

§. VI. Iudiciales disceptationes ordine procedere debent, confusione enim obscurantur potius, quam explicantur partium iura. Ordo iste *iudicium* etiam dicitur, passim *processus* audit; est vero idonea dispositio actorum iudicialium semet praescripto modo subsequentium, vt in lite coram iudice mota omnis confusio euitetur, veritas factorum eruatur, & suum cuique tribuatur. Et profecto ordo iudiciarius est legibus praescriptus, iudicisque est ordinem procedendi dirigere per interlocutiones, ne partes a tramite iustitiae declinent, *cap.* 19. *ex. de iudicis*, *cap.* 22. *ex. de accusationibus*: qua in re nihil pro arbitrio, sed omnia auctoritate legum & canonum iudex constituere debet.

§. VII. Iam vero iudicia canonica, in quibus agebatur

tur de criminibus puniendis, olim ex legum ciuilium forma ecclesia ordinare consueuit. V. Petr. de Marca *de conc. sacerdotii & imperii lib. IV. cap.* 20. *n.* 7. & Feuret. *de abusu lib. I. cap.* 9. Sane Iulius papa *epist. ad Orientales* nullam esse contendebat damnationem Athanasii in Tyrio concilio peractam, quod absente reo, idest non euocato ad testium prolationem, aduersus ordinem legibus constitutum decreta esset. Et Gregorius M. *lib. XI. epist.* 54. sententias ab episcopis Hispanis latas nullas esse probat, quod non seruatis legum sollemnibus prolatae essent. Sequebatur vero ecclesia in re criminali ordinem iudiciarium legibus probatum in iis, quae intrinseca iudiciis erant, quaeque ab ecclesia in vsum verti poterant; nam tormenta & quaestiones in foro ciuili receptas olim ecclesia numquam vsurpauit, vtpote quae erant ab ecclesiastica mansuetudine alienae.

§. VIII. Sed quod spectat ad iudicia ciuilia, ea in veteri disciplina posthabitis legum sollemnibus ex bono & aequo apud episcopos peracta sunt. Nimirum in caussis pecuniariis episcopi potius vt arbitri, quam iudices cognoscebant, idque curabant vnum, vt sedatis animorum motibus litigantes cito in concordiam redirent. Vetus haec iudiciorum forma exstat apud auctorem constitutionum apostolicarum *lib. II. cap.* 47., qui iudicia ex bono & aequo procul fori ambagibus ab episcopo inter presbyteros sedente expeditas exhibet. Stetit eadem iudicandi forma etiam postquam clerici in caussis ciuilibus de magistratuum iurisdictione exemti sunt: Iustinianus enim tanti priuilegii auctor edixit, vt episcopi sine scriptura sollemni & de more sacerdotum caussas pecuniarias clericorum celeriter definirent, idque ne illi litibus implicati ab altaris ministerio auocarentur, *nouel. LXXXIII.*

§. IX. Sed decursu temporis methodus, qua in caussis tractandis ecclesia vtebatur, pro maxima parte mutata est, & ordo iudiciarius in ciuilibus per forenses ambages explicari coeptus est, in criminalibus vero nouas multasque adiectiones admisit. Tantae mutationis caussam praesertim praebuit studium iuris ciuilis, quod in Italia saeculo decimo secundo florebat & in academiis publice docebatur. Huic enim studio in primis operam de-

dederunt clerici, qui legum scientia non contenti eas in vsum deducere voluerunt, atque ita ordinem iudiciarium ipsis legibus, saepe etiam earum glossis, inaedificarunt. Operi perficiundo accesserunt Romani pontifices, qui Romanas leges statim amplexi sunt, & earum auctoritate vti coeperunt, qua de re conqueritur S. Bernardus *lib. I. de consid. cap.* 4. in aula pontificis quotidie personare leges Iustiniani, non Christi. Et profecto Alexander III. & Innocentius III. & deinceps successores earum legum peritia imbuti, inde responsa dederunt, inde ordinem iudiciorum dictarunt, multa innouarunt, saepe etiam contra expressas leges statuerunt. Hinc bona pars libri primi decretalium Gregorii IX. & integer liber secundus nihil aliud continent, nisi modum & formam caussas ciuiles instruendi & decidendi (*a*).

§. X. Iam ex regulis Romani iuris caussae ciuiles triennio, criminales vero biennio a die contestationis finiri

(a) Ordo iudiciarius decretalium auctoritate procusus non solum in ecclesiastico, sed etiam pro maxima parte in ciuili foro receptus est, quod Cuiacius *praef. in lib. IV. decretalium* obseruat. Nimirum apud gentes, quae in Occidente noua regna fundarunt, non tricis forensibus iudicia constabant, sed potius veritas demonstrari credebatur vanis probationibus per aquam calidam, frigidam, ferrum candens, duellum aliosque consimiles modos, quibus miraculo opus erat ad eruendam veritatem; obtinebantque probationes istae non minus in re criminali, quam ciuili. Sed demum populi deliria ista respuerunt, eorumque loco formam iudicandi in foris ecclesiasticis, quam cognitam habebant, adoptarunt, praesertim quando ecclesiasticae formae ipsi laici, qui in plerisque caussis media aetate apud episcopos conueniebantur, erant adsueti. Eo etiam contulerunt clerici, qui vbi desueuerunt vulgares probationes, iudicibus laicis in iure dicundo adsessores accesserunt: iudices enim laici, vtpote milites & nobiles, nulla litterarum & legum peritia imbuti erant, & idcirco clericos necessario adsciscebant in consilium. Fleury *iur. eccles. par. III. cap. 6. n.* 1. Et ita clerici iudicibus laicis adsidentes decretalium formulas in ciuile forum intulerunt.

niri debent, quibus spatiis exactis instantia iudicii perimitur, *L.* 13. *C. de iudiciis*, *L.* 3. *C. vt intra certum tempus*; interest nimirum reipublicae, lites & odia diutius non differri. Iure decretalium eadem iurisprudentia repetita videtur, *cap.*20. *ex. de iudiciis*, quamuis ex ipsis decretalium placitis vix erat, vt instantia triennio, aut biennio finiri posset; decretales enim ab omni grauamine & quauis interlocutione appellari permittunt, & porro multa alia impedimenta ad lites in longum trahendas proponunt. Itaque Tridentini patres *sess.XXIV. de ref. cap.* 20. statuerunt, vt caussae omnes fori ecclesiastici coram ordinariis locorum saltem biennio a die motae litis terminentur. At regula ista in vsum deducta non videtur: & in ipso ciuili foro ob litium multitudinem lapsu temporis instantia non perimitur.

CAPVT XVI.

De ordinario iudicio ciuili ecclesiastico, in primis de citatione.

§. I. ORdo iudiciarius in decretalibus statutus ab iuris canonici tironibus non debet ignorari, licet alias forenses tricae a purioribus disciplinae regulis longe distent. Iudicium ciuile late sumtum ab in ius vocatione, seu citatione exordium sumit. Est autem in ius vocatio, seu citatio iure ciuili nouo actus iudicialis (*a*), quo

(a) Veteri Romano iure *in ius vocatio* & *citatio* differebant. Actor ipse reum priuata auctoritate in ius vocabat, eumque, nisi confestim iret, aut vadimonium promitteret, vi facta in ius rapiebat. V. Heinec. *antiq. lib. IV. tit.* 6. §.14. *seq.* Sed citatio fiebat iussu iudicis per praeconem, interdum etiam per edictum; nec tantum reus, verum etiam actor, patroni & testes in iudicium citabantur. Briss. *de verbor. signif.* At labentibus annis, vbi iura democratiae penitus interciderunt, potestas

quo ad instantiam actoris a iudice competente ex caussa adiecta reus vocatur in iudicium litis instituendae & peragendae caussa. Omni autem iudicio inest citatio, & ad eius intimam naturam pertinet, *L. 4. C. de sentent. & interlocutionibus*, vetat enim non minus naturalis, quam ciuilis ratio, quemquam indefensum & inauditum damnari.

§. II. Instantia actoris in caussis ciuilibus libello conventionali continetur. Libellus est breuis scriptura, qua actoris petitio clare & distincte proponitur. Veteri iure Romano actiones certis & sollemnibus formulis erant inclusae, easque antequam actores agerent, a praetore debebant impetrare: inde iure nouo formulae earumque impetrationes sublatae sunt, *L. 1. & 2. C. de formulis sublatis*, & genus futurae litis libello comprehendi coepit, in quo speciem, genus & nomen actionis necesse erat exprimere, si vera Cuiacius *in cap. 6. ex. de iudiciis* obseruat. At iure decretalium non admodum desideratur expressio nominis actionis, & satis est pure & simpliciter factum ipsum enarrare, & in factum agere, congrua tamen ipsi facto adiecta petitione, *cap. 15. ex. de iudiciis*. Debet vero ita concipi libellus, vt inde reus de caussa plene instruatur, eoque edito deliberet, vtrum cedere velit, an contendere. Hinc libellus clarus, certus & aptus esse debet, quas qualitates interpretes pluribus enarrant. Ceterum libellus in omnibus ciuilibus caussis adhibendus est, nisi sint leuiores ac breuiores, quae summario iudicio tractandae sunt. *Clement. 2. de verbor. signif.*

§. III. Iam in ius vocatio seu citatio alia simplex est, alia peremtoria. Simplex continet merum praeceptum, vt reus intra certum tempus iudici se sistat, nec ante reum facit contumacem, nisi tertio repetatur, quod legis

---

testas in ius vocandi actori ablata est, & noua inualuit in ius vocandi ratio, quae fit auctoritate iudicis, quaeque eadem est ac citatio. Latius vero patet citatio, quam in ius vocatio; illa enim vsurpatur in quauis iudicii parte, dum singuli actus iudiciarii litigantibus manifestantur, haec vero restringitur ad primam citationem, vnde iudicium incipit. V. Vinn. *ad §. 3. inst. de poena temere litigantium*.

gis mansuetudo introduxit. Contra peremtoria praestituto die reum comparere iubet, eumque, si non veniat, facit contumacem; in peremtorio enim comminatur iudex, etiam absente parte aduersa se cogniturum, nec passurum, vt aduersarius vltra tergiuersetur, *L.* 31. *D. de iudiciis*, *cap.* 6. *x. de dolo & contumacia*. Edictum peremtorium iure ciuili post tres simplices citationes impetratur, aliquando post vnam & alteram, aliquando statim, quod appellatur *vnum pro omnibus*; pendetque ab arbitrio iudicis pro caussae, personae, aut temporis conditione ordinem & compendium edictorum moderare, *L.* 70. *& L.* 72. *D. eodem.* Interualla vero inter vnam & alteram citationem iure decretalium arbitrio iudicantis pro locorum & temporum ratione statuuntur, *cap.* 7. *ex. de dolo & contumacia*.

§. IV. Vt vero citatio legitima sit, plura debet continere, nomen nempe iudicis citantis, diem & locum, quando & quo reus se sistere debet, nec caussa citationis omittenda est. Et iudicis quidem nomen decreto citationis contineri necesse est, tum quia in ius vocatio iure nouo ab iurisdictione descendit, tum etiam vt videat reus, num ad proprium iudicem vocetur. Quoniam vero delegatus iudex alienam exercet iurisdictionem, citationis decreto inserendum est exemplum litterarum, quibus ei mandata caussa est, *cap.* 2. *ex. de dilationibus*, nec enim alias de eius iurisdictione reo constare potest. Quod si iudex in ius vocans incompetens sit, debet etiam reus comparere, priuilegia sua allegaturus: iudicis enim est aestimare, num sua iurisdictio sit, *L.* 5. *D. de iudiciis*, nisi manifestum sit, iudicem esse incompetentem, quo casu vocatus non tenetur se iudicio sistere.

§. V. Certus quoque locus, quo reus venire, & se sistere iudici praesentem debet, litteris citationis exprimendus est: quod praecipue obtinet, si iudex delegatus sit, non item si sit ordinarius; hic enim suum certo loco tribunal habet, ille non habet. Sed si ordinarius iudex, velit extra locum solitum ius dicere, locum etiam oportet designari, *L.* 59. *D. de iudiciis*. Locus vero, in quem reus vocatur, ipsius citantis iurisdictioni subiectus esse debet, & praeterea ipsi citato tutus: contra naturam

enim

enim videtur esse, cogi reum ad locum non tutum venire, *Clement.2. de sententia & re iudicata*, quod idem ius est, si locus, per quem reus transire debet, tutus non sit, *cap. 4. ex. vt lite pendente nihil innouetur*. At inquies, vbi tutus non est iudicii locus, potest reus per procuratorem respondere. Video, sed hoc ipso excusatur reus, quod ei per se respondere non licet.

§. VI. Praeterea dies, quo reus iudici se sistere praesentem debet, certus sit oportet, eumque arbitratu viri boni iudex ipse praestituet, spectatis locorum, temporum & personarum adiunctis. Praestitutus vero dies feriatus esse non debet. Feriati dies sunt, quibus lite vacant aures, seu quibus fora conquiescunt, eorumque alii religionis caussa, alii ad humanum vsum sunt instituti, quorum hi sunt feriae messis & vindemiarum, illi sunt dies deuotionum, seu festi dies, quibus religioni vacandum est. Acta iudicialia in feriis humanis ex partium consensu recte expediuntur; in feriis vero religionis omnino nulla sunt, etsi partium consensu expedita, *L. 1. §. 1. D. de feriis*, *L. 2. in fin. C. de feriis*, *cap. vlt. ex. de feriis*. Sed summus pontifex etiam ipsa dominica die acta iudicialia recte expedit, *cap. 6. ex. de dolo & contumacia*, *cap. 15. ex. de accusationibus*.

§. VII. Item in litteris citatoriis caussa, cur reus vocatur, exprimi debet, vt ille deliberare possit, num cedere, an contendere velit. Veteri iure Romano vbi demum in ius, seu apud praetorem ventum erat, edebatur actio, & ita caussa vocationis reo innotescebat. V. Heinec. *antiq. lib. IV. tit. 6. §. 19.* Inde iam sublato veteri in ius vocationis ritu, edixit Iustinianus, vt in ipsa vocatione libellus conuentionalis reo tradatur, *nouel. LIII. cap. 3.*: & ita in ius vocatio & actionis editio in vnum iudicialem actum coaluerunt. Iure decretalium non admodum necessarium est vocationis caussam exprimere, aut simul libellum reo offerre: at iam paene omnium locorum statutis cautum est, aut vsu fori receptum, vt caussa citationis decreto ipso exprimatur, vel libellus simul reo offeratur.

§. VIII. Decreta per iudicem in ius vocatio reo manifestanda est, quae denuntiatio apparitoris, seu publici nuntii

nuntii opera solet expediri. Denuntiatur autem vel in ipsam rei faciem, vel ad domum: in faciem, si rei copia haberi possit, alias ad domum, vbi habitat, aut si plures domos habeat, in qua frequentius residet, aut residere tenetur. Quod si reus absit, & vbi sit ignoretur, per edictum publico loco adfixum euocandus est, *cap.* 10. *ex. de dolo & contumacia*, vt ita reus absens per propinquos aut amicos, quibus edictum patet, admoneatur. Si vero reus degat in alieno territorio, auctoritate iudicis illius loci opus est ad citationem faciendam. Quacumque vero ratione citatio facta sit, nuntius id in acta referre debet, & quidem die, loco, modo factae citationis aliisque adiunctis expressis.

§. IX. Iure facta citatio plures effectus producit. Sane facit, vt caussa coram iudice, qui in ius vocauit, pertractanda sit, etsi reus, postquam adesse iussus est, alterius fori esse coeperit, *L.* 7. *D. de iudiciis*, *cap.* 19. *ex. de foro competenti*, item perpetuat iudicis delegati iurisdictionem etiam post delegantis mortem, *cap.* 20. *ex. de officio delegati*. Item citatio praescriptionem triginta annorum vsurpat, *L.* 3. *&* 7. *C. de praescriptionibus trig. annorum*, & litis pendentiam inducit, modo in ea talia sint expressa, vnde reus plene de caussa instrui possit, *Clement.* 2. *vt lite pendente*. Hinc facta citatione res euadit litigiosa, nec potest alienari, *cap.* 3. *ex. vt lite pendente*, nec aliquid aliud vsque ad caussae finem innouandum.

C A P V T XVII.

De contumacibus.

§. I. IVdici legitime vocanti parendum est, nisi vocatus contumaciae notam subire velit. Contumacia est contemtus & inobedientia, qua quis iudici praecipienti siue initio litis, siue in persecutione non obtemperat, qualis censetur, qui tribus edictis, aut vno pro tribus in iudicium vocatus, venire neglexerit, *L.* 53. §. 1. *D.*

de

de re iudicata, item qui impedit, ne citatio ad reum possit peruenire, *cap*.5. §.1. *ex. vt lite non contestata*, item qui venit in iudicium, at iudici obtemperare recuset, *L. vn. D. si quis ius dicenti non obtemperauerit*, aut fine illius venia susceptum iudicium deserat, *cap*.4. *ex. de dolo & contumacia*.

§. II. Non minus reus, quam actor esse potest contumax: quin actoris contumacia maior & foedior censetur quam ipsius rei, cuius est fugere & subterfugere iudicium. Vtrique autem impune non ferent, quod iubenti iudici non obtemperauerint. Et actor quidem iure decretalium si eo termino, ad quem aduersarius citatus est, iudici se sistere negligat, condemnatur in expensas, & ad aliam citationem non admittitur, nisi praestita cautione de iudicio sisti, *cap*. 1. *de dolo & contum. in 6.* Immo si citatus actor non compareat, ad caussam proceditur, & definitiua sententia profertur, *cap*. 3. *ex. de dolo & contumacia*. Quod si contestata iam lite actor contumax euaserit, eius procurator, si quem reliquerit, appellatur; vel si neminem reliquerit, aut procurator venire contemserit, ipse absens per edictum domui eius adfixum vocatur, & inde caussa expeditur, *cit. cap*. 3.

§. III. Quod vero spectat ad reum contumacem, interest, num is nondum contestata lite, an vero postea contumax fiat. Si primum in actione in rem actor mittitur in possessionem bonorum, de quibus quaestio est; in actione personali mittitur actor in possessionem bonorum mobilium ipsius rei, vel immobilium, si forte mobilia desint, pro debiti quantitate. Quae quidem possessio non tam possessio est, quam custodia, vt taedio affectus reus veniat responsurus. Intra annum veniens contumax cautione praestita iudicio sisti, & refectis expensis possessionem recuperat: qua cautione intra annum non oblata, actor nouo decreto verus possessor constituitur, *cap*.5. §.6. *ex. vt lite non contestata*. Si alterum, nempe si reus contestata lite contumax euadat, & ex actis liqueat de caussa, iudex sententia sua litem definiet; si non liqueat, actor in veram possessionem mittitur, salua reo dominii lite, *cap*. 4. *ex. de dolo & contumacia*. Sed in caussis beneficiariis ob rei contumaciam missio in possessio-

ſeſſionem non decernitur, ne in beneficia vitioſus detur ingreſſus, *cap. vn. de eo, qui mittitur in poſſeſ. in 6.*

§. IV. Sunt aliae poenae, quibus iure decretalium contumacia praeſertim rei coërcetur, quales multae dictio, ſequeſtratio poſſeſſionis, condemnatio in expenſas, in primis vero excommunicatio, quae tum praecipue locum habet, ſi cauſſa talis ſit, in qua miſſio in poſſeſſionem decerni non poſſit, *cap. 3. ex. de dolo & contumacia*. Ex poenis vero iure in contumaces propoſitis vnam, quae magis timeri debeat, initio iudex ſeligat, ad aliam nihilominus proceſſurus, ſi proteruitas contumacis mereatur, *cap. 5. §. 8. ex. vt lite non conteſtata*. Verum noviſſimo Tridentini iure in *ſeſ. XXV. de ref. cap. 3.* tum demum reus contumax excommunicatione coërcetur, ſi perſona aut re coërceri nequeat.

C A P V T XVIII.

De exceptionibus & mutuis petitionibus.

§. I. QVod ſi reus vocatus in iudicium veniat, velitque litigare, ſe defendere debet, idque fit, vel negando actionis fundamentum, vel cauſſam fatendo quidem, ſed exceptione adiuncta. Exceptio proprie & ſtricte ſumta *eſt actionis excluſio, L. 2. D. de exceptionibus*, ſeu clarius eſt defenſio rei, quae actioni alioquin conſtitutae oppoſita eam ob aequitatem elidit. Ita exceptio ſupponit efficacem actionem, quam impugnat & inefficacem reddit, veluti ſi actioni ex ſtipulatu metus obiiciatur, actio alioquin iure ciuili efficax eliditur, *§. 1. inſt. ciuil. tit. de exceptionibus*. Ceterum allegationes, quibus ipſo iure actio denegatur, veluti compenſationis, ſolutionis, exceptiones lato ſenſu dici poſſunt.

§. II. Sunt vero exceptiones duplicis generis, aliae dilatoriae & temporariae, aliae perpetuae & peremtoriae. Dilatoriae principalem cauſſam non perimunt, ſed ad tempus differunt, quales exceptiones iudicis incompe-

tentis, feriarum, libelli obscuri, petitionis ante diem. Contra peremtoriae semper agentibus obstant, & caussam omnino perimunt, quales exceptio doli mali, metus, pacti de pecunia omnino non petenda. Sed peremtoriarum aliae esse dicuntur *litis finitae*, aliae simpliciter *peremtoriae*, quarum illae impediunt litis ingressum, quales transactionis, rei iudicatae; hae litis contestationem non impediunt, quales exceptio doli, metus.

§. III. Exceptiones dilatoriae inter exordia litis, hoc est ante litem contestatam opponendae sunt, quae vtriusque iuris regula est, *L.* 12. *& seq. C. de exceptionibus*, *cap.*20. *ex. de sentent. & re iudicata:* contra peremtoriae opponuntur quandocumque ante latam sententiam, *L.* 4. *&* 8. *C. de exceptionibus:* immo quae appellantur litis finitae, etiam post sententiam in actione iudicati recte opponuntur, veluti si opponatur, rem alias fuisse iudicatam. V. Cuiac. *in cap.* 29. *ex. de testib. & attestationibus*. Sed inter dilatorias prima opponi debet praescriptio fori, nam si sciens, iudicem tibi incompetentem esse, aliam prius opponas, iam hoc ipso in eum consentis, & eius iurisdictio prorogatur, *L.* 1. *& seq. D. de iudiciis*, nisi clericus in laicum iudicem consentiat, *cap.* 12. *ex. de foro competenti*. Aliquando tamen etiam post litem contestatam dilatorias opponere licet, si exceptiones ipsae, vel earum notitia post contestationem suboriatur, *cap.* 21. *ex. de officio delegati*. Sed ne reorum malitia lites in longum trahantur, debet iudex certum dilatoriis exceptionibus opponendis diem dare, post quem illae tantum rite opponentur, quas reo noua obtulit caussa, quasue reus sibi non fuisse cognitas iuratus dixerit, *cap.* 4. *ex. de exceptionibus*; itemque illae, quae omissae iudicium nullum reddunt, *cap.*4. *ex. de procuratoribus*, & quae grauamen perdurans continent, veluti exceptio loci non tuti, *Clementin.* 2. *de sentent. & re iudicata*. Sola exceptio maioris excommunicationis in quacumque litis parte opponi potest, quod iure singulari cautum est, ne quis cum periculo animae suae cogatur cum excommunicato communicare, *cap.* 12. *ex. de exceptionibus*, *cap.* 1. *eodem in 6.*

§. IV. Quemadmodum vero reus ad excludendam a-

ctionem exceptione vtitur; ita quoque fas est actori replicatione exceptionem a reo propositam excludere, & suam actionem confirmare. Est enim replicatio exceptionis exclusio, *L.2. D. de exceptionibus:* atque ideo quamvis a parte actoris veniat, tamen potius est exceptio, quam actio, quia excipienti reo opponitur, reus vero *in exceptione actor est*, vt recte Vlpianus *L. 1. D. eod.* obseruat. Item si contra actoris replicationem aliquid opponere reus habeat, duplicationem proponit, atque ita deinceps ex regulis iuris ciuilis triplicationes & quadruplicationes vsurpantur. Verum in foro ecclesiastico duplicationibus, aut triplicationibus locus non est, sed iudex ex officio iis modum imponit.

§. V. Nec tantum exceptionibus, verum etiam mutuis petitionibus contra actorem reo vti licet in sui defensionem. Mutua petitio seu reconuentio est actio, quae a reo conuento in eodem iudicio contra actorem instituitur, idque siue actione in personam, siue actione in rem reus conuentus sit, siue eadem, siue diuersa caussa sit. Hinc mutua petitione reus non excludit actoris intentionem, quod proprium exceptionis est; sed potius intendit specie quadam compensationis se tueri, & ipsam actionem retundere. Proposita ante litem contestatam reconuentio, vtraque caussa simul tractatur; at si iam contestata lite proponatur, prorogatur quidem iudicis iurisdictio, vt de mutua petitione cognoscere possit, at vtraque caussa vno iudicio non tractatur. Gonzalez *in cap. 1. ex. de mutuis petitionibus.*

§. VI. Reconuenire licet omnibus, quibus agendi ius est: est enim reconuentio vera actio, quam reus contra actorem intendit. Hinc excommunicatus inutiliter mutuo agit: quamuis enim recte contra actionem excipiat, ne indefensus damnetur; non tamen eidem agere licet, *cap. 5. ex. de exceptionibus*. Actoris autem & rei mutuo agentis par esse conditio debet; atque ideo si actori ex rescripto pontificis iudex datus sit, qui *remota appellatione* cognoscat; delegatus iudex etiam sine appellatione in caussa mutuae petitionis cognoscere debet, *cap. 2. ex. de mutuis petitionibus;* non enim debent actor & reus diuerso iure iudicari, *L.vlt. C. de fructibus & litium expensis.*

§. VII. Proponenda est reconuentio apud eumdem iudicem, apud quem instituta actio est, siue iudex ordinarius, siue delegatus sit, *cap.3. de rescriptis in 6.*, quod certo iure comprehensum est ea ratione, quod aequum est, vt actor reconuentus eumdem habeat iudicem, *cuius in agendo obseruat arbitrium*, *L. 14. C. de sententiis & interlocutionibus*, seu quem ipse sponte sua contra reum adiit. Hinc clericus, qui apud iudicem laicum actiones suas proposuit, apud eumdem recte reconuenitur, licet alias clericus in laicum iudicem vetetur consentire; reconuentio enim non tam clerici consensu, quam legum auctoritate nititur. Verum apud iudicem delegatum tum recte mutuo agitur, quum ille datus est ad preces reconventi; non item si *motu proprio*, vt dicitur, electus fuerit, quum actor iudicem istum non elegerit, sed fortuito sortitus sit. V. Gonzalez *in cap. 1. ex. de mutuis petitionibus n.* 10.

§. VIII. Sunt vero multae caussae, quibus mutuae petitiones obiici nequeunt, siue quod natura sua seorsum tractandae sunt, siue quod iudex conuentionis in reconventione iudex omnino esse vetatur. Tales sunt caussae criminales, nam innocentia, non relatione criminis reus purgatur, *L.5. D. de publicis iudiciis:* caussa depositi, *cap. vlt. ex. de deposito*, tanta est depositi fides: caussae, quae coram arbitris ex compromisso aguntur, *cap. 6. ex. de arbitris:* & caussae super interdicto vnde vi, siue de restitutione spoliatorum, vt habent decretales: etenim qui vi possessorem deiecit, conuentus frustra mutuo agit, nec quidquam habere prius debet iudex, quam vt per vim deiectum restituat, *cap. 1. ex. de restitutione spoliatorum.* Et demum non licet reconuenire de re spirituali apud iudicem laicum, cuius iurisdictio ad spiritualia proferri nequit.

CA-

CAPVT XIX.

De litis contestatione.

§. I. SI quae opponantur exceptiones, nullae sint, aut oppositae satis discussae & reiectae, aut ad caussae decisionem reseruatae, ad litis contestationem veniendum est, vnde proprie lis initium habet; nec enim ante lis proprie erat, sed controuersia. Iure Romano nouo litis contestatio fit, per petitionem actoris in iure propositam, & rei contradictionem & responsionem, *L.*14. §.1. *C. de iudiciis* (*a*). Contradictio vero debet esse certa & specialis, non ambigua, nec conditionalis, quaeque continet contradictionem eius, quod petitur: nec enim alias status controuersiae vere determinatur.

§. II. Iure decretalium etiam petitione apud iudicem proposita, eique facta responsione lis contestatur, *cap.vn. ex. de litis contestatione*. Responsio autem negatiua esse debet, quae ex certa scientia procedat, & quae litem de re principali cum actore suscipiendi animum contineat. Sed hoc iure responsio non necessario debet esse specialis, sed sufficit generalis, qua reus intentioni actoris contradicat. Ita facta generali responsione status caussae non bene constituitur & definitur: & hinc iure decretalium *positiones* inductae sunt, quibus status controuersiae distincte constituatur. Etenim positiones sunt quaedam propo-

 sitio-

(a) Veteri iure Romano lis contestata dicebatur, vbi ordinato iudicio, seu statu controuersiae apud praetorem partibus praesentibus determinato, partes dicebant, *testes estote*, quod tradit Festus v. *contestari*. Itaque a testibus dicta est litis contestatio; *contestari* enim erat testibus adhibitis aliquid declarare, *L.* 1. §. 12. *D. de adgnoscend. & alendis liberis*. Ritus aduocandi testes inde desueuit, & contestatio per petitionem in iure propositam & contradictionem facta est.

ſitiones ex libello deductae, & iudici ab actore oblatae, vt reus ad ſingula libelli momenta ſpeciatim reſpondeat. Oblatis poſitionibus vtraque pars iureiurando interrogatur, an vera credat, quae theſibus illis comprehenſa ſunt. Facta reſponſione cauſſae ſtatus diſtincte conſtituitur, & lis perfecte conteſtatur, *cap.2. ex. de iuramento calumniae.* Ceterum ad litem conteſtandam ſaltem iure decretalium vtriuſque partis praeſentia opus eſſe non videtur.

§. III. Litis conteſtatio ex principiis iuris initium & fundamentum iudiciorum eſt, & negotium ante non proprie lis, ſed controuerſia cenſetur. Per conteſtationem enim ſtatus controuerſiae definitur: & nondum conſtituto cauſſae ſtatu, qui iudicium eſſe poteſt? Ergo nulla eſt ſententia, ſi litis conteſtatio non praeceſſerit, *L.4. C. de ſententiis & interlocutionibus*. Interim ſunt quaedam cauſſae, quae expreſſam litis conteſtationem non deſiderant, quales ſummariae, cauſſae appellationis, item quae ſine libello recte expediuntur, & vbi ius agentis contra certam perſonam non dirigitur. Sed vbi litis conteſtatio requiritur, eam vltra viginti ab oblato libello dies actor differre non debet.

§. IV. Iam litis conteſtatio plures & inſignes effectus producit. Sane malam fidem omnino inducit, *L.25. §.7. D. de petitione hereditatis*, *L.10. C. de acquirenda poſſeſſione*, interrumpit vſucapionem & praeſcriptionem, *L.10. C. de praeſcriptione longi temporis*, hoc ſaltem effectu, vt ſi vſucapio poſt litem conteſtatam impleatur, reo non proficiat, ſi condemnetur; exceptiones dilatorias praecidit, iudiciſque recuſandi poteſtatem adimit, *L. vlt. C. de exceptionibus*, niſi poſtea cauſſa ſuſpicionis emerſerit; & mandatam iuriſdictionem facit perpetuam, *cap.19. ex. de officio delegati*. Item litis conteſtatione quaſi contrahitur & nouatio fit, *L.19. § 1. D. de nouationibus*, qui enim in iudicium conſentiunt, etiam praeſumuntur velle ſtare iudicis ſententiae, atque ideo quaſi contrahere. Hinc actio temporalis fit perpetua, morte peritura tranſit in heredes, & poenalis fit rei perſecutoria, *L.6. §. vlt. D. de re iudicata*.

CA-

CAPVT XX.

De iureiurando propter calumniam.

§. I. Post litem conteſtatam iusiurandum de calumnia praeſtandum eſt, quo litigantes ipſo iudice deferente profitentur, ſe in cauſſa ex fide bona procedere, & ideo litigare, quod cauſſam ſuam bonam eſſe putant, *L. 2. C. de iureiur. propter calumniam*, itemque ſe nullam probationem exacturos, niſi eam, quam pro cauſſa adſtruenda neceſſariam duxerint, *auth.* in iſto C. *eodem*. Sic deſcriptum ſacramentum generale eſt; at datur praeterea calumniae iusiurandum ſpeciale, quod in ſingulis actis iudiciariis, prout iudici videbitur, defertur, eoque iurans adfirmat, ſe non ex calumnia petere damni infecti cautionem, aut deſcribendi teſtamenti facultatem. Atque hoc iusiurandum *malitiae* a Bonifacio VIII. dictum eſt, *cap.* 2. §. 2. *de iuramento calumniae in 6.*, vt ita a ſacramento generali calumniae diſtingueretur.

§. II. Iusiurandum propter calumniam non pro commodo priuatorum, ſed pro communi vtilitate introductum eſt, *L.* 2. §. 4. *C. de iureiur. propter calumniam*, vt nempe iniecta ſacramenti religione captioſa conſilia & verſutiae a foro procul arcerentur. Hinc iure ciuili iusiurandum hoc per iudicem exigi neceſſitatis eſt, *cit. L.* 2. §. 4., eoque omiſſo iudiciarium ordinem vitiari boni legum interpretes docent. Verum iure decretalium tacite omitti poteſt, eoque tacite omiſſo ordo iudiciarius viribus conſtat, *cap.* 1. §. 1. *de iuram. calumniae in 6.* Niſi velit actor iurare, protinus cauſſa cadit, niſi velit reus, confeſſi & iudicati loco eſt, *cit. L.* 2. §. 6. & 7., *cap. vlt.* §. 1. *ex. de iuramento calumniae*. Ceterum moribus praeſentibus in multis prouinciis de calumnia non iuratur, quod bene & ſapienter introductum eſt.

§. III. Praeſtant vero calumniae ſacramentum non modo ipſi litigatores, verum etiam eorum aduocati, procura-

curatores, tutores, curatores. V. Gonzalez *ad cap. vlt. ex. de iuram. calumniae*. Clerici etiam iurant de calumnia: at opus eſt venia ſummi pontificis, ſi epiſcopi, antiſtis vero proprii, ſi inferiores clerici iurare debent, *cap.* I. *ex. eodem*. Videtur vero neceſſaria ſuperioris venia, ſi clerici per ſe iurare velint, non item ſi iurandi officium aliis demandent. Hoc diſtant a clericis laici, quod hi *tactis*, illi *propoſitis* tantum euangeliis iurant, *cap. vlt. ex. eodem*. Quicumque vero ſint, qui iurare tenentur, iure decretalium etiam per procuratorem id facere poſſunt, modo ſpecialis procurator conſtituatur, *cap.* 3. *eod. in* 6.: qua in re diſceſſerunt decretales ab iure ciuili, quo propter calumniam ab ipſis litigantibus iurandum eſt, *L.* 2. *C. de iureiur. propter calumniam*. V. Oldekopius *de iureiur. in alterius animam*. Ceterum moribus praeſentibus aduocati & procuratores de calumnia non iurant.

§. IV. Iurari debet de calumnia in omnibus cauſſis, in quibus probationes requiruntur, *L.* I. *C. de iureiur. propter calumniam*, quod ad integritatem iudiciorum ſacramentum hoc iure ciuili ſpectat, quamuis non deſint iuris interpretes, qui in cauſſis criminalibus ſacramentum de calumnia non praeſtandum teneant, idque quia in criminalibus ſufficit inſcriptio accuſatoris in crimen, & reo conſeruandae ſalutis cauſſa omnia honeſta ſunt. V. Cuiac. *in cap.* I. *ex. de iuram. calumniae*. In cauſſis ſpiritualibus olim de calumnia iuratum non videtur, *cap.* 2. *ex. eodem*, ſed deinceps placuit Bonifacio VIII. etiam in ſpiritualibus de calumnia iurari, quod experientia conſtaret, etiam in ſpiritualibus calumnias frequenter adhiberi, *cap.* I. §. *vlt. eodem in* 6. Porro de calumnia etiam in cauſſis appellationis iurandum, etſi alias primo iudicio iuratum fuerit, *cap.* 2. *eodem in* 6.

CA-

CAPVT XXI.

De probationibus.

§. I. Lite conteſtata & ſacramento calumniae vtrimque praeſtito, probationes faciendae ſunt, quibus de veritate facti controuerſi conſtet; nec enim iudici ſententiam ferre licet, niſi cognita factorum veritate, *can.* 10. C. 30. *q.* 5. Eſt in hac cauſſa probatio actus iudicialis, quo iudici per argumenta idonea facti controuerſi veritas demonſtratur. Probatio pleriſque interpretibus alia plena ſeu perfecta, alia ſemiplena ſeu imperfecta eſt. Plena facti veritatem euincit & extra dubium ponit, quatenus in re iudiciaria ſufficit. Semiplena dubiam rem relinquit, poteſtque eſſe maior, vel minor, prout magis minuſue ad plenam probationem accedit.

§. II. Probari vero debent facta dubia, ſi controuerſiae finiendae inſeruiant, idque ſiue adfirmentur, ſiue negentur: etenim non minus probare debet, qui adſerit, ſibi centum deberi ex mutui cauſſa, quam ſubſtitutus, qui petit hereditatem, quod ſcriptus heres eam non adierit. Probantur vero negantes propoſitiones non directo, quia negationi nulla ſubeſt cauſſa, atque ideo *per rerum naturam rei factum negantis probatio nulla eſt*, *L.* 13. *C. de probationibus*, *cap.* 11. *ſeq. ex. de probationibus*; ſed tramite quodam occulto & ab adiunctis temporis, loci & qualitatis ducto argumento, aut ex propoſitionibus adfirmantibus, quae ſaepe negantibus inſunt, veluti ſi dicatur, filium non eſſe in patris poteſtate, probata emancipatione etiam probatum habetur, filium non eſſe in poteſtate. Tantum negatio pura, *indefinita* vulgo dicta, ſeu quae nullis loci, temporis, aut alterius adminiculi adiunctis circumſcribitur, natura ſua omnem probationem excludit: qui enim generaliter negat, nihil ponit, quo negationis ratio reddi poſſit.

§. III. Iam vero probandi onus illi incumbit, qui ad-

adſerit, proponitque quaeſtionem facti dubiam, cui veluti ſtabili fundamento petitio & concluſio innititur; quiſque enim ſuae petitionis fundamentum probare debet. Hinc regulariter actor, non reus probare debet, quae vtriuſque iuris regula eſt, *L.* 2. *D. de probationibus*, *cap.* 23. §. 2. *ex. de electione*, actor enim eſt, qui adfirmat, ſeu tamquam vera proponit facta dubia, quibus petitio innititur; reus vero ſaepe propoſita facta tantum negat. Quin actoris eſt probare non tantum ea, quae adfirmauerit, verum etiam quae negauerit, ſi negatio fundamentum petitionis contineat, *cap.* 5. *ex. de renuntiatione*, *cap. vlt. ex. de praeſumtionibus*. Quod ſi reus non ſimpliciter neget, ſed ſimul contra actoris petitionem excipiat, eius eſt exceptionem probare, *L.* 19. *D. de probationibus*, reus enim excipiendo aliquid adfirmat, aut negat, quod ſuae exceptionis fundamentum conſtituit.

§. IV. Species probationis, ſeu argumenta, quibus facta dubia probari poſſunt, cenſentur confeſſio alterius partis, teſtes, inſtrumenta, iusiurandum, praeſumtiones, & ocularis inſpectio. Et confeſſio quidem ſiue rei, ſiue actoris potiſſima eſt probationis ſpecies; quid enim expreſſius optabiliuſque eſſe in iudicio poteſt, quam eum confiteri, quem negare oportebat? Hinc confeſſum pro iudicato eſſe, ſeque ſua ſententia quodammodo damnare Paullus adfirmat, *L.* 1. *D. de confeſſis*. Confeſſio autem tum plene probat, ſi fiat coram iudice competente, *cap.* 4. *ex. de iudiciis*, & ex certa ſcientia & libertate. Quod vero partes confeſſione ſeipſos quodammodo damnant, hinc iure decretalium introductae ſunt *poſitiones*, ſeu breves quaedam propoſitiones, quibus actor & reus ſcripto exprimunt facta in iudicio allegata, vt ſuper iis pars aduerſa iureiurando in iudicio reſpondeat. Si qui iuſſus eſt reſpondere, recuſet, ſeu per contumaciam abſit, ſuper articulis, in quibus noluit reſpondere, pro confeſſo habetur, *cap.* 2. *de confeſſis in* 6. Verum non tenetur litigator reſpondere poſitionibus obſcuris, captioſis, dubiis, aut ad cauſſam non pertinentibus; pertinetque ad iudicis officium videre, num poſitiones admittendae ſint, an potius reiiciendae. Facta reſponſione, qui poſitiones exhibuit, ab onere probandi ex parte leuatur, prout pars aduerſa

versa in ipsis positionibus adfirmauerit, aut negauerit.

§. V. Frequentissimo iudiciorum vsu ad probanda facta a partibus allegata testes adhibentur, personae nempe fide dignae, quae facti controuersi veritatem possint manifestare. Ad probandum in iudicio ad minimum duo testes requiruntur, *L. 12. D. de testibus*, *cap. 23. ex. de testib. & attestationibus*, modo idonei sint & concordes. Vnus testis, quamuis omni exceptione maior, non probat, tantumque facit, ne quid fiat, quod temere fieri sine flagitio non potest, *can. 112. D. 4. de consecr.*, *cap. 22. ex. eodem*. Quod si leges & canones in aliquibus caussis maiorem testium numerum requirant, praescriptus numerus adhibendus est, *cit. L. 12.*, *cap. 23. ex. eodem.* Interim quod testium fides ex parte potest debilitari, prohibitum non est, immo saepe expedit, ad firmiorem probationem plures testes adhibere, modo superflua testium multitudo non producatur, quo aduersarius sumtibus fatigetur. Hinc iure ciuili iudicis est pro prudentia sua numerum testium moderari, *L. 1. §. 2. D. de testibus*, & iure decretalium vetitum est, ex vtraque parte testes supra quadraginta produci, *cap. 37. ex. eodem*.

§. VI. Testes in iudiciis tum plene probant, si fide digni sint, hoc est, si necessaria scientia & probitate praediti sint: qui enim fide digni non sunt, iure ad dicendum testimonium prohibentur. Et quidem multi vetantur in iudiciis esse testes tamquam omnino inhabiles in omnibus caussis, alii vero in certis tantum caussis & contra quasdam personas. Tamquam omnino inhabiles repelluntur amentes, impuberes, minores viginti quinque annis in criminalibus, item Iudaei, ethnici, haeretici contra catholicos, excommunicati, periuri, infames, serui, & liberi fortuna tenues. Quin iure decretalium a testimonio repelluntur criminosi, etsi nondum damnati, siue quod accusati sint, siue quod de crimine conuinci possint, *cap. 10. & 54. & vlt. ex. de testibus & attestationibus*. Mulieres iure ciuili in criminalibus testes esse vetantur, si corpore quaestum faciant, *L. 3. §. 5. D. de testibus;* at iure decretalium generatim vetantur esse testes in criminalibus; nisi veritatem alias eruere non licet, & nisi agatur de criminibus atrocioribus, qualia haeresis,

simo-

ſimonia, in quibus alias inhabiles ad teſtimonium admittuntur. V. Gonzalez *in cap.* 3. *ex. de teſtibus & atteſtationibus*.

§. VII. Praeterea multi vetantur eſſe teſtes in certis cauſſis, & contra quaſdam perſonas. Ita nemo idoneus teſtis eſſe poteſt in cauſſa propria, *L.* 3. *D. de teſtibus*, ſeu vnde ſperat emolumentum: nec teſtes eſſe poſſunt, qui ſunt de familia, niſi probatae ſint fidei & opinionis, *L.* 3. *C. de teſtibus*, *cap.* 24. *ex. de teſtibus & atteſtationibus*, vel niſi agatur de re, cuius veritas vix per alios haberi poſſit, veluti ſi agatur de probanda cognatione, legitimis natalibus, aetate. Nec porro dicunt teſtimonium amici & inimici in cauſſis amicorum & inimicorum, *L.* 3. *D. eodem*. Laici quoque contra clericos a dicendo teſtimonio in cauſſis criminalibus iure decretalium repelluntur, *cap.* 14. & 23. *ex. eodem*, quod ex receptis iamdiu moribus ſolent eſſe clericis infeſti, *can.* 5. C. 2. *q.* 7. Item clerici & monachi in rebus profanis teſtimonia coram laico iudice non dicunt, niſi alias veritas commode demonſtrari non poſſit, quo caſu ex ſui antiſtitis venia teſtes admittuntur, aut eorum teſtimonia iudex eccleſiaſticus recipit.

§. VIII. Fide digni teſtes legitime examinandi ſunt, quo eorum teſtimonia fidem in iudicio mereantur. Ergo probaturus teſtes producit, quos inde competens iudex debet aduocare, vltroneo enim teſti non creditur. Citanda inſuper pars ex aduerſo, *cap.* 2. *ex. de teſtibus & atteſtationibus*, cui integrum eſt exceptiones contra teſtes proponere. Inde producti & citati teſtes ab ipſo iudice interrogari & examinari debent, niſi ex iuſta cauſſa venire ad iudicem impediantur, quo caſu mittetur ad eos, qui interroget, *L.* 15. *D. de iureiurando*, *cap.* 8. *ex. eod.* Antequam vero teſtes dicant teſtimonium, iudice deferente, iurare debent, ſe non ex amore, aut odio, aut commodo aliquo veritatem dicturos, *L.* 9. *C. de teſtibus*; iniuratis enim teſtibus non creditur, niſi eis iuſiurandum aduerſarius remittat, *cap.* 31. *ex. eodem*. Sic vero iurati teſtes tam in ciuilibus, quam in criminalibus praeſente aduerſario interrogabantur, *L.* 19. *C. eodem*, *cap.* 2. *ex. eodem*. Guiac. *in cit. cap.* 2. At iamdiu obtinet in foro,

vt

vt teſtes clam ab iudice interrogentur, tantumque prius citatur aduerſarius, vt adſit, quando iurant (*a*).

§. IX. Teſtes ad dicendum teſtimonium citati, ſi teſtificari recuſent, cogi poſſunt. Veteri Romano iure in cauſſis criminalibus teſtes ad dicendum teſtimonium cogebantur; in ciuilibus ſponte ſua deponere ſolebant, *L.* 4. & *L.* 19. *D. de teſtibus*. Inde Iuſtinianus imperator ſtatuit, vt etiam in cauſſis pecuniariis teſtes cogi poſſint, *L.* 16. & *L.* 19. *C. de teſtibus*. Quod vero vim facere proprium erat ciuilis imperii, Romana eccleſia teſtes hortari & monere conſueuit, non cogere, *cap.* 1. & 3. *ex. de teſtibus cogendis*. Tantum eccleſiaſticus iudex inuito teſtimonium dununtiat, ſi is *odio*, *vel gratia*, *vel timore* teſtari renuat, *cit. cap.* 1. atque alia probatio deficiat, *cap.* 5. & *vlt. ex. eodem*. Cogit vero iudex eccleſiaſticus laicos inuitos ad teſtimonium excommunicatione (*b*), clericos vero ſuſpenſione ab officio & beneficio, itemque excommunicatione, aut depoſitione, ſi contemta ſuſpenſione venire recuſauerint, *cap.* 1. 2. 5. & *vlt. ex. eod.* Quod ſi quis non dicturum teſtimonium iuratus promiſerit, nulla ſacramenti vis eſt, *cap.* 18. *ex. de teſtib* & *atteſtationib.*

§. X. Inſtrumentis quoque in iudiciis probatio fit, quae vbi legitime confecta ſunt, aequalem cum teſtibus vim probandi habere cenſentur, *L.* 15. *C. de fide inſtrument.* Nomine *inſtrumenti* generaliter veniunt omnia, quibus

(a) Fortaſſe hic abnormis vſus originem habuit ex male intellectis Zenonis imperatoris verbis in *L.* 14. *C. de teſtibus*, *intrare* teſtes *iudicantis ſecretum*, hoc eſt tribunal & iudicii locum, vt bene Polletus *hiſtor. fori Romani lib. V. cap.* 12. interpretatur. At interpretes ignorantia Latini ſermonis inde concluſerunt, teſtes ſecreto interrogandos & examinandos.

(b) In regno noſtro vetantur eccleſiaſtici iudices ſine laici iudicis venia teſtes laicos ad dicendum teſtimonium in rebus temporalibus vocare: nec poſſunt in citationibus excommunicationem contra laicos comminari: & ſi laici venire ad dicendum teſtimonium detrectent, miniſterio magiſtratus compellendi ſunt: quod regiis litteris pridie nonas Ianuarii anno CIƆIƆCCLXX. ad archiepiſcopum Hydruntinum comprehenſum eſt.

quibus cauſſa inſtrui poſſit, atque ideo etiam teſtimonia, *L.* 1. *D. de fide inſtrumentorum;* at in ſpecie inſtrumenta ſunt ſcripturae ad fidem faciendam idoneae. Sunt inſtrumenta ſeu ſcripturae aliae publicae, aliae priuatae. Publicae proprie ſunt, quae publica auctoritate a perſonis ad id deputatis conficiuntur, quales cenſuales tabulae, acta iudicialia, inſtrumenta rite per publicos tabelliones confecta, ſcripturae ex publico archiuo deſumtae & a perſona publica confectae. Publica quoque cenſentur inſtrumenta, quae ſigillo publico & authentico ſignata ſunt, veluti epiſcopi, capituli, vniuerſitatis: in quem cenſum etiam referuntur libri parochiarum, in quibus baptiſmata & contracta matrimonia deſcribuntur, itemque tituli lapidibus, columnis & monumentis inſcripti. Contra priuatae ſcripturae a priuatis conficiuntur, quales chirographi debitorum, apochae, antapochae, codices rationum a mercatoribus confecti, epiſtolae.

§. XI. Publica inſtrumenta ex forma & ſollemnitate iuris confecta plenam faciunt probationem, modo authentica ipſa, ſeu originalia producantur, *cap.* 2. *ex. de fide instrumentorum:* exemplo enim non facile creditur, niſi legitime cum authentico conferatur, conſtetque cum eo probe conuenire, *cap.* 1. *ex. eodem.* Contra priuatae ſcripturae tantum contra ſcribentem probant, modo de ſcriptura conſtet, & cauſſa debiti expreſſa ſit, *L.* 25. §. *vlt. D. de probationibus*, *cap.* 14. *ex. eodem*. Excipitur ab hac regula liberatoria confeſſio, vbi creditor profitetur, ſibi fuiſſe ſolutum; haec enim probat contra ſcribentem, etſi cauſſa adiecta non fuerit, *L.* 40. *D. de pactis*. Porro libri mercatorum ex receptis hodie moribus etiam pro ſcribentibus ſaltem minus plene probant, ſi qui illos producunt, viri integrae vitae ſint, rationes propria ipſorum manu conſcriptae, & cauſſa obligationis expreſſa fuerit: quod ad faciliorem commerciorum explicationem inductum eſt.

§. XII. Species quoque probationis habentur etiam praeſumtiones, ſeu antecedentes de re dubia opiniones ex cauſſarum adiunctis & indiciis plus minuſue euidentibus deſumtae. Earum duae ſunt ſpecies, vna *hominis*, ſeu *iudicis*, altera *iuris*. Praeſumtiones hominis nulla certa

certa lege consignatae sunt, sed pro hominis recte iudicantis arbitrio ex factis & indiciis hauriuntur, probantque plus minusue, prout sunt indicia, quibus innituntur. Contra praesumtiones iuris certa lege vel canone consignatae sunt, & extra iudicis arbitrium positae: sed pro diuersa ratione, qua proponuntur, aliae *iuris tantum*, aliae *iuris & de iure* esse dicuntur. Illae per leges & canones probantur, & tamquam verae proponuntur, donec contrarium probetur, atque hinc verbis *videri*, *existimari*, *intelligi*, *censeri* proponi solent, cuius generis est, filios ex iustis nuptiis natos censeri legitimos, *L. 6. D. de his, qui sui, vel alieni iuris sunt*. Istae ita certae reputantur, vt in contrarium probationem non admittant, qualis iure decretalium est praesumtio de iam contracto matrimonio, vbi quis concubuit cum muliere, cum qua prius sponsalia contraxerat, *cap. 30. ex. de sponsalibus*.

§. XIII. Praeterea vim probandi in iudicio habet iusiurandum, quod iure ciuili maximum remedium ad lites expediendas existimatur. Dirimuntur lites iure ciuili iureiurando, vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel iudicis auctoritate delato sacramento, *L. 1. D. de iureiurando*. Huc pertinet iusiurandum, quod nulla litigantium pactione praecedente, ab iudice in dubiis caussis defertur, *L. 31. D. eodem*, *L. 3. C. de rebus creditis*; quod sacramenti genus *suppletorium* dici solet, nam eo semiplena probatio suppletur. Dubiae caussae ex saniore sententia sunt illae, in quibus semiplene probatum est, puta quod testes omni exceptione maiores non sint, aut graues praesumtiones adsint, quae tamen non per omnia concludunt. Defertur iusiurandum ei, qui semiplene probauit, modo personarum & caussae ratio habeatur, *cap. vlt. ex. de iureiurando*: & si vtrimque aeque semiplene probatum sit, defertur reo, quod in re dubia rei caussa potior habetur, *L. 125. D. de regulis iuris*.

§. XIV. Probationes in iudicio aliquando ipsa iudicis inspectione constant, quod nempe alias de re dubia certum iudicium ferri nequeat. Eius praecipuus vsus est in iis, quae oculis subiiciuntur, veluti in iudicio finium regundorum, in noui operis nuntiationibus, in aetate ex habitu corporis finienda, aut vbi de vi coniugum ad coniu-

iugium dubitatur. Sed in his caussis iudex non solus rem ipsam oculis lustrat, sed viros eius rei, de qua agitur, peritos adhibet, aut iis solis iudicium committit. Quin iudicium de coniugum impotentia necessario peritis viris & matronis bonae opinionis & in opere coniugali expertis committendum est: atque ideo virum medici, mulierem honestae matronae & obstetrices inspiciunt, *cap.4. & 14. ex. de probationibus, cap.6. & seq. de frigidis & maleficiatis.*

§. XV. Iam ad faciendas probationes certa dilatio, seu terminus dari consueuit, qui iure decretalium determinatus non est, sed ab iudice finiendus inspectis caussarum, personarum & locorum adiunctis, *cap. 24. ex. de off. delegati, cap.15. ex. de sententia & re iudicata.* Ergo qui probare intendunt, intra terminum in eam rem datum nomina testium vna cum articulis iudici debent exhibere. Sunt articuli facta praecipua, quae claris & conceptis verbis expressa probari debent: tantumque in eo distant a positionibus, quod super istis ipsi litigantes interrogantur, super illis testes deponunt. In caussis ecclesiasticis, aut ciuilibus super iisdem articulis regulariter produci noui testes possunt etiam tertia vice, raro vero quarta, *nouel. XC. cap.4., cap. 15. ex. de testibus & attestationibus.* Verum instrumentorum productio etiam post litem contestatam vsque ad conclusionem in caussa fieri potest, *cap. 9. ex. de fide instrumentorum.*

§. XVI. Absoluto ab vtraque parte testium examine, recepta testimonia citatis partibus, & die praefixo publicari debent, quae deinceps partibus communicantur. Facta publicatione integrum est partibus de veritate, aut falsitate testimoniorum disputare, *cap. 15. ex. de testibus & attestationibus:* in quam rem adiuncta loci, temporis, scientiae, quibus illa circumscribuntur, argumenta suppeditant; nec enim iure decretalium facta publicatione licet contra personas testium excipere, eosque veluti criminosos & infames reiicere, quamuis receptus fori vsus aliter habeat. Inde sequitur *conclusio in caussa*, eaque iudex decernit, caussam satis instructam esse, nec aliud requiri, quam vt sententia proferatur.

CA-

CAPVT XXII.

De summario iudicio.

§. I. MVlto breuius ordinario est summarium iudicium, in quo ferme omnia, quae tamquam sollemnia in iudiciis reputantur, omittuntur, tantumque adhibentur, quae iudiciis sunt intrinseca. Itaque initio exhibetur qualiscumque actoris petitio, quam excipit rei conuenti citatio. Inde si reus per contumaciam absit, contumaciae arguitur, & iudicium vlterius procedit: & idcirco singuli actus absenti, tamquam praesenti, ad valvas curiae nuntiantur. Veniens reus exceptiones pro iure suo proponit, nec eidem vetatur in ipso litis exordio contra actorem mutuo agere. Adhibetur calumniae iusiurandum, praesertim si a partibus petatur. Probationes inde faciendae sunt praemissis positionibus & articulis: daturque in eum finem certa dilatio, nisi aliud inter partes placuerit. Iudex etiam siue ad instantiam partium, siue ex officio, quandocumque id aequitas suadeat, partes interrogare potest, & testium reprobationem partibus petentibus iure concedit. Deinceps citatis partibus, licet nullo expresso peremtorio, iudex stans, vel sedens in scriptis sententiam profert, idque etiam, si ei videbitur, non facta conclusione.

§. II. Contra quae sollemnitatis sunt, in summario iudicio omittuntur, atque ideo non desideratur libellus sollemnis & in scriptis, sed sufficit qualiscumque petitio, quae actis inseritur. Non desideratur litis contestatio, sollemnis vtique & ordinaria, nam alias audiendus est reus, eiusque qualiscumque responsio pro contestatione est. In feriis ad humanas necessitates institutis iudicium licet agitare, vt exceptio feriarum nihil obturbet. Lis, quantum fieri potest, abbreuiatur, & inde exceptiones altioris indaginis excluduntur, nec admittuntur dilatoriae appellationes. Sollemnis quoque testium citatio omitti-

 tur,

tur, eorumque superflua multitudo per iudicem cohibetur: nec necessaria est sollemnis actorum publicatio, nec conclusio in caussa, nec requiritur, vt iudex sedens sententiam ferat. *Clementin.* 2. *de verbor. signif.*

§. III. Quod vero spectat ad caussas, quae summario iudicio tractari debent, eae vel iure tales sunt, vel extrinsecus tales fiunt. Et iure quidem summariae caussae censentur, quae moram ferme non admittunt, quales iure ciuili sunt caussae alimentorum, missionis in possessionem, item de testamentis exhibendis, de adeunda suspecta hereditate, de vilibus rebus aut personis, aliaeque multae in libris iuris recensitae, *L.* 1. *& seqq. D. de feriis*, *L.*3. §.4. *D. de Carboniano edicto*, *L.* 5. §. 15. *D. de ventre in possess. mittendo*. Iure decretalium summario iudicio tractandae caussae electionum, postulationum, beneficiorum, nuptiarum, decimarum, vsurarum, *Clement.* 2. *de iudiciis*, quamuis recepto fori vsu in aliquibus locis eiusmodi caussae ordinario iudicio tractari soleant. Extrinsecus ordinarii iuris caussae summariae tractantur pontificis seu principis rescripto.

C A P V T XXIII.

De veteri iudicio criminali ecclesiastico.

§. I. ORdo iudiciarius ecclesiasticus in re criminali, quousque vetus disciplina stetit, ferme idem fuit cum eo, qui iure Romano obtinebat. Ergo accusatio seu querela scriptis consignata episcopo vel synodo pro accusati qualitate exhibebatur: neque enim vetus ecclesia sine accusatore & libello iudicia instituebat. August. *hom. L. libri quinquaginta homiliar.* Optat. Mileuit. *lib. VII in fine*. Tantum si crimina publica essent, aut criminosi sponte sua delictum faterentur, & se deferrent, ecclesia sine accusatore procedebat. Accusare vero poterant omnes, modo essent idonei, & recte fidei & bonae famae, qui non humanis adfectibus, sed potius pro ipsius ac-

accuſati & eccleſiae bono accuſationes inſtituerent.

§. II. Accuſatio autem non recipiebatur, niſi ſcripto propoſita, & inſcriptione & ſubſcriptione in crimen inſtructa, non ſecus ac iure ciuili de accuſationibus cauebatur. Iure ciuili inſcriptione profitebatur accuſator, ſe ex hac vel illa lege Titium deferre, cauebatque, ſe perſeueraturum in accuſatione vſque ad ſententiam: ſubſcriptione vero ſe adſtringebat ad talionis ſeu reciproci poenam, niſi delata crimina probaret. Vbi in republica omnibus permiſſum erat accuſare, inſcriptionis & ſubſcriptionis metu deterreri debebant homines, ne temere ad accuſandum prodirent. Simili iure vtebatur eccleſia, in qua etiam omnibus accuſare licebat: & inde Euſebius Dorylaei epiſcopus Eutychetis accuſator in ſynodo Conſtantinopolitana I. ſancti Flauiani *act.* I. libello ſe paratum exhibuit, *illum conuincere falſo habere catholicum nomen*, *& alienum omnino eſſe a recta fide:* idemque *act. V.* etiam vereri ſe non obſcure oſtendit, ne per fraudem Eutychetis poenam talionis ſubeat. Et in ſynodo Chalcedonenſi *act. III.* Theodoro diacono, qui Dioſcorum accuſauerat, poena talionis intimatur, ſi obiecta crimina non probauerit. Subſcriptione excludebatur procurator, atque ideo accuſator ipſe praeſens accuſationem peragere debebat: in quo etiam forum eccleſiaſticum cum ciuili conueniebat.

§. III. Recepta accuſatione delatus vocandus erat, nec enim quemquam inauditum damnare licebat, qua in re canones etiam cum iure ciuili conueniunt. Vocabatur vero reus tribus vicibus: quin aliquando etiam quarta euocatio decreta eſt, vt videre eſt in ſynodo Epheſina, quae quater Neſtorium euocauit. Conc. Epheſ. *act. I.* Vocabantur vero epiſcopi per epiſcopos, ſaltem duos, clerici per clericos, laici per laicos. V. Chriſt. Lupum *append. ad Epheſ. Latrocinium act. I.* Si vocatus adeſſe detrectaret, prehenſio non decernebatur; eccleſia enim imperio deſtituta, nec ius prehendendi, nec carceres ad reorum cuſtodiam habebat; interim accuſatus in contumaciam damnabatur. Vocatus vero reus ipſe debebat comparere, nec admittebatur procurator, qui illius vices ageret, niſi ad reorum abſentiam excuſandam: in quo

etiam inter ecclesiasticum forum & ciuile conueniebat.

§. IV. Iam praesente reo, aut in contumaciam absente, iudicium instruebatur, in quem finem recipiebantur testes, instrumenta & concurrentia indicia. Praesens reus de criminibus, quorum delatus erat, interrogabatur, respondebatque: contra se productos testes audiebat, instrumenta inspiciebat, & si quid excipiendum haberet, libere proponebat (*a*). Inde vbi satis instructa erat caussa, ferebatur sententia, quae sollemniter solebat publicari, & reo absenti per litteras insinuabatur. Interim dum instruebatur iudicium, praesentes notarii omnia dicta, siue a iudicibus, siue a partibus distincte suis ipsorum verbis per notas scribebant: quae acta apud episcopum adseruabantur, vt apud posteros de iudicii integritate constaret.

CA-

(a) Plena probatio etiam contra ipsos episcopos duobus, aut tribus idoneis testibus constabat, & ad irrogandam poenam sufficiebat, *can. apost. LXXV.*, conc. Bracar. II. *can.* 8., *ap. Grat. can.* 1. C. 2. *q.* 4. Hinc mirum videri debet, quod duo concilia Romana, vnum sub Siluestro pontifice, & alterum sub Leone IV. abnormem in damnandis clericis testium numerum requirunt: edicunt enim, episcopum nisi septuaginta duobus testibus, presbyterum nisi quadraginta quatuor, diaconum cardinalem vrbis Romae nisi viginti septem, reliquos vero clericos nisi septem damnari non debere, *can.* 2. *& seq.* C. 2. *q.* 4. Verum concilium Romanum sub Siluestro fictitium est: quo etiam vitio laborant Sinuessanae synodi acta, vbi dicitur, ad damnandum Marcellinum pontificem septuaginta duo testes adhibitos fuisse. Vnde vero falsarii miscelliones eam abnormem disciplinam hauserint, non facile dictu est. Crediderim tamen septuaginta duos testes contra episcopos desumtos fuisse ex numero septuaginta duorum iudicum, qui ad damnandos episcopos aliquando adhibiti sunt. V. Iac. Gothofr. in *L.* 20. *C. Th. quorum appellat. non recipiantur*. Falsarii scilicet veterem disciplinam non intelligentes, (mediis saeculis in Occidente episcopi damnabantur in synodis prouincialibus etiam multo mino... [illegible] ...icum numero) ex numero septuaginta duorum iudicum nume[illegible] testium ad episcopos damnandos interpretati sunt, & inde habita [illegible] ...tione de numero testium ad reliquos clericos damnandos e[illegible]t.

CAPVT XXIV.

De purgatione canonica & vulgari.

§. I. ECclesiasticus iudiciorum in criminalibus ordo labentibus annis nouas crimina probandi rationes admisit, purgationes nimirum, siue canonicas, siue vulgares. Purgatio in re ecclesiastica est propriae innocentiae super obiecto crimine demonstratio, qua non tantum culpa remouetur, verum etiam factum ipsum negatur, & falsum esse ostenditur. Eius duplex species, alia canonica, alia vulgaris. Et canonica quidem purgatio sic dicta, quod canonum auctoritate probata fuerit, est sollemnis praestatio iurisiurandi, quo in inopia probationum innocentia ab obiecto crimine demonstratur. Vulgaris vero erat demonstratio innocentiae, aut alterius facti controuersi, quae modis vulgi auctoritate receptis peragebatur, veluti duello, ferro candenti: & inde vulgaris dicta est.

§. II. Et quod spectat ad canonicam purgationem, ea moribus christianorum videtur inualuisse; iure enim Romano in caussis criminalibus vsurpatum non videtur fuisse iusiurandum, quo casu plena probatio deerat, vt eius pondere semiplena probatio suppleretur. V. Ant. Matth. *de criminib. lib. XLVIII. D. tit.* 15. *cap.* 7. Nimirum inde a quarto saeculo sepulcra & reliquiae martyrum etiam miraculis celebrata sunt, sensimque communis percrebuit opinio, ad martyrum reliquias occulta quaeuis vi diuina detegi & palam fieri. August. *epist. LXXVI. nouae edit. Paris.* Gregor. M. *hom. XXXII. in euangelia*. Hac opinione vndique diffusa & in dies crescente, facile christianis fuit, ad sanctorum reliquias sacramenta vsurpare, quibus occulta veritas detegeretur (*a*): quem

(a) Pluribus veterum patrum testimoniis constat de vi illa ma-

quem vſum epiſcopi & pontifices de vi miraculorum non dubitantes probarunt. Ita recepta in probationem ſacramenta, tamquam diuina iudicia, quibus Deus veritatem demonſtraret, habita ſunt: Hinc vt eſſet locus ſacramento ad innocentiae probationem, non requirebatur aliqua criminis, licet imperfecta, probatio; ſed ſufficiebat vel ſolus ſiniſter rumor, vel accuſatio, *can.* 5. *& ſeq.* C. 2. *q.* 5. Sed labentibus annis ſine reliquiis ſacramenta praeſtita ſunt, quod generatim videtur inualuiſſe, vbi opinio de vi reliquiarum decreuerat.

§. III. Principio ſoli laici de criminibus accuſati ad innocentiam ſacramento demonſtrandam adſtricti fuiſſe videntur, non item clerici, qui ex veteris eccleſiae inſtitutis nec ſaeculo quinto iurare ſolebant; ſed deinceps etiam clericis neceſſitas impoſita eſt, ſibi iniecta crimina ſacramentis eluere. Nimirum ex veteribus regulis clericos vitae integritate & puritate conſpicuos eſſe oportebat, haetenus vt nedum aperta vitia, ſed ne criminis ſuſpicionem in iis eccleſia toleraret, *cap.* 2. *ex. de purgat. canonica*. Ergo vbi clerici alicuius criminis infamia laborabant, nec conuicti erant, opportunum viſum eſt, eos ad martyrum reliquias iurare, vt innocentiam demonſtrarent ſuam, quod canones probarunt, *can.* 5. *&* 7. C. 2. *q.* 5., *cap.* 5. *&* 10. *ex. eodem:* quamuis ſummi pontifices de criminibus accuſati ſponte ſua, non aliquo

maiori, qua ad martyrum reliquias occulta ſacramentis reuelari credebantur. *Nos nouimus*, inquit Auguſtinus *epiſt. LXXVI.*, *Mediolani apud memoriam ſanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter daemones confitentur, furem quemdam, qui ad eius locum venerat, vt falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat, reddere*. Et apud Gregorium Turonenſem *lib. II. de mirac. cap.* 19. litigantium vnus ad exortam inter eos litem finiendam ita alterum prouocat: *Vſque quo vterque contendimus? ſub iudicio omnipotentis Dei ponamus. Eamus ad tumulum martyris, & quod ſub ſacramenti interpoſitione dixeris, diſcernat virtus ſancti patroni.* Quin perſuaſum erat, ſanctos, ad quorum reliquias iurabatur, mox periuriorum vindices futuros.

quo canone iubente id facere solerent, *can.* 10. *C.* 2. *q.* 5. Ceterum non semper clerici macula criminis adspersi iurabant, sed aliquando mera responsione ad tumulos martyrum facta criminis infamiam eluebant, *can.* 8. *seq. eod.*

§. IV. Quoniam vero, qui iureiurando se a criminis suspicione eluebant, veluti in propria caussa sedebant iudices, ac propterea facile erat, vt ad debitas poenas evadendas peierarent; mos inductus est, vt etiam alii testes adhiberentur, qui iurarent, se credere, infamatum vera iurasse. Adhibiti testes dicebantur *compurgatores*, *coniuratores*, *sacramentales*, eiusdemque cum reo ordinis, conditionis & viciniae esse debebant, ac porro viri honesti ac boni, vt verisimile videretur, eos nolle amore, odio, aut lucri spe peierare, *can.* 12. *& seq. C.* 2. *q.* 5., *cap.* 7. 9. *&* 11. *ex. de purgatione canonica.* Compurgatores erant tres, quinque, aut septem; interdum etiam plures, si qui se purgabat, laicus esset, aut clericus, qui magni alicuius criminis infamia laboraret; *cap.* 1. *&* 10. *ex. eodem:* quo spectant illae formulae in antiquis monumentis frequentes, *tertia*, *quinta*, aut *septima manu iurare*, hoc est adhibitis tribus, quinque, aut septem sacramentalibus. V. Car. Dufresne *gloss. mediae & inf. latinit.* v. *iurare*. Iurantes vero sacramentales non adseverabant, innocentem esse infamatum, sed potius se credere, illum vera iurasse, *can.* 17. *C.* 2. *q.* 5., *cap.* 5. *ex. eodem*. Lapsu temporis canonica purgatio ob periurii periculum in plerisque ecclesiis desueuit.

§. V. Canonicam purgationem excipiunt vulgares, modi nimirum vulgi auctoritate recepti, nulla vero ratione suffulti ad veritatem in caussis dubiis detegendam, quales praecipue fuerunt *duellum*, *ferrum candens*, *aqua calida* & *frigida*. Per duellum innocentia demonstrari credebatur, si qui se innocentem dicebat, indicto duello victor remaneret: contra reus habebatur, si victus cecidisset. In iudicio ferri candentis suspectus de crimine nuda manu ferrum ignitum stringebat, quae si illaesa ab igne remaneret, innocens; si adusta, nocens habebatur. In iudicio aquae feruentis suspectus de crimine nudum brachium in aquam feruentem immittebat, quod si illaesum extraheret, innocens; si contrarium, reus censeba-

tur. Probatio per aquam frigidam hoc modo fiebat, accusatus in aquam magna copia conclusam mergebatur, & si enataret, reus; contra si in imum descenderet, omni culpa vacuus pronuntiabatur. Ne vero in aquam mersis periculum vitae crearetur, probandi fune ligabantur, vt si in imum descenderent, tempestiue extrahi possent, teste Hincmaro Remensi *de diuortio Lotharii*.

§. VI. Vulgares isti probandi modi ethnicam sapiunt superstitionem, & a barbaris populis, qui quinto & sequentibus saeculis in Occidente religionem christianam receperunt, in occupatas prouincias illati sunt (*b*). Nimirum barbarae gentes miris probandi modis adsuetae, eos ad Christum conuersae non deposuerunt, quin potius ex moribus tum apud christianos receptis auxerunt, & certiores reputarunt. Ea tempestate Occidentis prouincias tetra ignorantiae nox occupabat, iamque christiani supra modum miraculis tangebantur. Hinc noui christiani ex patriis institutis plura retinuerunt ipsius Christi doctrinae parum conuenientia, quae sensim ex genio saeculi magis magisque propagata sunt, & a rudibus populis veluti manifesta signa, quibus Deus occulta manifestaret, habita sunt. Atque inde vulgares omnes probationes *iudicia Dei* dicta

(b) Miras occulta demonstrandi rationes apud ethnicos fuisse receptas a viris doctis probatum est. Testis est Eustathius *de amorib. Ismeniae lib.VIII. & IX.* Artycomide & Daphnopoli fontes fuisse, quibus virginum pudicitia probabatur. Celtae quoque iudicia per aquam vsurpabant: praesertim vero Rhenensis tractus accolae in more habuisse dicuntur, infantes recens natos flumini imponere, qui si enatassent alueum, legitimi habebantur; contra illegitimi, si aquis & flumini cederent, quod Barthius *in Claudian. lib. II. in Rufin. v.* 100. obseruat. Item cognita & vsurpata gentibus erant iudicia per ignem; constat enim ex Sophocle *in Antigone*, occulta scelera per ferrum candens manibus impositum detegi consueuisse. Et vt alia multa mittam, apud Germanos aliasque septemtrionis gentes receptissima erant iudicia per duellum ad occultam veritatem detegendam, qua de re Basnage multa congessit in historico de duellis tractatu lingua Gallica scripto.

dicta sunt, etiam ipsum duellum, quod a Christi doctrina quam maxime abhorret. V. Car.Dufresne *gloss. med. & infim. latinit.* v. *iudicium Dei*. His moribus instructae barbarae gentes, deinde scriptis legibus vulgares probationes confirmarunt, easque tamquam plenas probationes in iudiciis siue criminalibus, siue ciuilibus adhibuerunt. Et ne quid deesset ad barbariem & superstitionem confirmandam, accessit peculiarium synodorum & multorum episcoporum auctoritas, qua deliramenta illa probata sunt, *can.* 15. C. 2. *q.* 5.

§. VII. Quoniam vero per vulgares probationes Deus ipse editis signis veritatem demonstrare credebatur, facile earum vsus sacer euasit, & ante iudicium varii sacri ritus adhibiti, tamquam si negotium omne ex Dei voluntate susciperetur. Itaque iudicio aquae, aut ignis innocentiam suam probaturus, post trium dierum ieiunium ad ecclesiam adducebatur, ibique super eum in genua prouolutum & orantem plures per sacerdotem recitabantur preces: tum missa celebrabatur in hanc rem propria, quae *missa iudicii* dicebatur. Inde iudicium subituro corpus & sanguis Christi dabantur, & quidem speciali formula, quae habebat, corpus & sanguinem Christi ei in purgationem esse. Expleta missa, sacerdos aquam benedicebat, pergebatque ad locum, vbi iudicium fieri debebat, & ex illa probaturus bibebat. Tum aquae, aut ferri fiebat adiuratio, ad fugandam ab illis omnem diaboli potestatem, & simul ad vim diuinam, qua veritas demonstraretur, communicandam. Inde probaturus propriis vestibus se exuebat, euangelium & Christi crucem exosculabatur, aqua benedicta adspergebantur omnes praesentes, & iudicium fiebat. Suis etiam consimilibus sacris ritibus instructa erant reliqua Dei iudicia, etiam ipsum duellum: quos ritus & orationes Delrio, Baluzius, Martene, Goldastus aliique collegerunt.

§. IX. Vulgares probationes in iudiciis mediae aetatis receptae nedum vanae erant, verum etiam religioni christianae aduersabantur, vtpote quae Deum ad edenda miracula, vbi nulla erat necessitas, cogebant. Hinc ea ipsa aetate, qua christiani his deliramentis capiebantur, non defuerunt, qui iudicia Dei tamquam vana explose-

runt,

runt, veluti Agobardus Lugdunensis archiepiscopus & Ludouicus Pius. Exstant quoque apud Gratianum fragmenta sub nomine Gregorii M. & Stephani v. pontificum, quibus iudicia per aquam calidam & frigidam & ferrum candens tamquam superstitiosa & vana reprobantur, nec amplius fieri permittuntur, *can. 7. & 20. C. 2. q. 5.* Sunt quidem monumenta ista falso pontificibus adscripta, at interim demonstrant, fuisse viros in religione instructos, qui recepta deliramenta reiicerent. Verum haec tanti non fuerunt, vt recepta iudicia christiani desererent. Tandem vbi litterarum & legum Romanarum studia florescere coeperunt, adnitentibus Romanis pontificibus, Alexandro III., Innocentio III. & Honorio III. vulgares probationes tamquam vanae & superstitiosae reiectae sunt, *cap. 10. ex. de excessib. praelatorum*, *cap. 3. ex. de purg. vulgari*, inualuitque in iudiciis criminalibus & ciuilibus noua iudicandi methodus rationi & legibus Romanis conformior.

CAPVT XXV.

De hodierno iudicio criminali ecclesiastico.

§.I. IVre decretalium tribus ferme modis iudicia criminalia instituuntur, *accusatione* nempe, *denuntiatione* & *inquisitione*. Accusatio est criminis alicuius apud competentem iudicem ad publicam vindictam scripto seu libello accusatorio facta delatio. Libellus clare & distincte concipiendus, eoque comprehendi debent iudicis, accusatoris & accusati nomina, itemque criminis species, locus & dies, quo delatus se crimine obstrinxit: nec omittenda inscriptio & subscriptio in crimen, *cap. 16. ex. de accusationibus*, quarum illa ex forma veterum legum accusator profitetur, se Seium vel Titium de aliquo crimine deferre, eumque peracturum reum; hac vero se ad talionis, seu reciproci poenam obstringit, nisi obiectum crimen probauerit. Verum moribus praesentibus subscriptio

ptio & poena talionis desueuerunt; tantumque calumniosis accusatoribus & tergiuersatoribus pro iudicis arbitrio poena solet irrogari.

§. II. Accusatio etiam iure decretalium publica censetur, & inde omnes, qui expresse per leges & canones non prohibentur, possunt accusare. Prohibentur vero accusare infames, criminosi, excommunicati, impuberes, mulieres: item haeretici, Iudaei, ethnici, quibus fideles accusare omnino non licet. Nec porro liberi aduersus parentes, nec fratres aduersus fratres & sorores ad accusandum admittuntur. Item iure decretalium ab accusando arcentur inimici capitales, *cap* 7. *ex. de accusationibus*, & laici clericos accusare prohibentur, *cap*. 14. *ex. de testibus & attestationibus:* quod demum auditum est, vbi inualuit doctrina, laicos clericis infestos esse, *can*. 1. *seqq*. C. 2. *q*. 7. (*a*). Praeterea status conditio clericis & monachis accusare non permittit, praesertim in criminibus grauioribus, quae poena sanguinis puniuntur, *cap*. 9. *ex. ne*

(a) Laicos ab antiquis vsque temporibus infestos clericis fuisse Bonifacius VIII. docet, *cap*. 3. *de immunit. ecclesiarum in* 6. Et tamen per plura saecula inter clericos & laicos mira fuit concordia, mutuus inter vtrosque amor: nec alias poterat euenire, quamdiu clerici spiritualis curae laicorum tantum solliciti fuerunt. In falsis decretalibus opera Isidori Mercatoris euulgatis primum fortasse occurrit, clericos quibusdam laicis odio esse, *can*. 5. & 14. C. 2. *q*. 7. Quo tempore putidae Mercatoris merces prodierunt, hoc est noni saeculi initio odia inter clericos & laicos occoeperant ob malos clericorum mores, & fortasse etiam ob ecclesiastica bona iure quodam feudi a laicis possessa, quae vbi nullae erant reipublicae necessitates, ecclesiis restitui debere aequum videbatur. Labentibus annis irarum caussae & odia increbuerunt, praesertim vbi exorta sunt inter sacerdotium & imperium diffidia, & iura sua a clericis vsurpata laici repetere coeperunt. Item odii materiam suppeditauit fastus beneficiariorum, qui res ecclesiae tamquam proprium patrimonium procurabant, & in pauperes parum, aut nihil conferebant. Verum receptis moribus odia ista refrixerunt, & clerici plerosque laicorum sibi deuinctos habent.

ne clerici vel monachi, ne morte vel mutilatione secuta a canone sint alieni. Hi omnes tantum ad publicam vindictam accusare vetantur, nam ad iniurias sibi illatas persequendas omnes alias inhabiles (non tamen excommunicati) ad accusandum admittuntnr, modo si clerici sint, expresse edicant, se sanguinis poenam non intendere.

§. III. Quicumque vero sit, qui accusat, etiam iure decretalium per se reum deferre tenetur, non per procuratorem. Nimirum per litis contestationem procurator fiebat dominus litis, *L.* 12. *seq. de procuratoribus*, atque hinc tamquam principalis accusator in crimen inscribere tenebatur, & talionis poena se obstringere, si crimen non probaret, quod poenarum fini repugnat, *cap.* 5. *ex. de procuratoribus*. Quod si de crimine ciuiliter agatur, accusatio procuratorem non excludit, *cit. cap.* 5., idque etiam locum habet, si per denuntiationem, quae ad emendationem spectat, crimen deferatur, *cap.* 16. *ex. accusationibus*. Quod vero praesenti fori vsu subscriptio in crimen ferme desueuit, & fictio dominii litis per contestationem adquisiti nullius effectus est, accusatio etiam per procuratorem non reiicitur.

§. IV. Moribus praesentibus non promiscue omnibus licet in publicam vindictam accusare, sed in vtroque foro publicum accusandi munus minister, seu *promotor fiscalis* sustinet, & institutas accusationes exsequitur: quod munus posteriore demum aetate institutum est, quando vix erat, vt stare possent leges Romanae, quae ex principiis democratiae deductae omnibus accusandi potestatem faciebant. Accusat minister fiscalis ferme in omnibus criminibus, tantumque iure municipali nostro excipiuntur stuprum & adulterium, in quibus sine partis offensae querela iudicium institui vetitum est, ne familiarum status turbetur. Quod vero fiscalis ex officii necessitate accusat, in crimen subscriptio & poena talionis cessant, tantumque extra ordinem punitur, si commissa sibi potestate in priuatorum perniciem abutatur.

§. V. Alter in criminalibus procedendi modus iure decretalium denuntiatio est, qua occulti criminosi etiam secreto & sine libello ad episcopum deferuntur, non ad poenam irrogandam, sed vt eius admonitionibus ad bonam

nam frugem conuertantur. Quisque potest denuntiare, etsi alias accusare vetetur; delator ad criminis probationem non adstringitur; & sollemnis in crimen inscriptio cessat, *cap.16. ex. de accusationibus*. Instituitur vero denuntiatio post priuatam & christianam admonitionem, eaque accepta episcopus caussa cognita non procedit, sed denuntiatum clam corripit, nec vltra procedit, si ille in negando persistat, nisi de impediendo futuro crimine agatur, *cap.* 13. *ex. de desponsat. impuberum*. Verum moribus praesentibus iudicia criminalia etiam per denuntiationem instituuntur; illa enim habetur loco diffamationis, & iudici ad inquirendum ex officio viam aperit. Sic mutata scena denuntiatio accedit ad accusationem, & fieri debet a personis non suspectis, & quidem de ipso crimine, additis in specie adiunctis & argumentis, quae gravare possunt denuntiatum.

§. VI. Tertius iure decretalium caussas criminales instituendi modus inquisitio est, qua iudex ecclesiasticus sine vllo accusatore ex officio inquirit in veritatem criminis admissi, cuius quis per publicam famam insimulatur, *cap.* 24. *ex. de accusationibus*. Ignota hoc sensu inquisitio veteribus patribus fuisse videtur; vetus enim ecclesia non facile quemquam sine accusatore damnabat, *can.* 18. C. 2. *q.* 1., nisi crimen esset manifestum, aut sponte ab ipsomet reo delatum. Fortasse primus Innocentius III. inquisitionem inuexit, eique caussam dedisse videntur corrupti clericorum mores, contra quos non facile accusatio poterat institui, tum propter subscriptionis discrimen, tum etiam quod laici clericos accusare vetarentur. Verum moribus hodiernis modus procedendi per inquisitionem censetur ordinarius, quod publici accusatores non solent nisi praeuia inquisitione accusationem instituere.

§. VII. Iure accusatione, aut alias criminis delatione recepta, seu alias patrati criminis fama existente, iudex audito fisci patrono in crimen inquirit, quod forensi voce *informatio* audit. Hac autem praeuia inquisitione duo ad liquidum iudex redigere debet, delictum nempe fuisse admissum, & quisnam illud admiserit, quorum illud *delictum in genere*, hoc *in specie* forenses dicunt. Quae duo iudicii criminalis fundamenta sunt, quorum vnum si

defi-

deficiat, iudicium nullum esse potest. Nisi constet, crimen fuisse admissum, nihil est, quod iudex iudicium instituat, *L.* 1. §. 24. *D. ad senatusc. Silanianum*, *cap.* 13. *ex. de desponsat. impuberum:* quin nec locus poenae esse potest, etsi reus crimen fateatur, *L.* 24. *D. ad L. Aquiliam:* & deinde crimine probato, nisi eius auctor innotescat, frustra iudex vlterius procedet.

§. VIII. Praeuiis inquisitionibus expletis, iudicis est decernere, vtrum reus in carcerem detrudi debeat, an fideiussoribus vel sibi committi, an potius tantum citari, vt in iudicium se exhibeat, *L.* 3. *C. de exhibendis reis*. Id vero iudex decernit spectatis criminis admissi & probationum qualitate, rei ipsius dignitate & fortunarum modo, *L.* 1. *D. de custod. rerum*. Quod si ex criminis & personae qualitate aliisque adiunctis iudici videatur, reum non esse capiendum, tum decernitur citatio, quae vsu fori alia *personalis* est, alia *simplex:* in quarum illa iudex decernit, reum citari ad informandum & capi, in hac vero tantum vocari vt veniat: quae omnia, vt & formulae adhiberi solitae, vsu fori melius innotescent.

§. IX. Reus iure citatus intra terminum ei datum in iudicio se sistere praesentem debet, nec admittitur, si absens velit per procuratorem respondere: iure enim ciuili & decretalium procurator litis contestatione fit dominus litis, *L.* 22. *C. de procuratoribus*, *cap.* 13. *ex. de procuratoribus*, atque ideo in eum sententia profertur, *L.* 1. *C. de sentent. & interlocutionibus:* quod ab iudiciis criminalibus, vbi poena criminum auctores tenere debet, alienum est. Non tamen repellendus, si quis etiam sine mandato veniat absentium excusationes allegaturus, *L.* 13. §. 1. *D. de publicis iudiciis*. Tantum illustribus personis iure ciuili concessum est, vt in caussis iniuriarum accusare & se tueri possint per procuratores, *L. vlt. C. de iniuriis*. Et iure regni nostri in caussis criminalibus licet vniuersitatibus & mulieribus nuptis siue ad accusandum, siue ad se tuendum vicaria alterius opera vti, *const.* generalia iura *tit. vt vniuersitas accusata:* itemque recte ad defensionem absentium procurator interuenit, si plures quam decem de eodem crimine accusentur, exceptis tamen haeresis & laesae maiestatis criminibus, quod a

Rege

Rege Roberto in *cap. eodem studio* statutum est.

§. X. Iure citatus reus, nisi intra condictos dies sui praesentiam faciat, nec interim excusetur, contumax declaratur, & in contumaciam punitur. Iure Romano absentibus per contumaciam pecuniariae poenae, vel quae existimationem contingunt, decerni poterant vsque ad relegationem; non vero si quid grauius irrogandum fuisset, veluti in metallo, aut capitis poena, *L.* 5. *D. de poenis*. Verum iure ecclesiastico absentes in contumaciam damnari consueuerunt, quod Gratianus *post can.* 13. *C.* 3. *q.* 9. obseruat. Et iam moribus inualuit, vt in caussis fidei & reliquis fori ecclesiastici rei citati, si per contumaciam absint, excommunicentur etiam pro ipsa principali caussa.

§. XI. Reus in iudicio constitutus legitimum examen subire, suoque iudici iure interroganti debet respondere: nec enim quemuis praesentem, vel manifesti criminis reum, damnare licet, nisi prius illum iudex audiat, *L.* 6. §. 1. *D. de custodia reorum*. Ante examen reo iusiurandum de veritate dicenda ab iudice deferri solet, etsi multi hunc vsum minus probent, quod periuriis viam pandat. Instituitur examen praesente fiscali ministro: reus vero sine vlla mora interrogationibus tenetur respondere, neque datur aliqua dilatio ad deliberandum; vsuque obtinet, vt reus examinetur, antequam dentur defensiones, aut indicia in eum congesta manifestentur. Quod si crimen admisisse reus neget, & grauiora in eum indicia vrgeant, ea omnia ei deteguntur, quibus mendacii & periurii coarguitur, & simul monetur, non minus humano, quam diuino iure adstringi ad veritatem iudici aperiendam. Absoluto examine lis inter fiscum & reum sollemniter contestatur, quorum ille adfirmat, reum constitutum crimen admisisse, hic vero negat.

§. XII. Lite contestata testes, qui in inquisitionibus praeuiis auditi sunt, rursus debent examinari & quidem ex integro, tamquam si alias testimonium non dixissent. Etenim testes, qui in praeuia informatione inscio reo auditi sunt, nullam fidem faciunt, vtpote qui reo non citato testimonia sua deposuerunt, *nouel. XC. cap.* 9., *cap.* 2. *ex. de testibus & attestationibus*. Itaque iterum testes ci-

citantur, & inde coram ipso reo, vel alio ab ipsomet substituto iurant de dicenda veritate, & inde clam reo sua testimonia deponunt. Sed fit aliquando, vt testes coram ipso reo debeant sua testimonia instaurare, veluti si testes nomen & cognomen rei ignorent, quem tamen adfirmant, se in delinquendo vidisse. Verum licet reo sine indicii vitio testium repetitioni renuntiare: quod in foro ecclesiastico *saluo iure repetendi* fieri consueuit.

§. XIII. Post depositiones instauratas reo concedendum, vt seipsum tueatur, nec enim quemquam indefensnm damnare licet: in quem finem certa dilatio datur: & simul etiam publicantur acta iudicialia in reum congesta, eique communicantur, vt inde possit capita suae defensionis instruere, *cap.24. ex. de accusationibus*. Deinceps reus articulos suae defensionis testesque examinandos producit. Iussu iudicis citantur producti testes, vti & privatus accusator & minister fiscalis, vt testes iurare videant. Pars autem reo aduersa ius habet postulandi articulos defensionis ad concipiendas interrogationes, quibus examinandi testes cogantur respondere. Qnin fiscali ministro & priuato accusatori in termino, reo ad defensionem dato, licet suas probationes augere: & hinc alii testes producnntur, quos iudex aduocat, & simul reum ad videndum eos iurare citat. Concedenda vero reo defensio est, etiamsi crimen vltro fateatur; poterit enim contra suam confessionem excipere, eamque tamquam erroneam & falsam traducere, vel probabiles ad minuendum crimen adferre excnsationes.

§. XIV. Finito ad defensionem siue ad offensam pinguiorem testium examine, acta decreto iudicis publicantur. Quod si post auditas rei defensiones adhnc grauia aduersus eum vrgeant indicia, in foro saeculari qnaestiones seu tormenta adhibentur, quibus addictus reus vel inuitus veritatem fateri cogitur (*b*). Adhibentnr vero quae-

(b) Non desunt viri alioquin grauissimi, qui tormentorum vsum ad eruendam ab ipsis reis veritatem, tamquam iniquum & a ratione omnino alienum traducunt, quales S. Augustinus, Ludouicus Viues, Ant. Matthaeus, Montesquius & nouissime auctor

quaestiones non promiscue in omnibus criminibus, sed tantum in grauioribus, *L.* 1. 8. *& seq. D. de quaestionibus*, quae poena vltra relegationem punienda sunt, si in reum argumenta & suspiciones vrgeant, *cit. L.* 1. §.4., saltem semiplenam probationem exaequantes, quas reus auditus in suis defensionibus non diluerit. Verum multi, etsi grauiorum criminum rei, iure Romano tormentis eximuntur, quales milites, nobiles & illustres viri, decuriones ciuitatum eorumque filii vsque ad pronepotes, nisi maiestatis aut alterius criminis atrocissimi rei sint, *L.*4. *C. ad L. Iuliam maiestatis;* item impuberes & mulieres praegnantes, quo vsque praegnantes sunt.

§. XV. Vetus ecclesia ad eruendam in dubiis criminibus veritatem quaestiones non vsurpauit; erant enim ab humanissimo ecclesiae ingenio omnino alienae, nec potestate gladii spiritualis comprehensae. Et certe supposititia est decretalis sub nomine Eusebii papae apud Gratianum *can.*1. *C.* 23. *q.* 5., qua tormentorum vsus contra testes suspectos probatur. Sed in noua disciplina forum ecclesiasticum, inuita canonica iurisprudentia, quaestiones recepit, cui innouationi caussam praesertim videntur praebuisse ficta Eusebii decretalis & Alexandri III. auctoritas; hic enim pontifex clericum furti pecuniae

auctor libelli Itala lingua scripti *de criminibus & poenis*. Et profecto a naturali aequitate & pactis socialibus omnino abhorret, cruciari quemquam, antequam constet, nocentem esse. *Quum quaeritur*, inquit Augustinus *lib. XIX. de ciuit. Dei cap. 6.*, *vtrum sit nocens*, *cruciatur: & innocens luit pro incerto scelere certissimas poenas*, *non quia illud commisisse detegitur*, *sed quia non commisisse nescitur*; *ac per hoc ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis*. Porro quaestiones medium non sunt idoneum ad detegendam veritatem, vt enim recte obseruat Vlpianus *L.*1. §. 23. *D. de quaestionibus*, plerique duritie tormenta contemnunt, alii tanta sunt impatientia, vt quiduis mentiri, quam pati tormenta velint. Haec mala, quae quaestionibus insunt, admodum grauia sunt, & nescio an compensentur cum vtilitate, quam ex tormentis in rempublicam inuehi iuris interpretes praedicant.

depositae reum *duris quaestionibus* subiiciendum respondit, *cap.* 1. *ex. de deposito*. Receptis in foro ecclesiastico quaestionibus, plerique interpretes tenuerunt, etiam clericos posse torqueri; licet exemplo militum clericos non posse torqueri Gonzalez *in cit. cap.* 1. contendat.

§.XVI. Confessio tormentis elicita vt satis sit ad reum condemnandum, debet extra tormenta confirmari; vis enim aspera tormentorum vim adimit confessioni, quae propterea confirmatione extra tormenta opus habet. Iul. Clarus *pract. crim. lib. V.* §. *fin. q.* 64. *n.*4. Itaque saltem post viginti quatuor horas interrogatur reus, an quae dixerit in tormentis, vera sint: & si persistet in confessione, ex recepto fori vsu alius terminus, vt se defendat aduersus confessionem in tormentis elicitam, datur. Quod si extra tormenta interrogatus, quae in tormentis confessus sit, negauerit, iterum atque tertio torquebitur, vt in confessione persistat. Interim si reus in tormentis obdurato animo crimen admisisse negauerit, aut iterum tortus vt in confessione tormentis elicita perseueret, etiam negare pergat; liberari debet: quae est communis sententia, quod vrgentia indicia per torturam satis diluta credantur & infamia absterfa, nisi post superatas quaestiones vrgentiora prioribus indicia emerserint, aut nisi ab initio satis grauia essent indicia, & tortus corporis firmitate valeat: nam in his casibus tenent multi rerum forensium magistri, quaestiones repetendas.

§. XVII. Quod si indicia & argumenta adsint, quae simul congesta reum negantem plane conuincant, quaestionibus quidem locus non est; at disputatur inter doctos, an inde reus damnari possit. Communis interpretum schola ferme negat, reos ex indiciis indubitatis damnari posse: alii vero tenent, in his casibus extraordinarias poenas esse irrogandas. Contra Ant.Matthaeus, Gilckenius aliique docent, reos indiciis & argumentis conuictos ordinaria poena plecti posse: quae sententia aperte in legibus confirmatur, *L. vlt. C. de probationibus*, *L.* 24. *C. ad L. Iul. de adulteriis*. Interim inuita iurisprudentia communis interpretum sententia in plerisque prouinciis praeualuit, receptumque, non licere ex indiciis indubitatis reos damnare. Apud nos vero iure cautum

est,

est, vt regiae Audientiae prouinciales, collegia iudicum & Magna Curia Vicariae ex indiciis indubitatis ordinariam poenam possint irrogare, non item alii inferiores iudices, etiam regii, *pragm.XIII. de off. iudicis*. Et quod spectat forum ecclesiasticum, non desunt, qui tenent, ex congestis & indubitatis argumentis recte censuras infligi.

CAPVT XXVI.

De sententia & re iudicata.

§.I. IAm partibus auditis & caussa perorata, per competentem iudicem sententia pronuntianda est. Nomine sententiae iure decretalium generatim venit iudicis pronuntiatio, quae caussam siue principalem, siue incidentem definit. Hinc sententia duplex est, alia *definitiua*, alia *interlocutoria:* quarum illa principalem controuersiam absolutione vel condemnatione perimit; haec vero perimit articulos, qui principali controuersiae incidunt, ordinatque iudicii seriem. Sed iure ciuili sententia est ipsa pronuntiatio, quae principalem controuersiam perimit: cetera vero iussa & mandata iudicis, quae articulos incidentes definiunt, & iudicii seriem ordinant, *interlocutiones* ferme dicuntur. Hinc titulus *C. de sententiis & interlocutionibus*.

§. II. Prolatam semel sententiam iudex reuocare vetatur, potest vero reuocare interlocutiones, quod Vlpianus docet, *L.* 55. *D. de re iudicata*. Non de magistratu, sed de iudice pedaneo loquitur iurisconsultus: iudex nimirum pedaneus notionis caussa datus erat, eiusque officium dicta sententia exspirabat; & inde sententias reuocare non poterat, reuocabat vero interlocutiones, quod his dictis iudex esse non desinebat. Iurisprudentia de iudicibus pedaneis nec iure decretalium, nec praesentibus moribus obtinet; & tamen in decretalibus leges confirmantur, valetque regula, qua vetatur iudex sententiam retractare, non vero interlocutiones, quas interpellatus

recte reuocat, idque etiam post appellationem, *cap. 60. ex. de appellationibus*, *cap. 10. eodem in 6.*, nisi fortasse appellationem admiserit, vel superior iudex cognitionem inhibuerit. Conf. Gonzalez *in cit. cap. 60.*

§. III. Sententiam dicturus iudex, rem in vtramque partem prius debet expendere, rationes vtrimque adductas inspicere, & tum non ex amore & odio, sed ex legibus & canonibus iudicare: etenim iudices sunt meri legum exsecutores & custodes, non arbitri. Itaque iudex vbi lex perspicua est, etsi aliquanto asperior videatur, secundum eam debet pronuntiare: & si illa aliquid dubitationis habeat, & locus est interpretationi, se legis interpretem praestabit, praeferetque semper summo iuri aequitatem. Quod si caussa ipsa vtrimque admodum dubia sit, sententia pronuntianda est, prout in ea specie leges iudicare praecipiunt, veluti si vtrimque in caussa ciuili aequales probationes adsint, reus absoluendus est, quod ita legibus cauetur, *L. 128. D. de regulis iuris*, *cap. 3. ex. de probationibus*.

§. IV. Nec tantum ex legibus, aut canonibus iudices sententiam ferre debent, verum etiam *secundum acta & probata*, alioquin illa contra *ius litigatoris* lata dicitur; actis enim ad liquidum deducuntur facta controuersa, ex quibus partium iura promanant. Quod si acta priuatae iudicis conscientiae aduersentur, multi tenent, iudicem magis ex priuata scientia, quam ex actis debere iudicare. Sed cuius effectus erit eiusmodi sententia? Nullius sane, quippe quae mox per appellationem secundum acta reformabitur. Iudici quoque extra acta non creditur; & si eius conscientiae in iudicando standum esset, nulla profecto foret iudiciorum sanctitas, nam obtentu priuatae conscientiae liceret iudicibus, prout vellent, iudicare. Nec tamen probauerim, iudicem iudicare contra conscientiam, satiusque videtur, vt ex bono & aequo litigantes componere satagat, vel rem ad iudicem superiorem deferat, & sententiam ferre supersedeat; vel falsitatis actorum victum certiorem faciat, vt hic saltem in iudicio appellationis falsitatem detegere valeat.

§. V. Ferri autem debet sententia ex scripto, & sine scripto prolata *ne nomen quidem sententiae meretur:* quae vtriusque

vtriusque iuris regula est, *L.3. C. de sententiis ex. periculo recitandis*, *cap. vlt. de sent. & re iudicata in 6.*, fortasse ob eam rationem recepta, quod verba ore pronuntiata menti illudant, non item quae litteris consignata sunt: periculosum vero est, iudicem in definienda caussa labi, quod sententiam semel latam corrigere, vel mutare vetatur. Hinc iudex deliberatione prius habita de negotio sententiam concipit, conceptamque in libellum seu breuem chartam referre debet, *L. 2. C. de sententiis ex periculo recitandis*. Sed si caussae sint breues & maxime vilium personarum, aut episcopus cognoscat inter suos subditos, scripturae necessitas remissa est, quod Iustinianus statuit, *nouell.VII. cap.3.*, *auth. nisi breues C. eodem*, licet hodie iam mutata disciplina etiam episcopi inter suos subditos iudicantis sententia ex scripto recitanda sit. V. Espen. *par.III. tit. 9. cap.3.* Nec necessaria est scriptura in interlocutionibus, quas iudici ore proferre licet, inde vero actuarius in scripturam rediget.

§. VI. Redacta in breuiculum sententia ab ipso iudice pronuntianda, & quidem partibus praesentibus, aut saltem in eam rem vocatis, quae est sententia iuris ciuilis, *L. 2. C. de sententiis ex periculo recitandis*, in decretalibus confirmata, *cap. vlt. de sent. & re iudicata in 6.* Tantum praefectis praetorio aliisque illustribus magistratibus iure ciuili concessum est, vt per officia sua sententias ex tabella recitent, *cit. L. 2.* Et ad exemplum illustrium magistratuum Bonifacius VIII. episcopis concessit, per alios sententiam proferre, *cap. vlt. de sent. & re iudicata in 6.* Sed iam ferme obtinet, vt sententiae non ab ipso iudice, sed ab eius officiis, iudice tamen praesente, recitentur, teste Gudelino *de iure nouiss. lib. IV. cap. 12.*

§. VII. Praeterea ex regulis iuris ciuilis iudex sedens sententiam ferre debet, idque ad denotandam iudicis auctoritatem videtur inductum. Etiam decretales ab iudice sedente proferri sententiam iubent, & praeterea addunt, sententiam ab iudice non sedente dictam nullius momenti esse, *cap. vlt. de sent. & re iudicata in 6*: quod numquam leges ciuiles statuerunt. Tantum in iudiciis summariis sedendi necessitas iudici remissa est, *Clement.2. de*

verbor. signif. Sedere vero debet iudex sententiam dicturus publice non in secreto, nulliusque effectus sententia est, si in secreto dicatur, *L.6. C. de sententiis & interlocutionibus*. Et magistratus quidem pro tribunali sedet, non vero iudex datus seu pedaneus, qui tribunal non habebat. V. Pollet. *hist. fori Rom. lib.I. cap. 6.* Tribunal erat locus editus in hemicycli speciem introrsum curuatus, quo per gradus adscendebatur. Ecclesia in suis iudiciis tribunali caruit, ferebantque olim episcopi sententias in presbyterio sedentes, nec iure decretalium vmquam episcopis tribunal tribuitur.

§. VIII. Lingua vero, qua sententiam concipere oportet, ea iure Romano tantum Latina erat, *L. 48. D. de re iudicata:* quippe qua leges ferebantur, & acta publica concipi solebant. Nec tantum in vrbe, verum etiam in prouinciis hoc ius obtinuisse videtur, etsi popularis sermo diuersus esset. August. *de ciuit. Dei lib.XIX. cap. 7.* Inde Arcadii & Honorii rescripto magistratibus prouinciarum facultas facta est, vt *tam Latina, quam Graeca lingua sententias proferre possent*; *L.12. C. de sentent. & interlocutionibus*. Ecclesia tamen etiam ante Arcadium in iudiciis suis siue Latino, siue Graeco sermone vsa est, prout popularis loquendi vsus postulabat; perrexitque etiam ecclesia Occidentalis sententias Latine dicere, etiam postquam popularis Latini sermonis vsus defecit. Et quod mirum videri debet, forum saeculare in multis locis linguam Latinam, etsi prorsus inconditam & barbaram, vsurpat.

§. IX. Sententia definitiua, vtpote quae absolutione aut condemnatione controuersiam definit, generalis esse debet, & per omnia partium disceptationem perimere. Hinc non tantum super negotio principali, sed etiam super accessoriis, qualia sunt expensae in litem factae, & fructus percepti, pronuntianda est: post absolutum enim dimissumque iudicium nefas est, litem alteram exoriri ex litis primae materia, *L. 3. C. de fructibus & litium expensis*. Et quia pars caussa cadens, praesumitur iniuste litem mouisse, communis regula est, victum victori in expensas condemnandum, *L. 5. C. eodem*, praesertim si constet, victum per calumniam litem mouisse, aut per-

venisse

venisse ad reluctandum. Condemnatio vero ad restitutionem fructuum eos praecipue spectat, qui post litem contestatam percepti sunt, aut percipi poterant, nam ex quo res in iudicium deducta est, omnes incipiunt malae fidei possessores esse, *L.* 2. *C. eodem*.

§. X. Sententiae latae & publicatae effectus est res iudicata, quae demum facit, vt illa exsecutioni mandari possit. Res iudicata definitur Modestino iurisconsulto, *quae finem controuersiarum pronuntiatione iudicis accipit*, *L.* 1. *D. de re iudicata*; res enim iudicata proprie est, quae controuersiae finem imponit, non item sententia, quae tantum condemnat, vel absoluit. Transit sententia in rem iudicatam, si legitimo dierum spatio non appelletur: qui enim intra legitimum tempus non appellavit, iam latae sententiae videtur adquieuisse. Tantum in rem iudicatam abit sententia, non item interlocutiones, etiamsi praeiudicium principi caussae faciant, *cap.*60. *ex. de appellationibus*, *cap.* 12. *eodem in* 6. Quod vero res iudicata controuersiae finem imponat, inter ipsos litigantes ius facit, *L.* 2. *C. quibus res iudicata non nocet*, & pro veritate habetur, sententia censetur bene prolata, nec facile potest retractari.

§. XI. Sunt vero multae caussae, in quibus sententiae in rem iudicatam non transeunt, etsi non appelletur, & idcirco recte retractantur. Ita carent rei iudicatae auctoritate sententiae nullae, quae scilicet ab incompetente iudice dictae sunt, aut a competente quidem, sed contra solitum iudiciorum ordinem, quaeque contra expressam iuris constituti dispositionem proferuntur, *L.* 1. §. 2. *D. quae sentent. sine appellatione rescindantur*, veluti si dixerit iudex, ad tutelae excusationem numerum filiorum non prodesse. Non valet quoque ipso iure, & in rem iudicatam non transit sententia, quae prolata est contra priorem, quae abiit in rem iudicatam, *L.* 1. *C. quando prouocare non est necesse*. Rei quoque iudicatae non donantur sententiae ex falsis instrumentis vel testimoniis latae, si iudex circumuentus eorum fidem secutus fuerit, *L.* 3. *C. si ex falsis instrumentis*; item quae ab iudice pecunia corrupto dictae sunt, *L.*7. *C. quando prouocare non est necesse*; item sententiae criminales, in qui-

bus rei condemnati sunt, si vel maxime poenae, quae restitutionem admittit, subiecti fuerint; & ex communi doctorum doctrina nec transeunt in rem iudicatam sententiae de vi matrimonii, quibus illud valere, vel non valere pronuntiatur.

CAPVT XXVII.

De sententiae exsecutione.

§.I. QVemadmodum leges in republica nullius sunt vtilitatis, si in vsum non deducantur, ita sententia inutilis erit, nisi exsecutioni demandetur. Ergo vbi sententia in rem iudicatam transiit, intra tempus ab iure statutum eius exsecutio facienda est. Et quidem in actione in rem statim fit exsecutio, si res ipsa, quae exstat, tradi possit: at in actione in personam iure ciuili imperatoris Iustiniani quatuor menses conceduntur, qui a die condemnationis, vel si prouocatum fuerit, a die confirmationis sententiae numerantur, *L. 2. C. de vsuris rei iudicatae*, quae quadrimestres induciae etiam fideiussoribus & mandatoribus prosunt, *L. vlt. C. eodem*. Iure decretalium eaedem quadrimestres induciae probatae sunt, *cap. 26. ex. de off. iudicis ordinarii*, nisi tamen iudex duxerit praescriptum tempus producere vel coarctare, *cap. 15. ex. de sentent. & re iudicata*.

§. II. Iam rem iudicatam exsequitur iudex, qui sententiam dixit, si habeat iurisdictionem; exsecutio enim sententiae aliquam coactionem inuoluit, atque ideo est pars misti imperii, quod iurisdictioni cohaeret, *L. 3. D. de iurisdictione*. Hinc iudex ordinarius & iudex a principe, vel summo pontifice datus rem iudicatam exsequuntur, vtpote qui plena donantur iurisdictione: quin delegati a summo pontifice eam post sententiam integro anno retinent, vt facilius rem iudicatam exsequantur, *cap. 7. & 26. ex. de officio delegati*. Item iudex, cui a magistratu mandata est iurisdictio, suam ipse exsequitur sententen-

tentiam, mandata enim iurisdictione, etiam imperium mistum transit, *L. 5. D. de officio eius, cui mandata est iurisdictio*. Sed datus iudex & arbiter, quod nudam notionem habent, rem iudicatam non exsequuntur, sed ab eis lata arbitria magistratus exsequitur, *L. 15. D. de re iudicata*. Vtitur vero iudex rei iudicatae exsequendae gratia officiis, seu apparitoribus, quos inde *exsecutores litium* appellant.

§. III. Ordo exsecutionis iure communi statutus hic est, vt si quis rem certam restituere damnatus sit, ea ipsa, si exstet, auferatur etiam manu militari, si necessarium videatur, *L. 68. D. de rei vindicatione*. Quod si res ipsa perierit, aut propter debitam pecuniam exsecutio facienda sit, mobilia primum capiuntur, inde immobilia, postremo iura & nomina debitorum, semper pro debiti mensura, *L. 15. D. de re iudicata*. Iure vero speciali cauetur, ne exsecutio, nisi in subsidium, fiat in stipendia, arma & equos militum, *L. 4. C. de exsecut. rei iudicatae:* item iure speciali exsecutio fieri vetatur in instrumenta ad agriculturam necessaria, *L. 7. & seq. C. quae res pignori obligari possunt*.

§.IV. Quod si neque bona, neque nomina debitorum reperiantur, quibus iudicato satisfiat, extremum contra iudicatos remedium erit, vt in carcerem detrudantur. Iudicati autem in carcerem detrusi, tantum in custodia, donec iudicato satisfecerint, detinentur, nec creditoribus seruire coguntur. Quo spectare videtur constitutio Diocletiani & Maximiani, *ob aes alienum seruire liberos creditoribus iura compelli non patiuntur*, *L. 12. C. de obligationibus & actionibus*. Solae mulieres iure nouissimo Iustiniani carceri nequeunt mancipari, vt in re ciuili iudicato satisfaciant, *nouel. CXXXIV. cap. 9.* quod ius hodie non aeque in omnibus prouinciis obtinet.

§. V. Sed non deest debitoribus carceris declinandi facultas, si nempe bona sua omnia creditoribus cedant, quod est extraordinarium beneficium ex commiseratione per legem Iuliam introductum, *L. 4. C. qui bonis cedere possunt:* quae cessio ex lege Theodosii sola professione & nuda voce etiam sine iudicis venia peragi potest, *L. 6. C. eodem*. Cessis bonis facultas est creditoribus ea iudi-

cis

cis auctoritate vendendi, vt ex eorum pretio, seruata temporis & creditorum praerogatiua, singulis satisfiat. Tantum cessio prodest debitoribus, ne iudicati detrudantur in carcerem: namque si creditores ex bonis venditis solidum non acceperint, illi non liberantur: & idcirco si deinceps alia bona adquisierint, etiam creditoribus satisfacere tenentur, sed quatenus commode facere possunt; enim quotidianis alimentis priuari debent, *L. 6. D. de cessione bonorum*. Beneficium hoc ex commiseratione concessum est, & inde eo tantum iuuari possunt, qui infortunio suis bonis ciderunt, non item decoctores, & qui bona sua in fraudem creditorum dissipant, nec qui dolo cum suis creditoribus vsi sunt, vtpote qui sciebant, se solvendo non esse. Henr. Zoësius *ad cit. tit. D.*

§. VI. Sunt nonnulli, qui ad euitandum carcerem cessione non indigent, quod speciali aucti sunt priuilegio, vt vltra id, quod facere possint, non teneantur: quod *beneficium competentiae* dicunt. Tales iure ciuili sunt parentes, patroni, socius, maritus ad dotis restitutionem ab vxore, & donator a donatario conuentus, §. 37. *& seq. instit. ciuil. de actionibus*. Idem priuilegium etiam clericis Gregorius IX. concessit quodam rescripto, vbi mandat, vt Odoardus clericus, qui suis creditoribus soluere damnatus, & ob rerum inopiam ad solutionem impar a suo episcopo excommunicatus erat, a censura absoluatur, *recepta prius ab eo idonea cautione, vt si ad pinguiorem fortunam deuenerit, debita persoluat, cap. Odoardus 3. ex. de solutionibus*. Ex hoc rescripto docent interpretes, clericis competere beneficium, vt tantum in id, quod facere possint, damnentur, nec requiri, vt illi prius bonis cedant, quod Fagnanus *ad cit. cap. 3. n.* 58. probat, etsi ex antiquis interpretibus aliqui tenuerint, cessionem esse necessariam.

§. VII. Antiqua est ecclesiae disciplina, qua ecclesiastica potestas ad exsequendas canonicas sententias in reos damnatos auxilium a ciuili potestate petere consueuit, si quando opus esse intelligeret, contumacibus vim adhiberi. Euseb. *lib. VII. cap.*30., conc. Antioch. *can.V.*, *can.* 53. *&* 67. *C. Afr.* Nimirum ecclesia tantum gladio spirituali armata vim per se facere non potest, ac propte-

rea,

rea, vbi vi opus erat, eam a ciuili poteſtate debebat implorare. Lapſu temporis etiam cogendi facultas eccleſiae acceſſit, eaque vtitur ſaltem contra clericos. Verum ciuilis poteſtatis officium eſt imploratam opem non denegare; ſic enim ciuilis poteſtas Deo ſeruit, *can.* 20. C. 23. *q.* 5. & eccleſiae matris ſpiritalem gladium munit & ſuſtentat.

CAPVT XXVIII.

De appellationibus.

§. I. REi iudicatae auctoritas ſuſpenditur per appellationem, quae contra ſententiam victis ordinarium remedium ſuppeditat. Venit nomine appellationis prouocatio ab inferiore iudice ad ſuperiorem, vt is de cauſſa amplius cognoſcat, & prius latam ſententiam corrigat, & in melius reformet. Diuiditur vero appellatio iure decretalium in *iudicialem*, & *extraiudicialem*, quarum illa aduerſus actum iudicialem interponitur, poſtquam iudicium citata parte incoepit; haec vero interponitur a grauamine per priuatos, vel per iudicem extra iudicium illato, vel inferendo, veluti ſi priuatus alimenta neget, aut ſi iudex de facto non cauſſa cognita iudicet. Si appelletur a grauamine per partem illato, potius prouocatio ad cauſſam, quam vera appellatio eſt, *cap.* 5. *ex. de appellationibus;* accedit vero ad veram appellationem prouocatio, quae aduerſus actum iudicis extra iudicium gravantis interponitur, *cap.* 8. *de appellationibus in* 6.

§. II. Secundum veteris diſciplinae regulas a ſententia epiſcopi in cauſſis eccleſiaſticis prouincialis ſynodus iure ordinario appellabatur. Conc. Nicaen. *can. V.* Verum per appellationem ad ſynodum prouinciae delatae cauſſae, & ibi definitae, ad maiorem ſynodum noua interpoſita appellatione non deferebantur: idque verum erat, etiamſi epiſcopi primo iudicio accuſati & damnati eſſent: ſic enim ferebat primorum ſaeculorum diſciplina, vt in pro-

prouinciis exortae caussae ibi finirentur. Sane synodus Antiochena edicit, vt si in damnando episcopo synodus prouincialis non conueniat, vicinae prouinciae episcopi aduocentur, qui cum episcopis comprouincialibus exortam quaestionem finiant; at si concordibus synodi suffragiis episcopus damnetur, *is ne amplius ab aliis iudicetur, sed prouinciae episcoporum firma maneat sententia*. Conc. Antioch. *can. XIV. & XV.* Praeterea tamquam a synodo Nicaena cautum docent Africani patres, vt caussae omnes ecclesiasticae, vbi ortae sunt, finiantur, nec ab ipso pontifice iterum tractentur. *Can.* 138. C. *Afr.* V. Dupin. *diss. II. de antiq. eccles. discipl. cap.* 1. *& seq.* (*a*).

§. III. Disciplina, quae habet, a synodo prouinciae iure ordinario maiorem synodum non appellari, in ecclesiis Orientis stetit vsque ad synodum Constantinopolitanam anno CCCLXXXI. celebratam, in qua ecclesia Orientalis in quinque dioeceses diuisa est, & vnicuique dioecesi proprius patriarcha seu exarchus datus, qui in synodo episcoporum dioecesis negotia administraret, ita tamen vt primum caussarum de episcopis iudicium in synodo prouinciae agitaretur. Conc. Constantinop. *can. II.* Ita in Oriente receptum, vt a synodo prouinciali synodus dioecesana ordinario iure appellaretur. Noua haec disciplina per synodum Chalcedonensem confirmata est, sed

(a) Vno tantum casu in synodo prouinciali finitae caussae in maiori synodo videntur potuisse retractari, si id diualibus seu imperatoriis rescriptis concederetur, quod pluribus exemplis constat. Ita Athanasii & Marcelli Ancyrani episcopi caussa in synodo Sardicensi iussu imperatorum Constantii & Constantis iterum iudicata est, quod constat ex epistola synodica ad Iulium papam. Item Photinus in synodo Sardicensi, velut nouae haereseos auctor damnatus, a Constantio imperatore obtinuit, vt iterum caussa in synodo Sirmiensi agitaretur. Epiph. *haer. LXXI.* Et qui alias poterat maius concilium celebrari, nisi id imperator concederet? quarto enim saeculo tantum in adsiduam & ordinariam iurisdictionem synodi prouinciales abierant, maiores vero sine principis concessione non poterant celebrari. V. Petr. de Marca *conc. sacerdotii & imperii lib. VII. cap.* 2.

ſed non ſine aliqua mutatione; arbitrio enim conquerentium permiſſum, vt metropolitani vel apud ſuae dioeceſis exarchum, vel apud thronum Conſtantinopolitanum deferantur & accuſentur. Conc. Chalced. *can. IX. & XVII.* Et Iuſtinianus in *nouel. CXXIII. cap.* 22. habet, vt cauſſae epiſcoporum in ſynodo prouinciali iudicentur, appellatio vero ad patriarcham deferatur.

§. IV. Magna interim controuerſia eſt inter viros doctos, an ex veteri diſciplina in cauſſis eccleſiaſticis ſiue epiſcoporum, ſiue clericorum, quae in ſynodis prouincialibus & dioeceſanis iudicabantur, receptae erant ad ſummum pontificem appellationes. Petrus de Marca, Launoius, Gerbaſius, Queſnellus, Dupinus aliique negant, veteri iure appellationes ad pontificem fuiſſe vſurpatas. Contra cardinales Bellarminus & Perronius, item Dauidius, Chriſtianus Lupus, Natalis Alexander aliique plures eas veluti conſectaneum primatus Romani pontificis tuentur: & inde tenent, ſemper licuiſſe in iudiciis eccleſiaſticis pontificem appellare, praecipue ſi de epiſcoporum cauſſis ageretur. Quaeſtio iſta ſalua fide, qua chriſtiani ſumus, agitatur: & modum quidem exceſſit Lupus, vir alioquin multae, ſed indigeſtae, eruditionis, qui veluti profanos & nouatores traducit, quotquot appellationes ad pontifices ex veteris diſciplinae regulis non admittunt. Quod ad me attinet, libens adgnoſco, ius appellandi Romanam ſedem a ſynodorum inferiorum iudiciis, tamquam conſectaneum primatus Romani pontificis in vniuerſam eccleſiam haberi poſſe; eſt enim Romanus pontifex ceteris epiſcopis ſuperior: naturalis vero ratio dictat, ab inferioribus ad ſuperiorem appellandum.

§. V. Verum enimuero non ſemper hoc iure appellationum ſedes apoſtolica vſa eſt: eccleſiaſtica diſciplina conſtitui coepta eſt eo tempore, quo per perſecutiones iura omnia primatus explicari non poterant: diſciplina vero ſemel conſtituta longo tempore deinceps ſtetit. Et profecto quarto ſaeculo recepta videtur fuiſſe ſententia, quae habebat, cauſſas in ſynodis Orientalibus iudicatas non poſſe in ſynodis Occidentis, multo minus a ſolo pontifice, retractari. Conc. Antioch. *ep. ad Iulium papam.* V. Petr. de Marca *de concordia ſacerd. & imperii lib.VII. cap.*

cap. 4. Synodus quoque Chalcedonensis *can.* *IX.* gradus ecclesiasticae iurisdictionis recensens, aduersus sententiam synodi dioecesanae aut sedis Constantinopolitanae nullum damnatis proponit remedium, propositura profecto, si alium superiorem iudicem damnatis liceret appellare, quemadmodum fecit in caussis clericorum & episcoporum, qui a suo episcopo vel metropolitano laesi erant. Et Iustinianus *nouel.* *CXXIII.* *cap.* 22. conceptis verbis edicit, ab iudicio synodi dioecesanae omnino non dari appellationes. Et vt alia multa mittam, ex monumentis ecclesiae Africanae aperte constat, in veteri disciplina pontificem appellari non consueuisse; canones nimirum Africani damnant eos, qui ad transmarina appellandum putauerint, *can.* 28. *C.* *Afr.* (*b*).

§. VI. Iam vetus disciplina, qua caussae ecclesiasticae in synodis prouinciarum finiebantur, in synodo Sardicensi mutata est, ex qua mutatione data est occasio, vt tandem appellationes ad pontificem reciperentur. Sane ea synodus statuit, vt si damnatus episcopus sibi iniuriam illatam autumet, scribatur episcopo Romano, vt si is putauerit, concilium renouandum, det iudices, & quidem vicinae prouinciae episcopos, ita tamen vt pontifex legatum quoque mittere possit nouo iudicio praefuturum, si ipsi visum fuerit, aliquem mitti oportere: contra si putauerit, negotium iterum tractari non debere, res

(b) Verba canonis Africani sunt: *ad transmarina qui putauerit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur, sicut & de episcopis saepe constitutum est.* Exstat hic canon in concilio Mileuitano, seu potius Carthaginiensi, quod anno CCCCXVIII. celebratum est, sed omissis verbis vltimis, quae caussas episcoporum complectuntur, *can.* 125. *C.* *Afr.* Sed verba illa addita videntur in concilio sexto Carthaginiensi, *can.* 28. *C.* *Afr.*, vbi canones antecedentium Africanarum synodorum relecti & probati sunt. Transmarina ecclesia Africanis Romana erat: & certe risum mouet exceptio, quam mox relato canoni Gratianus adiecit, *nisi forte Romanam sedem appellauerit*, *can.* 25. C. 2. *q.* 6., quasi Afri ad transmarina appellantes, aliam quam Romanam sedem appellarent.

res iudicata suum robur obtineat. Conc. Sard. *can. III. & VII.* Renouatio iudicii ex verbis canonum fieri debet per iudices vicinae prouinciae, at hac sententia non excluduntur episcopi prouinciae, qui primo iudicarunt, sed potius ex vtrisque ad caussam tractandam synodus coalescet. Ita per canones Sardicenses non ius appellandi pontificem confirmatur, aut instituitur, sed potius eidem conceditur ius decernendi, an iudicium in prouincia renouandum sit. V. Petr. de Marca *lib. VII. de concordia sacerd. & imperii cap.3. &* Dupin. *de antiq. ecclesiae discipl. diss. II. cap.* 1. §. 3. Huic vero nouae disciplinae statuendae caussam praebuere iudicia quaedam in synodis Orientis in episcopos orthodoxos vi & iniuria agitata, quale Athanasii & sociorum eius iudicium.

§. VII. Disciplina per canones Sardicenses statuta in ecclesia Orientali numquam recepta est, & in ipso Occidente sero tandem admissa. Sane ecclesia Africana initio quinti saeculi Sardicenses canones, quos Zosimus papa in caussa Apiarii tamquam Nicaenos laudauit, cognito errore, reiecit, & canonibus Nicaenis adhaesit, *can.* 138. *C. Afr.* Similiter in Hispania saeculo sexto adhuc vigebat vetus disciplina, qua caussae episcoporum synodi episcopalis iudicio finiebantur, & quidem accitis finitimis episcopis, si prouinciae episcopi inter se non conuenirent, vt constat ex Martino Bracarensi *cap. XIII.* Et ecclesia Gallicana similiter longo tempore canones Sardicenses ignorauit, & ex antiquis canonibus a iudiciis synodalibus appellari non licere professa est: quod multis Quesnellus *diss. V. in S. Leonis M. opera cap.* 14. *& seqq.* probat. Adhaerebant vero ecclesiae receptae disciplinae, etsi Romani pontifices obseruantiam canonum Sardicensium numquam non vrgerent (*c*).

§.VIII.

(c) Sed contra hactenus dicta proferri solent multa iudiciorum exempla, in quibus vel ante, vel post synodum Sardicensem damnati episcopi, tam ex Oriente, quam ex Occidente sedem Romanam appellarunt. Ita Athanasius primum in synodo Tyria, inde in Antiochena damnatus ad Iulium papam confugit. Similiter Chrysostomus in synodo damnatus Innocentium

§. VIII. Verum enimuero saeculo sexto & sequentibus canones Sardicenses in ecclesiis Occidentis sensim in auctoritatem admissi sunt, idque opera Romanorum pontificum, qui eorum obseruantiam vrgebant. Quin pontifices sic canones Sardicenses interpretati sunt, quasi in sua esset potestate caussas per appellationes ad sedem apostolicam delatas Romae iudicare, vel in prouinciis iudicandas transmittere, misso a latere legato. Gregor. M. *lib. II. ep. 6. & 47.* Item post saeculum decimum vlterius

---

tium 1. appellauit. Eutyches quoque in Constantinopolitana S. Flauiani synodo damnatus ad iudicium maiorum episcoporum, in primis Leonis M. prouocauit: ad quem etiam confugerunt S. Flauianus patriarcha & Theodoritus episcopus Cyri, quos synodus Latrocinii Ephesini damnauit. Quibus aliisque multis exemplis Gelasius pontifex in *epist. ad episc. Dardaniae* docet, sedem apostolicam potestate auctam esse de caussis per synodos iudicatis cognoscere.

Longioris esset operis, si haec & alia, quae adferri solent, appellationum ad summum pontificem exempla sigillatim expendere vellem: tantum generales quasdam obseruationes proponam, vnde facile constet, cuius ponderis eiusmodi appellationes fuerint. Principio ab exemplis canonicus appellationum vsus vix erui posse videtur, quando canones exstant, qui antiquam iudiciorum formam eam fuisse demonstrant, vt caussae in prouinciis finiri debeant. Praeterea in veteri disciplina episcopi damnati saepe confugiebant ad pontificem, non proprie appellantes, sed potius eius auxilium implorantes, vtpote qui in synodis per vim damnati erant, vt Athanasii & Chrysostomi exemplis constat: & hinc non ad solum pontificem recurrebant, sed ad aliarum magnarum sedium episcopos, vt omnes veluti coniunctis viribus oppressos tuerentur. Item appellati ab episcopis damnatis pontifices de caussa proprie non iudicabant, nec latas sententias rescindebant; sed illas saepe improbabant, veluti quae contra canones latae ipso iure nullae erant, *quod non solum praesidi apostolico facere licet, sed & cuicumque pontifici*, vt Gelasius papa *epist. ad Faustum* loquitur. Demum appellati pontifices id agere solebant, vt per principes generalia concilia cogerentur, in quibus latae sententiae possent retractari, vt in caussa Chrysostomi videre est.

rius res processit; nam etiam inferiorum clericorum appellationes ad pontificem admissae sunt, & praeterea caussae depositionis episcoporum synodis prouincialibus ablatae primo iudicio sedi Romanae cesserunt. Tanta mutatio putidis Isidori Mercatoris mercibus debetur, in quibus edicitur, clericos omnes Romanam sedem libere posse appellare, *can.* 4. *&* 8. *C.* 2. *q.* 6., & praeterea de caussis episcoporum statuitur, episcopos inconsulta Romana sede non esse damnandos. Ex qua doctrina deinceps in summis saeculi decimi & sequentis turbis episcoporum depositiones summo pontifici reseruatae sunt. Gregor. VII. *dict. cap.* 3.

§. IX. Iure ciuili tantum a sententia definitiua licebat appellare, non item ab interlocutionibus, nisi istae vim sententiae haberent, aut graue & irreparabile damnum inferrent, *L.* 39. *D. de minoribus*, *L.* 2. *D. de appellat. recipiendis*, *L.* 18. *C. Th. quorum appellat. non recipiantur*. At iure decretalium & a sententia & a quavis interlocutione etiam simplici, qua acta iudicialia ordinantur, admittitur appellatio, *cap.* 12. *ex. de appellationibus*. Quin eodem decretalium iure vlterius res processit, & appellationes etiam admissae ab actibus extraiudicialibus, *cap.* 8. *de appellat. in* 6. Frequentia ista appellationum ecclesiasticae disciplinae ruinam promouit: inde enim in longum lites productae, grauissima scelera praesidio appellationum nec emendata, nec castigata, & neruus censurarum fractus: quae incommoda S. Bernardus *lib. III. de considerat.* & Hildebertus Turonensis *ep. LXXXII. ad Honorium II.* recensent & deplorant.

§. X. Licentia appellandi etiam ab omnibus interlocutionibus diu stetit, tandem vero in concilio Tridentino saltem ex parte emendata est edito decreto, ne appellationes ab ordinariis interpositae a superioribus recipiantur, *nisi a definitiua, vel definitiuae vim habente, & cuius grauamen per appellationem a definitiua reparari nequit*. Trident. *sess. XXIV. de ref. cap.* 20. Ita sublatae appellationes a quacumque interlocutione, passimque tradunt interpretes, hac in parte ius canonicum ad terminos iuris ciuilis redactum esse. Verum quis crederet! etiam post hoc decretum frequentia appellationum inter-

pretatione prudentum seu potius imprudentum remansit. Etenim quum synodus Tridentina ab interlocutionibus, quae grauamen inferrent per sententiam haud reparabile, appellari permitteret; interpretes plus aequo regulam hanc extendentes, docuerunt, idem ius esse, si damnum per sententiam reparari quidem possit, sed cum magna difficultate, aut partis praeiudicio, aut tantum ex parte. V. Espen. *par. III. tit.* 10. *cap.* 1.

§. XI. Multum vero interest inter appellationem a definitiua & ab interlocutione. Principio appellatio a definitiua iudicis, vnde appellatum est, omnino iurisdictionem suspendit, *L.* 3. *C. de appellationibus*, *cap.* 7. *de appellationibus in 6.*; at appellatio ab interlocutione iudicis inferioris non suspendit iurisdictionem, nisi hic interpositae appellationi detulerit, aut iudex superior litteras inhibitionis dederit, *cap.* 5. *&* 7. *eodem*, aut interlocutio damnum irreparabile contineat. Item in appellatione a definitiua caussam, cur appellatum sit, exprimi non est opus, *L.* 2. *D. de appellationibus*, in appellatione ab interlocutione caussa exprimenda est, *cap.* 59. *ex. de appellationibus*. Item appellatio a definitiua, si in continenti fiat & apud acta, etiam nuda voce & simplici verbo *appello* fieri potest, *cit. L.* 2., contra appellatio ab interlocutione omnino in scriptis proponenda est, *cap.* 2. *eodem in 6.* Porro qui appellat a definitiua, etiam non expressas caussas prosequitur, & appellationem nouis probationibus instruit; at qui appellat ab interlocutione, non potest alias caussas prosequi quam in appellatione dumtaxat expressas, *Clement.* 5. *de appellationibus*, nec nouis probationibus vtitur.

§. XII. Licet vero appellare non tantum damnato, aut alias iniqua iudicis sententia grauato, verum etiam omnibus, quorum interest, sententiam latam non esse, *L.* 4. *D. de appellationibus*, *cap.* 16. *ex. de electione*. Ita si emtor de proprietate victus est, & cesset, venditori licet prouocare: nam eius caussa agitur, quum emtori possit esse contra venditorem regressus: qua eadem ratione iure appellat fideiussor, si principalis debitor victus cesset. Quilibet quoque potest appellare pro eo, qui capite damnatus est, etiamsi damnatus perire festinans, ap-

pella-

pellationi reluctetur, *L. 6. D. eodem;* ratio enim communis officii ab hominibus poscit, ciues in discrimine vitae positos in iudiciis tueri.

§. XIII. Appellatio inter appellatoria tempora proponenda & peragenda est, quae tempora etiam *fatales dies* dicuntur, quod eorum lapsu veluti fato quodam illa perimatur. Sunt vero eiusmodi appellatoria tempora quatuor, vnum est tempus ad appellandum, alterum ad petendos libellos dimissorios, tertium ad introducendam appellationem apud iudicem superiorem, & quartum ad eam prosequendam & finiendam. Et quod spectat ad primum iure ciuili imperatoris Iustiniani appellari debet intra decem dies *a sententiae recitatione* numerandos, *nouel. XXIII. cap.* 1., quod ius Innocentius III. confirmauit, *cap.* 15. *ex. de sent. & re iudicata*. Ait quidem Iustinianus, appellandum esse intra decem dies *a sententiae recitatione;* at id tempus nequaquam currit ignoranti, nec ei, cui interim deest, coram quo appellet, *L.* 1. §. 7. *& vlt. D. quando appellandum*. Et fortasse id statuit imperator, quod partes sententiae recitationi praesentes supponeret. Currit vero concessum tempus a momento ad momentum, & idcirco potest euenire, vt decimus dies in vndecimum desinat.

§. XIV. Appellatione proposita appellans petere debet dimissorios libellos, seu litteras, quae ab iudice inferiore ad superiorem dantur, quibus scribens significat, a sententia, quam ipse dixit, fuisse appellatum, & simul caussam ad superiorem dimittit. Libelli dimissorii etiam *apostoli* dicti sunt, quasi libelli missi, *L. vn. D. de libellis dimissoriis*. Apostoli intra triginta dies *ex die latae sententiae* petendi sunt, & ab iudice, vnde appellatum est, litigatoribus exhibendi: quod & ciuili & decretalium iure cauetur, *L.* 24. *C. de appellationibus, cap. 6. de appellationibus in 6.* Verba vero illa *ex die latae sententiae* multi ita accipiunt, quasi scriptum sit, *ex die scientiae latae sententiae*, quae doctrina verior est. Sed potest iudex, vnde appellatum est, certum tempus ad petendos & recipiendos apostolos litigantibus statuere, *Clement. 2. de appellationibus*, modo legitimum tempus contrahat. Intra hoc tempus litigator *instanter & saepius*

pius petere apoſtolos debet, ne appellationi renuntiaſſe videatur. Sed moribus praeſentibus praeſertim in foro ſaeculari ferme nullus eſt apoſtolorum vſus, & appellatio proponitur apud iudicem ſuperiorem, qui recepta appellatione iudici inferiori praecipit, ne vlterius in cauſſa procedat, & acta tranſmittat.

§. XV. Acceptis litteris dimiſſoriis, qui appellauit, adire maiorem iudicem debet, & apoſtolos offerre: idque iure ciuili pro varia locorum & iudicum ratione non eodem temporis ſpatio faciendum erat, *L.* 1, 2. *&* *vlt. C. de temporibus appellationum*. Sed hoc varium tempus gentium moribus vix ſeruari potuit: nec ea de re aliquid certi in decretalibus habetur. Itaque id tempus iudex, vnde appellatum eſt, pro arbitrio ſuo ſpectatis locorum & temporis adiunctis praeſtituet, *Clement.* 4. *de appellationibus*. Exhibitis vero iudici maiori libellis dimiſſoriis, appellans inſtat, vt appellatio recipiatur, pars aduerſa ad certum terminum citetur, & iudex, vnde appellatum eſt, inhibeatur.

§. XVI. Introducta apud maiorem iudicem appellatio iure ciuili & decretalium anno, & ex iuſta cauſſa biennio inſtrui & finiri debet, *L. vlt* §. 4. *C. de temporibus appellationum*, *cap.* 5. *ex. de appellationibus*. Vnde id tempus incipiat, non conuenit inter iuris ciuilis interpretes; at iure decretalium ab interpoſita appellatione incipit, *cap.*8. *ex. eodem*, *Clement.*3. *de appellationib.* Sed nimia cauſſarum frequentia fecit, vt praeſcripto tempore cauſſae appellationum finiri nequeant.

§.XVII. Appellatio iure interpoſita iudicis, vnde appellatum eſt, iuriſdictionem ſuſpendit, & cauſſam ad maiorem iudicem deuoluit, *L.* 32. §.4. *C. de appellationibus*, *cap.* 55. *ex. de appellationibus*. Et hinc pendente appellatione iudex inferior nihil poteſt innouare: & ſi quae innouauerit, a maiore iudice ante omnia in priſtinum reducuntur, *L. vn. D. nihil innouari appellat. interpoſita*, *cap.* 7. *de appellationibus in* 6. Suſpenditur vero iudicis inferioris iuriſdictio, ſi a definitiua appelletur; nam appellatio ab interlocutione tum id operatur, ſi maior iudex illi prohibuerit, ne vlterius in cauſſa procedat, *cit. cap.* 7. Verum aliquando nec appellatio a definitiua infe-

inferioris iudicis iurisdictionem suspendit, veluti si appelletur a sententia irrogatarum censurarum, *cap.*53. *ex. de appellationibus*, *cap.*20. *de sent. excommunicationis*, itemque si appelletur in caussis emandationis morum, nisi formam in talibus seruandam antistites excesserint, *cap.* 3. *ex. de appellationibus*. Et in his casibus appellatio dicitur habere effectum *deuolutiuum*, non vero *suspensiuum*.

§. XVIII. Ex regulis iuris ciuilis ante Iustinianum receptis semel tantum in vna eademque caussa licebat prouocare. At ex lege Iustiniani vni eidemque litigatori in eadem caussa & in iisdem articulis semel, atque iterum appellare concessum est, non item tertio, *L. vn. C. ne liceat in vna eademque caussa:* quae regula in decretalibus confirmatur, *cap.* 39. *ex. de appellationibus*. Et certe qui tertio prouocat ab eadem sententia, videtur malam caussam sustinuisse, & praeterea modum aliquem litibus esse oportebat. Quod vero vnicuique litiganti semel & iterum licet prouocare, in vna eademque caussa quatuor appellationes possunt interponi, quod vbi fiet, ea sententia exsecutioni datur, quae bis confirmata est.

§. XIX. Appellatio autem interponi debet ab iudice, qui sententiam dixit ad superiorem, & quidem proximum: appellationes enim gradatim interponendae sunt, & si appelletur per saltum omisso iudice intermedio, ad eum remittitur appellatio, qui appellari debuisset, quod iure ciuili cauetur, *L.* 21. *D. de appellationibus*. Semel enim recepti iudicum & iurisdictionis gradus custodiendi sunt, ne iudicia incerta fiant. Nec aliter habent pontificum decretales, si de iudicibus pontifice inferioribus agatur, *cap. 66. ex. de appellationibus:* nam eodem decretalium iure ad summum pontificem eiusue legatum omissis iudicibus intermediis appellationes permittuntur, *cap. vlt. ex. de foro competenti*, *cap. 7. ex. de appellationibus*, *cap.* 1. *ex. de officio legati* (d).

 §. XX.

(d) Praerogatiua ista summi pontificis primum proposita videtur in falsis decretalibus sub nomine Sixti, Marcelli, Zephyrini ac Iulii pontificum, *can.* 4. *seqq.* C.2. *q.* 6., quibus edicitur, licere omnibus in sui defensionem libere sedem apostolicam

§. XX. Sunt vero nonnullae caussae, in quibus appellare non est necesse, aliae in quibus appellatio iure denegatur. Et quidem toties superfluum est appellare, quoties sententia est ipso iure nulla: quod enim nullum est, rescindi nequit: & omnis appellatio supponit sententiam valere, & aliquod grauamen inferre, licet sit iniqua. Interest quippe an sententia sit nulla, an iniusta; nam illa iure non consistit, ac ideo rescissione non indiget; haec vero iure valet, & hinc per appellationem rescindenda venit. Ergo superfluum est appellare, si sententia ab incompetente iudice lata sit, *L. vlt. C. si non a competente iudice*, aut si a competente quidem, sed contra receptum iudiciorum ordinem, *L. 4. C. de sententiis & interlocutionibus*, aut si directo contra leges prolata expressum iuris errorem contineat, veluti si iudex dixerit, testamentum ab impubere conditum valere, *L. 1. §. 2. D. quae sententiae sine appellatione*. Ita contra sententias nullas sufficit nullitates proponere, vel contra eas de nullitate excipere.

§. XXI. Caussae vero, vbi appellationes non recipiuntur, sunt illae, in quibus moratoria potius, quam ex caussa iniquitatis appellatio interposita videtur. Ergo denegatur appellatio in notoriis, *cap. 5. §. vlt. & cap. 13. ex. de appellationibus*, a sententiae executione, nisi in ea modus excedatur, *L. 5. C. quorum appellationes, cap. 15 ex. de sententia & re iudicata*, & in caussis disciplinae & emendationis morum, *cap. 3. & 32. ex. de appellationibus*, nisi nimius excessus adsit. Item non auditur appellans, qui testibus & argumentis conuictus crimen fatetur, *L. 2. C. quorum appellat. non recipiantur:* item qui ob veram contumaciam damnatus est, *L. 1. C. eodem:* item qui sententiam quoquo modo probauit, *cap.* 2.

cam appellare, quae veluti communis mater omnes excipit, & ab oppressionibus tutos facit. Tota vero ista appellandi ratio ad pontificem omisso medio ex Espenii sententia originem habet ex doctrina illa, quae habet, Romanum pontificem esse ordinarium ordinariorum, siue auctoritatem etiam episcopalem & metropoliticam in omnes particulares ecclesias habere.

2. *ex. de offic. delegati*, vel se non appellaturum iurauit, *cap.* 2. *ex. de appellationibus*, nec recipitur eius appellatio, qui tribus conformibus sententiis damnatus est, *L. vn. C. ne liceat in vna eademque caussa*, *cap.* 65. *ex. de appellationibus*.

CAPVT XXIX.

De in integrum restitutione.

§.I. QVi appellationis remedio destituuntur, auxilio restitutionis in integrum contra iudicis sententiam iuuantur, non tamen omnes, nec semper, sed qui id beneficium intra legitimum tempus petere possunt. Restitutio in integrum est redintegrandae rei, vel caussae actio, quae laesis beneficio magistratus ob iustam caussam conceditur. Sane restitutio in integrum decreto magistratus ex caussa datur, & quidem vbi aliud remedium non suppetit; nam si actus ipso iure non subsistit, aut alias praesto est ciuile remedium ordinarium, in integrum restitutio dari non solet, *L. 16. D. de minoribus*, *L.2. C. de filiofam. minore*. Atque hinc patet, cur restitutio in integrum remedium extraordinarium dicatur, quatenus nempe in subsidium & aliis actionibus deficientibus conceditur.

§. II. Restitutio in integrum iure Romano ex caussa conceditur laesis tam in iudicio, quam extra iudicium. Et quod spectat ad in integrum restitutionem, quae laesis iudicio conceditur, (restitutio competens laesis extra iudicium non est huius loci) ea iuuantur minores, qui sententia iudicis, vel in iudicii cursu se laesos ostenderint. Iure minoris censentur respublica, ecclesia, hospitalia & alia loca pia ecclesiastica, quae vbi laesa sunt, in integrum restituuntur. *L.* 4. *C. quibus ex caussis maiores*, *L.* 3. *C. de iure reipublicae*, *cap.* 1. & 3. *ex. de in integrum restitutione*. Conf. Gonzalez *in cit. cap.* 1. Restituitur ecclesia & contra priuatos homines & contra aliam ecclesiam, modo quae restitutionem petit, agat de

damno vitando, altera de lucro captando, *cap.* 2. *& seq. ex. eodem:* nam si vtriusque par sit conditio, vna ecclesia contra aliam non restituitur.

§. III. Petere debent in integrum restitutionem minores intra quadriennium continuum, ex quo minores esse desierint, *L. vlt. C. de tempor. in integr. restitutionis*, ecclesia vero & aliae societates, quae iure minorum censentur, intra quadriennium a tempore cognitae laesionis, *cap.* 2. *de restitut. in integrum in* 6. Quod si legitimum tempus elapsum sit, ecclesia non restituitur, nisi praeuaricationis, aut manifestae fraudis commentum interuenisse probet, aut aliam caussam alleget, quae iudicem ad restitutionem concedendam mouere possit, *cap.* 1. *eod. in* 6. Currit vero tempus, tam si actione, quam si exceptione restitutio petatur, *cit. cap.* 1., quamuis enim regulariter omnes exceptiones perpetuae sint; tamen haec regula locum non habet in iis, quae per modum actionis proponi possunt.

§. IV. Effectus postulatae in integrum restitutionis est, vt omnia in suo statu stare debeant, donec cognitio finiatur, *L. vn. C. in integrum restitut. postulata, ne quid noui fiat:* ideoque impeditur sententiae executio, perinde ac si appellatio interposita fuisset. Restitutione inde impetrata, omnia in pristinum statum reducuntur, laesio aboletur, & quisque quae sua sunt, recuperat, *L.* 24. §. 4. *D. de minoribus;* etenim restitutio impetrata non tantum impetranti prodest; verum etiam ei, contra quem conceditur, sua iura restituit.

CAPVT XXX.

De apostasia.

§. I. Crimina ex regulis nouae disciplinae vel *ecclesiastica*, vel *ciuilia*, vel *mista* sunt. Ecclesiastica fidem & religionem directe laedunt, eorumque natura ex canonibus determinatur, qualia apostasia, haeresis, schisma,

sma, simonia, sacramentorum profanatio, sigilli sacramentalis fractio, & huius generis alia. Ciuilia sunt, quae directe laedunt rempublicam, nec aliquid habent spirituale, nisi criminis in foro interno absolutionem & poenitentiam, qualia homicidium, peculatus, plagium, furtum. Et demum mista, quae eodem tempore rempublicam & religionem laedunt, qualia esse dicuntur adulterium, concubinatus, sodomia, sacrilegium, sortilegium, crimen vsurarum. In veteribus canonibus & decretalibus Gregorii IX. ferme de omnibus criminibus tractatur, sed quatenus spectat canonicas poenas, & eas quae in iudiciis ecclesiasticis irrogabantur. Nos hic tantum de praecipuis ecclesiasticis criminibus agemus, non vero de ciuilibus & mistis: ecclesiastica enim crimina propria sunt iuris canonici, eorumque natura tantum ex canonibus aestimatur & definitur.

§. II. Maximum inter ecclesiastica crimina apostasia est. Generatim apostasia est desertio, apostata vero desertor: at speciali notione praesertim apud Graecos patres apostasia denotat a fide christiana, quam quis in baptismo professus est, desertionem. Quin latiore sensu apostasiam etiam admittere censebantur catechumeni, qui a catechesi desciscentes, ad aras & templa transibant, *L.2. C.Th. de apostasia*; licet longe maius crimen esset illuminatorum seu fidelium apostasia. Nempe in veteri disciplina catechumeni edito christianae religionis suscipiendae desiderio generale christianorum nomen consequebantur, eorumque multi etiam finito catechesis tempore baptismum vsque differebant, & interim tamquam christiani in multis rebus habebantur. Vt vero apostasia admittatur, sufficit christianam religionem reliquisse, nec requiritur ad aliam transitus: & profecto apostatis peiores videri possunt, qui Christo relicto nullam deinceps religionem profitentur, Deum non esse impie delirantes.

§. III. In veteri ecclesiae disciplina apostatae duplicis generis erant, alii enim sponte sua & taedio christianae religionis adfecti, alii metu coacti a Christo deficiebant. Et quod spectat ad vltroneos apostatas, ii vel ad ethnicos, vel ad Iudaeos, vnde ad Christum conuersi erant, vt plurimum transibant. Qui ad ethnicam superstitionem

nem reuertebantur, a magistratibus vocati, vt plurimum Deorum imagines venerabantur, & Christo maledicebant: quae erat eiuratio christianae religionis ab ethnicis exigi solita, vt ex Plinio Iuniore *lib. X. ep. 97.* constat, qui de christianis, qui sponte sua ad idola transierant, ita ad Traianum refert: *Omnes & imaginem tuam deorumque simulacra venerati sunt, ii & Christo maledixerunt.*

§. IV. Qui deserta christiana religione ad Iudaeos transibant, non omnes eiusdem conditionis erant. Alii nempe, christiana religione prorsus eiurata, Iudaicam amplectebantur. Alii christianam religionem non penitus abiiciebant, sed eam cum Iudaica commiscebant, & inde veluti hybridam religionis speciem comminiscebantur, quod Cerinthianos, Nazaraeos, Ebionaeos aliosque haereticos fecisse Augustinus *de haeresib. cap. VIII. seqq* testatur. Alii demum nullum Iudaicae religionis dogma amplectebantur, sed in remotioribus quibusdam ritibus & consuetudinibus Iudaeis adhaerebant; ac ita in sabbato otiabantur more Iudaico, conuiuia cum Iudaeis agitabant, eos adibant ad recipienda philacteria & amuleta pro morbis curandis, in quibus Iudaei peculiarem & potentiorem artem possidere credebantur.

§. V. Venio nunc ad eos, qui metu coacti & vi tormentorum oppressi a religione christiana desciscebant, & proprio nomine *lapsi* dicebantur. Erant lapsi alii *thurificati*, alii *sacrificati*, alii *libellatici:* quae vocabula in operibus Cypriani saepe occurrunt. Thurificati dicebantur, qui diis *thure & vino supplicauerant*, vt Plinius Iunior *lib. X. ep. 97.* habet: thuris enim suffitus & vini libatio duae erant partes sacrificiorum, quae diis offerebantur, & inde euidens desertae christianae religionis signum thurificatio habebatur. Sacrificati erant, qui *sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent*, vt Cyprianus *ep. XV. al. XX. ad clerum Roman.* loquitur, hoc est carnes diis immolatas comederant: signum enim idololatriae erat idolothyta, seu res idolis immolatas, praesertim in templo comedere. Sed non omnes siue thurificati, siue sacrificati eamdem apostasiam admittebant, maius enim, aut minus crimen ex adiunctis censebatur: intererat enim, vtrum laetu & vestibus pretiosioribus induti,

duti, & primo impetu fracti, an potius toti ad moestitiam compositi, & longioribus tormentis compulsi a Christo defecissent.

§. VI. Libellatici nec thure, nec sacrificio professam religionem deserebant, at rei erant apostasiae, quod libellis religionem abnegarent. Eorum tres species ex receptiore sententia videntur fuisse. Nonnulli magistratibus se non esse christianos aperte profitebantur, religionem suam vel voce, vel libellis negantes, seque idolis sacrificare paratos esse adfirmabant, si a magistratu iuberentur. Alii nec abiurabant, nec libellum abiurationis ipsi exhibebant, sed vel amicum ethnicum, vel seruum mittebant, vt ipsorum nomine sacrificaret, & hoc ipso libellum securitatis a magistratu ipsis impetraret, quasi fecissent, quod ipsorum nomine alii fecerant. Alii demum aperte Christum profitebantur, & perspicientes, quod praesidis ira pecunia & muneribus exstingui posset, muneribus datis sibi libellos securitatis impetrabant, in quibus dicebatur, quod iam sacrificauerant, etsi id numquam fecissent. Primi & secundi generis libellatici veri apostatae erant; at qui professa christiana religione iram iudicis pecunia extinguebant, rei tantum erant, quod in libello diceretur, illos iussu praesidum sacrificasse. V. Kortold. *de persecut. eccles. primit. cap. VIII.* §. 10. (*a*).

§.VII.

(a) Apostatis proprie sic dictis accedebant, qui superstitiosos gentium ritus adiuuabant, vel imitabantur; hi enim idololatriae rei quodammodo erant, & veluti susceptae religionis proditores. Tales erant christiani, qui flaminis seu sacerdotis ethnici munus in se recipiebant, conc. Illiber. *can. III.*; flaminis enim munus erat populo exhibere ludos & spectacula, quae in deorum cultum edebantur, & ritibus idololatricis scatebant. Item omnes scenici, histriones, aurigae, qui currus in publicis spectaculis agitabant, tamquam fautores & adiutores idololatriae habiti, conc. Illib. *can.LXII.* Arelat. 1. *can.* 4. & 5., theatrum enim & publici ludi partes erant pompae & cultus Satanae, cui christiani in baptismo renuntiabant. Eodem crimine se adstringebant idolorum artifices, quique aedificabant, vel ornabant gentium aras, & qui victimas & thus ad idololatriae vsum vendebant. V. Bingh. *orig. eccles. lib.XVI. cap.*

§. VII. Quod vero ſpectat ad poenas in apoſtatas ab eccleſia decretas, ii praeſertim ſi idololatriae rei eſſent, ante Cypriani aetatem non ſolum eccleſia eiecti; verum etiam in fine vitae communione ſeu abſolutione donari non ſolebant; quae ſeueriſſima diſciplina in eccleſiis Romana, Hiſpanienſi & Africana ſeruabatur. Tertullian. *de pudicitia cap. V.*, Conc. Illiber. *can. I.* Hac ſeueritate fideles eccleſia admonitos voluit, vt a lapſu ſummopere ſibi cauerent; tempore enim perſecutionis neceſſarium viſum eſt intendere rigorem, *ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non reuocaret a lapſu*, vt Innocentius I. papa loquitur *epiſt. III. ad Exuperium*. Sed deinceps ab hac ſeueritate eccleſia deſciuit, & apoſtatis, qui poenitentia ducti ad religionem reuertebantur, abſolutionem dedit. Hinc in canonibus varia poenitendi tempora longiora, aut breuiora praeſcripta ſunt; quae varietas a varietate criminis & adiunctorum, quae illud comitabantur, dependet. V. Bingh. *orig. eccleſ. lib. XVI. cap.* 4. §. 5.

CAPVT XXXI.

De haereſi.

§. I. HAEreſis Graecum nomen eſt, quod ſectam denotat, eaque voce Graeci & Latini ſcriptores etiam eccleſiaſtici & in bonam & in malam partem vtuntur. At frequentiore vſu in eccleſiaſticis monumentis male ſonat; quid vero proprie ſit, difficile viſum fuit veteribus patribus definire. Auguſt. *lib. de haereſib. in praef.* (*a*). Interim expenſis omnibus, quae haereticum ho-

(a) Huius difficultatis ratione idem Auguſtinus *ep. CXXII. ad Quoduultdeum* putat eueniſſe, cur Philaſtrius Brixienſis epiſcopus & Epiphanius de haereſibus ſcribentes, de haereſeon numero non conuenerint. Ille enim haereſes populi Iudaici ante natum

hominem constituunt, sic haeresis describenda videtur, est error in rebus fidei, quo homo christianus sciens prudens doctrinam aliquam, quam ecclesia catholica tamquam fide diuina credendam proponit, deserit, nouamque doctrinam sibi effingit. Tria ergo ad haeresim constituendam necessaria sunt. Vnum, christianus homo debet errare in fide: alterum, doctrina, quae negatur, debet esse ab ecclesia catholica ad credendum proposita: tertium, necessaria est scientia & pertinacia, qua christiana doctrina ab ecclesia proposita reiiciatur.

§. II. Quod spectat ad primum, vt haeresis dici possit, requiritur error in iis, quae doctrinae & fidei christianae sunt. Ergo ante omnia videndum, quae sit christiana doctrina, vt quidquid ei aduersatur, tamquam haeresis materia haberi possit. Continetur christiana doctrina in verbo Dei scripto, vel tradito; apostoli enim non omnia scripto consignarunt, sed multa etiam ore docuerunt, quae quasi per manus ecclesia accepit, & omni tempore docuit. Sed non omnia, quae continentur in verbo Dei, pertinent ad doctrinam religionis, sed tantum ea, quae ad dogmata fidei & morum regulas spectant: in rebus enim naturalibus verbo Dei comprehensis Deus locutus est linguam filiorum hominum: nec inde res physicae, geographicae, astronomicae, medicae certo deciduntur. V. Murator. *de moderat. ingenior. lib. I. cap. 23.*

§. III. Praeterea error in rebus fidei tum haeresis est, si pars illa verbi Dei, quam errans impugnat, ab ecclesia catholica tamquam fide diuina credenda proposita sit. *Illud omne & solum est de fide catholica*, inquit Veronius in *reg. fidei cathol. cap. I. §. 1.*, *quod est reuelatum in verbo Dei, & propositum omnibus ab ecclesia catholica fide diuina credendum.* Nimirum quum verbum Dei interpretatione indigeat; nequaquam haeresis dicenda est, si quis dis-

natum Christum viginti octo numerauit, post Christum vero centum viginti octo: hic vero vtriusque temporis haereses octoginta recensuit. Et tamen Epiphanius Philastrio doctior erat. Itaque in ea disceptatione, quid sit haeresis, non idem ambobus videbatur.

dissentiat ab aliqua doctrina fidei verbo Dei comprehen sa, quando adhuc ecclesia catholica, cui doctrinae depc situm concreditum est, illam non declarauerit & creden dam proposuerit. Ex qua doctrina veteres patres tam quam veros haereticos habebant, quotquot conciliorui generalium definitionibus non adquiescebant, quod eccle siae catholicae iudicium ex comitiis illis habebatur. E quoniam depositum fidei integrius seruabatur in ecclesi principibus & apostolicis, maxime in ecclesia Romana hinc mos fuit veteribus, eos catholicos dicere, qui cun ecclesiis Romana, Alexandrina & Antiochena in fide con sentirent, *L.* 2. *C. Th. de fide catholica* (*b*).

§. IV. Item ad haeresis constitutionem pertinacia re quiritur, vt nempe quis sciens prudens doctrinam, quar ecclesia catholica veluti in verbo Dei comprehensam a credendam proponit, abiiciat, & in oppositam senter tiam pertinaci animo feratur. Nam si quis in fide pe simplicitatem aut ignorantiam erret, putans esse de fic & ecclesiam ita tenere, nec dici, nec iudicari pote tamquam haereticus, *can.* 29. C. 24. *q.* 3. Quo spect Augustini sententia, *errare possum*, *sed haereticus non er* quia scilicet non ero in errore pertinax, sed eo cognit in sinum matris me coniiciam. Hinc recte synodus L. teranensis sub Innocentio III. damnatis abbatis Ioachin opinionibus, ipsum nihilominus ab haeresi absoluit: Io chimus enim omnia scripta sua iudicio sedis apostolic approbanda, aut corrigenda supposuit, *cap.* 2. *ex.* *summa Trinitate & fide catholica*.

§. V. Nec tantum haeretici sunt, qui pertinaci an mo

(b) Atque ex his omnibus intelligitur, cur olim complusc patres dogmata nonnulla tenuerint, quae verbo Dei aduersa tur, nec tamen inter haereticos relati sint. Sane ante exorta haeresim Arianam quidam ex patribus de Christo & sacros cta Trinitate minus caute scripserunt; itemque multi veteru doctrinam de regno Christi mille annorum in terris tenueru Nimirum ecclesia catholica nondum omnia ad Christum eius regnum pertinentia ventilauerat, nec apertis conceptisque f mulis doctrinam christianam proposuerat.

mo doctrinis fidei contraria sentiunt, verum etiam qui in fide dubitant. *Dubius in fide infidelis est*, inquit Stephanus papa, seu quisquis sub eo nomine latet, *cap. 1. ex. de haereticis*. Sane qui sciens dubitat de fide ecclesiae catholicae, hoc ipso ex pertinacia peccat in fidem, quae docet, extra dubitationem esse, quae catholica ecclesia veluti fide diuina credenda proponit. Dubius vero in fide non tantum dicitur, qui de vniuersa christiana doctrina dubitat; verum etiam qui aliquem fidei articulum in dubitationem adducit.

§. VI. Praeter crimen haeresis datur etiam crimen suspecti de haeresi, cuius rei sunt, qui ex coniecturis & indiciis in fide obstinato animo errare praesumuntur. Est vero suspicio de haeresi triplex, leuis, vehemens & violenta. Leuis deducitur ex signis externis operum, vel verborum, ex quibus raro admodum haeresis praesumi potest, veluti si quis semel haereticorum conuenticulis interfuerit. Vehemens desumitur ex argumentis saepe concludentibus, quae proinde iuris praesumtionem inducunt, & nisi contrarium probetur, fere plenam efficiunt probationem, veluti esus carnium die prohibito, & errorum prolatio in rebus fidei. Violenta demum suspicio operatur iuris & de iure praesumtionem, contra quam nulla admittitur probatio, & sufficit, vt quis tamquam haereticus damnetur, veluti si quis haereticorum conuenticula frequentarit, & si qui suspecti de haeresi nolint iureiurando se purgare, vel haeresim abiurare, & inde excommunicati per annum in excommunicatione persistant, *cap. 13. §. 2. ex. de haereticis, cap. 7. eodem in 6.*

§. VII. Multae in haereticos poenae tam ab ecclesia, quam a ciuili potestate statutae sunt. Et ecclesia quidem sollemne anathema in haereticos dixit, eosque christiana communione priuauit. Id autem fecit ecclesia, vt christiani melius sibi ab haereticis cauerent; nam alioquin haeretici errorum monstris & peruicacia sua ab ecclesiae communione separationem fecerant. Praeterea ex ecclesiae regulis haeretici, si clerici sint, omnibus officiis ecclesiasticis priuantur, & perpetuo deponuntur: & generatim haeretici sunt a canone alieni, siue in haeresi baptizati sint, siue post baptismum in catholica fide acce-

ptum

ptum in haeresim inciderint; reuersi enim in catholicam ecclesiam tamquam laici recipiuntur, sacri ministerii in perpetuum expertes. Conc. Illiber. *can.LI.*, Innocent. I. *ep. XVIII. ad Alexandr. Antioch.* Quin iure decretalium etiam liberi haereticorum paternae lineae vsque ad secundum gradum, maternae vsque ad primum ab omnibus ecclesiasticis beneficiis excluduntur, si parentes haeretici persistant, aut in haeresi decesserint, *cap.* 15. *de haereticis in 6.*

§. VIII. Poenae ciuiles a summis imperantibus in haereticos decretae plures sunt, & varii generis, nec omnes in cuiusuis sectae haereticos latae sunt. Generatim vero ex legibus Romanis haeretici infamia notati, item intestabiles facti, id est testamenti condendi in quamcumque personam criminis societate coniunctam, vel ex aliorum testamentis capiendi facultate spoliati. Item donandi, donationesque capiendi iure multi haereticorum priuati: multi quoque poenae pecuniariae subiecti, nisi ad catholicam ecclesiam redirent. Et vt alias consimiles poenas mittam, iure Romano etiam nonnulli haeretici vltimo supplicio adfecti, quales Encratitae, Saccophori & Hydroparastatae, qui omnes Manichaeorum erroribus conspurcati erant, *L. 9. C. Th. de haereticis:* item qui quemquam de ministris ecclesiae catholicae rebaptizarent, tum & ipsi rebaptizati, si criminis per aetatem capaces essent, *L. 2. C. ne sanctum baptisma iteretur*. Auxit vero in haereticos seueritatem Fridericus II. imperator, qui haereticos omnes morte & igne persecutus est, si in haeresi essent peruicaces, haeresim inter publica crimina recensuit, & eorum bona publicari iussit, vt ex edictis apud Petrum de Vineis & Goldastum constat (*c*).

§. IX.

(*c*) Huiusmodi constitutiones ad imperium pertinent, at praeterea Fridericus peculiarem constitutionem in regno Siciliae valituram edidit, qua easdem poenas contra haereticos proposuit. Exstat haec peculiaris constitutio in libris constitutionum regni sub titulo *de haereticis & patarenis*. Friderici aetate haeretici Occidentis generali nomine *Patareni* seu *Patarini* dicebantur, fortasse a patiendo, quod dura quaeuis pati vellent ad suorum dogmatum defensionem; licet alii alias originationes praeferant.

§. IX. Quamuis vero poenae, quae falua vita in haereticos irrogantur, vtiles esse possint (d); tamen poena mortis cum ecclesiae doctrina & humanitate parum convenit. Ecclesiae est dispersas oues Deo lucrari, ac proinde potius spatium ad poenitentiam & conuersionem haereticis deprecari, quam eorum accelerata morte spem conuersionis omnino amputare. *Nullis bonis in catholica ecclesia hoc placet*, inquit Augustinus *lib. III. contra Crescon. cap.* 50., *si vsque ad mortem in quemquam, licet haereticum, saeuiatur*. Quod si olim ob haeresim aut alias ecclesiasticas caussas magistratus reos capite damnarint, aut imperatores legibus suis in haereticos poenam mortis statuerint; iudicia & leges istas numquam ecclesia probauit. Et si in posteriori disciplina ecclesiastici iudices reos haeresis magistratibus morte puniendos tradere consueuerint, vitia ista sunt hominum, non ecclesiae.

§. X. Iam si haeretici poenitentia ducti in sinum catholicae ecclesiae reuerti velint, recipiuntur quidem, sed ante omnia ex veteribus institutis peruersam doctrinam debent eiurare, & catholicam fidem profiteri. Conc. Nicaen. *can. VIII.*, conc. Constantinop. 1. *can.* 7. Facta eiuratione, qui in haeresi nati & baptizati erant, recipiebantur non per poenitentiam, sed per manuum impositionem, & si in haeresi chrismate vncti non essent, etiam per sacri chrismatis vnctionem. V. Petr. de Marca *not. in conc. Claromont. can. XXVIII.* Ex veterum enim sententia baptismi apud haereticos suscepti efficacia in su-

(d) Nimirum haeretici harum poenarum metu perterriti melius in rationes suorum dogmatum inquirunt, & ita doctiores facti in sinum ecclesiae reuertuntur. Constat quidem, multos inter angustias & afflictiones bonam mentem induisse, quod malis veluti excitati acrius in res suas animum intenderint, easque nullo fundamento nixas inuenerint. Ipse Augustinus, qui vim adhiberi ob errorem Donatistis initio aequum non esse putabat, inde experientia victus adgnouit, vtiles esse contra haereticos poenas pecuniarias. August. *epist. L. ad Bonif.* & *epist. LXVIII. ad Ianuar.*

fpenfo erat, & tum demum operabatur, fi haeretici, depofitis erroribus, ad ecclefiae vnitatem reuerterentur. August. *de bapt. lib. VI. cap. 9.*, Gregor. M. *lib. IX. ep. 61.* Hinc vbi in haerefi baptizati ad ecclefiam catholicam tranfibant, per baptifmi olim fufcepti vim gratia implebantur, nec poenitentia indigebant. Contra qui baptizati & educati in fide catholica in haerefim lapfi effent, fi in catholicam reuertebantur, per poenitentiam recipi folebant. Bingh. *orig. ecclef. lib. XVI. cap. 6.* §. 17. *feqq.*

CAPVT XXXII.

De fchifmate.

§. I. Schifma etiam Graecum nomen eft, & fciffuram feu diuifionem denotat. At in re ecclefiaftica fchifma ftricte fic dictum eft diffociatio vnitatis ecclefiafticae ex inteftinis difcordiis contingens, integra tamen chriftiana doctrina remanente. Hinc Pelagius papa recte ait, fchifmaticos *corpus Chrifti, hoc est fanctam ecclefiam, lacerare, can.* 43. C. 23. *q.* 5. Quod vero fchifma integram relinquit ecclefiae doctrinam; hinc fchifmatici proprie haeretici non funt, *can.* 26. C. 24. *q.* 3. at fchifma, fi diu ecclefiam dilaceret, in haerefim folet degenerare; nam peruicaciae continuatio ecclefiae auctoritatem contemnit, ipfique fchifmatici obftinato animo profitentur, extra ecclefiae vnitatem effe poffe falutem: quod ecclefiae catholicae doctrina non patitur. Quin Hieronymus *cit. can.* 26. obferuat, fchifmaticos proprium aliquod dogma fibi conficere folere, vt recte ab ecclefia receffiffe videantur.

§. II. Quod vero fchifma ecclefiae vnitatem abrumpit, & vnitas ecclefiae in eo confiftit, quod cum fua quifque ecclefia, & ecclefiae ipfae particulares inter fe coniunctae & fubordinatae effe debent; hinc veluti duo fchifmatis genera conftitui poffunt, internum vnum, alterum externum. Et internum quidem, fi quis ab ecclefia

clesia sua secessionem faciat, eamque excitatis turbis in diuersos coetus dissoluat. Ita dissidii interni reus censetur presbyter, qui contemto episcopo suo seorsum congregationem faciat, & aliud altare figat, *can. apost. XXXII.* Separationem istam presbyteri ab episcopo suo *schismaticorum ortus atque conatus* Cyprianus *ep. LV. al. LIX. ad Cornel.* appellat. Tum vero ex veterum sententia schismaticus est presbyter, qui ab episcopo suo seorsum congregationem facit, si ob contemtum, aut inuidentiam, aut auaritiam separatio contingat; nam si episcopus in pietate & iustitia peccet, christiani a peccatore praeposito recte se separabunt. Cypr. *ep. LXVIII. al. LXVII.*

§. III. Externum schisma est, vbi ecclesiae particulares, quae mutuis foederibus & subordinatione inter se connexae sunt, communionem inter se propter intestinas discordias abrumpunt, nec amplius vnam maiorem ecclesiam componunt, sed potius tot coetus, quot sunt ecclesiae, inuicem diffidentes. Atque hoc schisma tum vniuersale est, si ecclesia aliqua, seu aliqui christiani ab vnitate totius ecclesiae catholicae recedant, quales fuerunt olim Donatistae. Censentur vero recessisse a communione totius ecclesiae, qui recedunt ab omnibus, aut maxima parte particularium ecclesiarum, quae ecclesiam catholicam componunt. Qua ratione Optatus Mileuitanus *lib. I. aduers. Parmenian.* Donatistas schismaticos esse probat, quod ab ecclesiarum totius orbis communione discesserant. *Videndum est*, inquit, *quis in radice cum toto orbe manserit, quis foras exierit* (a).

(a) Quoniam vero ecclesia Romana centrum est ecclesiasticae vnitatis, eiusque antistes reliquorum episcoporum caput est constitutus ad schismatum occasiones tollendas, vt habet veterum patrum doctrina; profecto schismatici dici non possunt, qui summo pontifici tamquam capiti totius ecclesiae adhaerent, & ei communione iunguntur; & contra schismatici audiunt, qui ab eo vnitatis centro recedunt. Sed si qui cum ecclesia Romana, vt particularis ecclesia est, non communicant, nequaquam tamquam vniuersalis schismatis rei argui possunt, modo cum aliis ecclesiis communionem foueant, quod Nicolius *de vnitate ecclef.*

§. IV. Quod spectat ad poenas contra schismaticos, ecclesiae canones de schismate & haeresi eodem ferme modo loquuntur, & vtrosque iisdem ferme poenis adficiunt. Etenim licet schisma possit esse sine haeresi, tamen vt plurimum haeresim coniunctam habet, aut in eam erumpit. At si schisma purum est, canones apostolici deponunt clericos, qui ab episcopo suo separationem faciunt, laicos vero extra ecclesiae communionem proiiciunt, *can. apost. XXXII.*, nec desunt canones, qui clericos schismatis reos excommunicatione plectunt, *can.* 43. *C.* 23. *q.* 5. Ordinationes quoque a schismaticis & haereticis factas, & dignitatum & beneficiorum concessiones, & alienationes bonorum ecclesiasticorum ecclesia transfixit, & omni effectu carere voluit, *cap.* 1. *ex. de schismaticis*.

CAPVT XXXIII.

De simonia.

§. I. PRoximum haeresi crimen ecclesiasticum simonia est, qua res spirituales & sacra officia non gratis, sed per pecuniam conferuntur nefario prorsus commercii genere, quo Dei dona inaestimabilia in turpem quaestum adducuntur contra expressam Christi sententiam, qua voluit, vt gratis accepta spiritualia dona apostoli gratis elargirentur: *gratis accepistis, gratis date*. Originem habet hoc crimen a Simone mago, qui ab apostolo Petro Spiritus sancti dona sibi emere volebat, deinceps vero

eccles. lib. II. cap. 10. & Espenius *part. III. tit.* 4. *cap.* 2. docent. Quo sensu schismaticae fuisse non videntur Asianae ecclesiae, quae ob dissidium de tempore celebrationis paschae ab ecclesiae Romanae communione per Victorem pontificem exclusae sunt. Etenim etsi Asiani non communicabant cum ecclesia Romana, tamquam particulari ecclesia; tamen cum plerisque aliis ecclesiis etiam Occidentis in communione perstiterunt.

vo ſemper infecit eccleſiaſticos: praeſertim poſt datam chriſtianis pacem, quando eccleſia diues, potens & honorata euaſit, ſimonia frequentior facta eſt; nam tribus primis ſaeculis quando nullis diuitiis auctae erant eccleſiae, & officia eccleſiaſtica plus oneris, quam commodi inuehebant, admodum rara eſſe debuit ſimonia.

§. II. Communis eſt apud doctores noſtros ſimoniae partitio in eam, quae perfecta vtrimque eſt, conuentionalem, & mente conceptam. Quae perfecta vtrimque eſt, admittitur, ſi reapſe per pecuniam ſpiritualia data ſint, & pecunia itidem numerata. Conuentionalis pacto conſtat, vt ſi pactum initum ſit de danda re ſpirituali non gratis, & nulla vel tantum ex vna parte traditio acceſſerit. Mente vero concepta eſt ſimonia, ſi quis per ſimulationem officii rerum ſpiritualium diſpenſatori aliquid offerat ſpe beneficii ab eo impetrandi: quae ſimonia quum interius lateat, ſolum Deum vindicem habet, *cap. 33. & ſeq. ex. de ſimonia* (*a*).

§. III. Quando autem vt ſimonia admittatur, ſpiritualia per pecuniam dari debent, quid rei ſpiritualis, quid pecuniae nomine in hac cauſſa veniat, explicandum eſt. Et rei ſpiritualis nomine veniunt proprie ſic dicta ſpiritualia, qualia dona miraculorum, Spiritus ſancti gratia, poteſtas eccleſiaſtica, & ſacramenta, quibus Deus ſalutem noſtram operatur. Item ſpiritualia ſunt conſecratio eccleſiarum, ſacrarum virginum, profeſſio religioſa, ſepultura eccleſiaſtica, miniſteria eccleſiae ſuis reditibus inſtructa, & ſacra omnia officia. Praeterea inter ſpiritualia cenſentur, quae tantum lato ſenſu ſpiritualia dici poſſunt, & veluti per reductionem, veluti pallii archie-

 piſco-

(a) His ſpeciebus addunt ſimoniam, quae *per confidentiam* fieri dicitur, veluti ſi beneficium recipiam eo pacto, vt fructus illius alteri reddam, aut certo poſt tempore titulum reſtituam, aut ſi vſque ad certam infantis aetatem in amici alicuius fide beneficium deponam, vt illud adulto reſignet: in omnibus his ſpeciebus pactio, fiducia quadam innixa, continetur, & de rebus ſpiritualibus paciſci ſimoniacum cenſetur, *cap. 5. ex. de rer. permutatione.*

piscopalis datio, & in beneficiis electio & praesentatio. Tam late patet notio rei spiritualis, atque ideo qui vel spiritualia proprie sic dicta, vel spiritualibus adnexa pretio elargitur, vel adquirere praesumit, simoniacus est (*b*).

§. IV. Nomine pecuniae in caussa simoniae non venit tantum pecunia numerata, sed quidquid pretio aestimatur; semper enim verum est, rem spiritualem non gratis dari, vbi non propter merita accipientis, sed propter aliquod temporale commodum confertur. Hinc veteres patres in primis Hieronymus & Gregorius M. docuerunt, tria esse, quae in materia simoniae pecuniae nomine veniunt, *munus a manu*, *munus a lingua & munus ab obsequio*, *can.* 6. C. 8. *q.* 1. & *can.* 114. C. 1. *q.* 1. Sane horum quodlibet vel ipsa pecunia est, vel eius vicem subit. Et quidem munere a manu continetur pecunia stricte sic dicta, seu omne id, quod homines in terra possident. Munus a lingua fauor est, veluti si aliquid spiritualis eis detur, *pro quibus maiorum quisquam rogauerit*, vt loquitur Hieronymus in *cit. can.* 114. Fauor autem & gratia apud homines & maxime potentes pretio & quidem summo aestimatur; experientia enim compertum est, saepe plus valere gratiam & fauorem potentiorum, quam summos & honestos labores. Munus ab obsequio est seruitus indebite impensa: seruitia vero pretio

---

(b) Quamuis vero tam late pateat simoniae materies; tamen nullibi frequentius vitium hoc admissum est, quam in sacris ordinationibus & ecclesiasticis beneficiis: saeculi enim commoda inhiant in ecclesia homines profani, quae praesertim ex sacris ordinibus & beneficiis consequi posse credunt. Interest autem inter veterem & nouam ecclesiae disciplinam: namque in veteri disciplina damnantur simoniacae ordinationes, nulla ferme facta beneficiorum mentione: contra in noua saepe damnatur simonia in beneficiis, raro in sacris ordinationibus. Nimirum per decem ferme priora saecula clerici in ordinatione ius ad prouentus ecclesiasticos adquirebant: inde ordinatio ministrorum a beneficii collatione separata est, & ordinatio tantum potestatem spiritualem contulit; ius vero ad temporalia beneficio adhaesit.

tio aestimantur. Itaque si spiritualia dentur, siue propter pecuniam, siue ad fauorem potentiorum promerendum (c), siue propter indebita seruitia, semper verum est, non gratis, sed per pecuniam data fuisse.

§. V. Verum serio distinguenda sunt sponte oblata ab iis, quae in eum finem dantur, vt recipiantur spiritualia. Sponte oblata in rerum spiritualium administratione recte accipiuntur, quod Thomassinus *de vet. & noua eccles. discipl. par. III. lib.*1. *cap.* 69. *seq.* pluribus exsequitur; sunt enim potius medium, quo sacri ministri vitam sustentant, quam rerum spiritualium pretium. Christus apostolos suos ad praedicandum euangelium misit, postquam illi terrena omnia reliquissent. Hinc voluit, vt de euangelio viuerent, non quod eis temporalia, quasi sui ministerii merces, iure deberentur; sed potius quod defutura non essent media, quibus viuere possent. Ex qua doctrina siue in administrandis sacramentis, siue in aliis ecclesiasticis officiis sponte oblata quouis tempore sine vitio ecclesia recepit. Eodem cum sponte oblatis iure censentur reditus ecclesiastici, quos propter officium ecclesiae ministri percipiunt; sunt nimirum reditus isti media vitae sustentandae, non pretium rerum spiritualium, nec merces laborum, qui in ecclesiae ministeriis impenduntur. Quae quum ita sint, certe profani sunt clerici illi, qui reditus ecclesiasticos sibi debitos pro laboris mercede credunt.

§. VI. Quamuis autem sponte oblata in administrandis sacramentis & reliquis sacris officiis accipere simoniacum non sit; tamen omnis auaritiae turpisue quaestus suspicio ab altaris ministris procul esse debet. Hinc synodus

(c) Quod si preces potentiorum tantum moueant antistites, vt in merita commendatorum inquirant, & inde tantum ob vera merita conferant ecclesiastica officia, alias non daturi, nulla est simonia, quamuis preces intercesserint: quae est S. Thomae doctrina 2. 2. *q.* 110. Qui etiam recte tenet, simoniacum apud Deum esse, qui confert quidem digno res spirituales, si id faciat potius fauore precum, aut timore rogantis, quam meritis accipientis.

nodus Illiberitana *can. XLVIII.* statuit, ne de more catechumeni tempore baptismi numos in concham mitterent, *ne sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur*. Non malum, sed mali species canoni dedit occasionem: adeo scilicet ab omni auaritiae & turpis lucri suspicione ecclesiae ministri liberi & immunes esse debent. Qua ratione Tridentini patres in sacris ordinationibus nec sponte oblata ab episcopis eorumque ministris accipi voluerunt. Trident. *sess. XXI. de ref. cap.* 1. Cui disciplinae adhaerens S. Carolus statuit, ne quis presbyterorum pro administrandis sacramentis ne obtentu quidem eleemosynae quidquam accipiat, teste Iussano in *vit. S. Caroli lib. VIII. cap.* 4. Et bene profecto esset, si legitima auctoritate saltem in ecclesiis, quae status reditus possident, abolerentur consuetudines omnes, quae in administrandis sacramentis, in danda mortuis sepultura & aliis sacris officiis aliquid offerre praecipiunt.

§. VII. Iam vero vt admittatur simonia, non requiritur, vt accipiens spiritualia datae in eum finem pecuniae conscius sit; sed sufficit, vt collator spiritualium illam acceperit, quicumque tandem sit, qui donet, *can.* 3. C. 1. *q.* 5. Hinc electio aliaue collatio beneficii ipso iure nulla est, si quocumque modo simoniaca fuerit, etiamsi ipse beneficiarius vitium ignoret, *cap.* 27. *ex. de simonia*. Sane semper verum est, non gratis dari ecclesiae ministeria, si collator aliquid acceperit, etiam inscio beneficiario, qui in hac specie tantum nullius culpae reus est. Verum si qui dederint temporalia, id fecerint in fraudem & dispendium eius, qui eligendus erat, electio sustinetur, quum malitiis hominum non sit indulgendum, *cit. cap.* 27., licet alias qui temporalia acceperint, simoniae rei sint.

§. VIII. Nunc sophismata & laruas, quibus simoniaci suam prauam agendi rationem tegere studuerunt, aperiamus oportet: profani enim homines, qui alias in simoniam procliues sunt, ne nundinationis donorum divinorum facile conuincerentur, mysteria quaedam verborum & laruas excogitarunt, quibus seipsos excusarent, & simoniam, vt nostri loqui amant, *palliarent*. Sed sophismata ista pereunt omnia ad Christi doctrinam colla-

ta

ta, *gratis accepistis, gratis date*. Harum astutiarum illa videtur antiquissima, qua sub specie pietatis tegitur simonia, vbi videlicet temporalia pro spiritualibus accipi dicuntur, vt illa in vsus pietatis, veluti in eleemosynas & ecclesias aedificandas, impendantur. At qui ita spiritualia administrat, licet alias pietatem intendat, certe non gratis elargitur. Et deinde non licet peccata grauissima admittere, vt pietas exerceatur. Vt enim recte Gregorius M. obseruat, *aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud propter eleemosynas peccata committere*, *can.*27. C. 1. *q*.1. Illud nempe tamquam iustum & pium semper commendauit ecclesia; hoc vero tamquam nefarium semper damnauit.

§. IX. Non minus speciosa est illa simoniae larua, qua temporalia dari dicuntur non propter ipsa sacra ministeria, sed pro opibus & reditibus, qui inde percipiuntur. Ita quidam capellani Gothofredi ducis apud Petrum Damianum *lib. I. ep.* 13. & *lib. V. ep.* 13. se non esse simoniacos dicebant, quod non ipsum sacerdotium, sed possessionem praediorum pecunia redemerant. Sed quum reditus ecclesiastici sacro ministerio adhaereant, & inde pendeant; (beneficium datur propter officium) qui pecuniam pro ipsis reditibus donat, & pro ipso ecclesiastico officio dedisse censetur. *Quisquis horum alterum vendit*, inquit Paschalis papa in *can.*7. C. 1. *q*.3., *sine quo nec alterum prouenit*, *neutrum inuenditum derelinquit*.

§. X. Praeterea non defuerunt scriptores, qui nullam simoniae labem esse docuerunt, si pecunia non tamquam pretium rei spiritualis, sed potius tamquam honorarium, vel tamquam caussa impellens detur, nimirum vt dispensator spiritualium ad dandum excitetur & moueatur. Sed apage manifestas iniquitates. Sane admissa hac doctrina, in ecclesia prorsus nulla esset simonia: quilibet nempe daret non tamquam pretium, sed potius ad impellendum collatorem, & ad gratum animum demonstrandum. Ad haec, rationes, vnde moueri debent ecclesiae ministri ad dispensanda spiritualia, non sunt lucra temporalia, sed personarum merita & ecclesiae vtilitas. Et qui spiritualia ex doctrina ecclesiae procurant, a Deo tantum procurationis suae praemium debent exspectare.

§.XI.

§. XI. Inter laruas, quibus simonia tegitur, etiam referri solet redemtio vexationis, qua temporalia dari dicuntur, ne ad obtinendam consecrationem siue beneficium opponatur impedimentum. Hac in re videtur distinguendum, num ille, qui impedimento est, ius habeat, vel non habeat ad spiritualium collationem. Si primum, vera est simonia; pecunia enim datur ei, qui partem habet in rei spiritualis administratione, *cap.* 23. *ex. de simonia*. Si alterum, nulla videtur esse rerum sacrarum nundinatio: etenim qui alteri, a quo spirituale non consequitur, pecuniam dat, ne impedimento sit ad rei spiritualis adquisitionem, gratis accipit, maxime si ius perfectum adquisierit; licet ille, qui ne impedimento sit, pecuniam accipit, iniuste faciat. Quoniam vero in hac specie latere simonia potest, & periculosum est, nos in re nostra iudices sedere, scite S. Carolus nemini licere statuit, *ad redimendam vexationem ne in casibus quidem iure permissis pecuniam dare, quidquamue pacisci, aut transigere, nisi episcopi consensus accesserit*. Conc. I. Mediol. *tit. de constitut. contra simoniacos*.

§. XII. Poena contra simoniacas ordinationes secundum veteres canones est depositio contra clericos, tum ordinantes, tum ordinatos; excommunicatio vero contra laicos tanti criminis sequestres & interpretes. Conc.Chalced. *can. II.*, Aurelian. II. *can.* 4., Trullan. *can.XXII.* Sed vnus ex sic dictis canonibus apostolorum etiam ab ecclesiae communione ordinantem & ordinatum exturbat, *can. apost XXX.* Depositio ista clericorum perpetua erat, nec per poenitentiam licebat simoniacis amissos gradus recuperare, *can.* 5. C. I. *q.* 7. Et quid quaeso iustius, quam vt gradu & ordine suo perpetuo caderet, qui illum in quaestum abiecit, & existimauit, sacerdotii gratiam per pecuniam posse adquiri? Sic vero depositi simoniaci in monasterium *sub perenni poenitentia* detrudebantur, *can.* 7. C. I. *q.* I. idque ex veteri disciplina, quae depositos clericos monasteriis ad poenitentiam includebat.

§. XIII. Perpetua depositio in antiquis canonibus proposita proprie spectabat simoniacas ordinationes, quibus olim beneficia erant adnexa; at vbi beneficia seorsum ab ordinibus conferri coepta sunt, depositio etiam adprehendit

dit simoniacas beneficiorum collationes, eoque veteres canones extensi sunt, *can.* 9. C. 1. *q.* 3. Quin collationes beneficiorum per simoniam omnino nullae sunt & inanes, *extrauag.* 2. *de simonia inter communes:* idque locum habet, tam si vtrimque simonia perfecta sit, quam si conventione nitatur, *can.* 5. C. 1. *q.* 3., ac siue pecunia ab ipso electo, siue ab eius amicis & parentibus eo ignorante data sit, vel promissa, *cap.* 27. *ex. de simonia*. Hinc tenentur simoniaci dimittere beneficia, quae nullo iure tenent, & suos non faciunt fructus, si quos interim percipiant.

§. XIV. Vetus depositionis poena, qua ordinantes & ordinati per simoniam perpetuo adficiebantur, in noua disciplina desueuit, eiusque loco suspensio successit. Et ordinantes quidem iure decretalium suspenduntur a quorumcumque ordinum collatione per triennium; ordinati vero ab ordinis suscepti vsu, quousque veniam a summo pontifice impetrauerint, *cap.* 45. *ex. de simonia*. At ex decretali Pii V. *cum primum* qui ordinati sunt per simoniam, ab ordinum exercitio sunt ipso iure suspensi per decennium, & carceribus ad annum mancipantur. Item in noua disciplina simoniaci omnes, etiam tanti criminis sequestres, excommunicationi latae sententiae summo pontifici reseruatae subiiciuntur, *extrauag.* 2. *de simonia inter comm.* Remissus fuit depositionis rigor ex frequentibus indulgentiis, quas in magna peccantium multitudine summi pontifices & episcopi concesserunt, vt per simoniam ordinati gradus suos recuperarent, quod Christ. Lupus *diss. de simonia cap. vlt.* obseruat.

CAPVT XXXIV.

De poenis & censuris ecclesiasticis generatim.

§. I. Ecclesia, quae hominum societas est ad spiritualem animarum salutem instituta, certe iure diuino potestatem habet poenas fini suo congruas irrogandi.

di. Sane apertis constat apostoli verbis, in ecclesia esse regimen aliquod a Christo institutum, & apostolis demandatum, *Act. XX.* 28.: regimen vero omni coactione destitutum nullius vsus est. Deinde Christus conceptis verbis ecclesiae suae ius infligendarum poenarum concessit, dum ei claues communicauit, quibus solueret & ligaret, & in fontes animaduerteret. Matth.*XVIII.v.*15.*seqq* (*a*).

§. II. Verum enimuero poenae ecclesiasticae longe differunt a poenis ciuilibus, quae hominibus nequam in ciuitate irrogantur: illae spirituales sunt, vtpote quae tantum animarum & ecclesiae salutem respiciunt; istae vero corporales sunt, & praesentis vitae commodis priuant. Ex societatum finibus poenas, quibus illae reguntur & sustinentur, metiri oportet. Qui in ciuitatem coalescunt, praesentis vitae commoda intendunt & securitatem: qui vero coalescunt in ecclesiam, alterius tantum vitae, quae tota spiritualis est, adquisitione tanguntur. Hinc ciuiles poenae terrorem & dolorem in delinquentes inferunt, atque bonis, aut iure ciuitatis, aut vita priuant, & per equuleos, vngues, laminas, laqueum, carnifices exercentur. Contra ecclesiasticae animam, non corpus adficiunt, & quae iis inest coactio, potius in priuatione alicuius boni ad religionem pertinentis, quam in irrogatione corporei mali consistit (*b*). Et recte spiritualium

(a) Atque ex his constat, diuinae institutioni aduersari Pfaffium & Boehmerum, qui contendunt, ecclesiam nulla iurisdictione, nullo sacro imperio ex Christi institutione ad poenas irrogandas auctam esse, poenasque ecclesiasticas initio veras poenas non fuisse, sed potius pactitias, ex confoederata disciplina pendentes, qua initis pactis christiani se adstringebant ad societatis leges sancte seruandas, eosque iure fraternitatis & officio priuandos, qui ex regulis societatis non viuerent.

(b) Itaque coactio, quam in puniendo adhibet ecclesia, non est proprie sic dicta vis externa, sed potius vis indirecta, qua boni spiritualis priuatione delinquentes coguntur. Ecclesia, vtpote ciuili imperio destituta, vim facere non potest. Hinc hortatur, suadet, docet; & vbi exhortationes ad frangendam contumaciam non sufficiunt, contumaces extra communionem proiicit,

lium poenarum ratione ecclesiae potestatem Cyprianus *gladium spiritualem* dixit *ep. LXII. al. IV. ad Pompon.* Itaque poena ecclesiastica natura sua est irrogatio mali spiritualis, quod iure sacerdotii infligitur christianis inuitis ob delictum admissum in punitionem & emendationem delinquentis, & ecclesiae salutem.

§. III. Poenae ecclesiasticae alio nomine *censurae* dictae sunt (*c*), & origine sua continentur omnes in priuatione ecclesiasticae communionis, qua ex veteribus regulis delinquentes vel in totum ecclesia, tamquam ethnici & publicani, eiiciuntur, aut sacro ministerio in perpetuum, vel ad tempus cadunt, aut alias communibus precibus & eucharistiae participatione prohibentur. Item poenitentiae, quae peccatoribus inuitis irrogantur, sunt vere

---

iicit, & Satanae relinquit: quae proiectio per indirectum coactionem continet. Nihil quippe tam debet formidare christianus, quam priuari iure fraternitatis, quae ecclesiastica omnia bona impertitur. Atque ex hac doctrina intelligendi sunt veteres patres, qui hoc inter reges & episcopos discrimen ponunt, quod illi *nolentibus*, hi vero *volentibus* imperent. Hieronym. *epist.III. ad Nepotian.*, Chrysost. *hom. vlt. ad Hebraeos*. Nimirum ideo volentibus ecclesiam imperare veteres patres tenent, quod illa vi externa destituitur; nam alias ecclesiasticae poenae sui generis coactionem continent.

(c) Si rem in origine sua attentius spectemus, apparebit, poenis ecclesiasticis *censurae* nomen potius conuenire. Censura apud Romanos in priuatione iuris, vel dignitatis consistebat; etenim notatio censoria procedebat, vt qui senator esset, senatu eiiceretur, qui eques equum publicum perderet, qui plebeius in Caeritum tabulas referretur. Nota ista censoria species erat poenae, seu coactionis, quae ad vitia legibus non interdicta spectabat, eratque in ciuitate recte instituta omnium magistratuum sententiis acerbior, quod Bodinus *de republ. lib. V. cap.* 26. obseruat. Huiusmodi naturae origine sua sunt poenae ecclesiasticae, quae vel iure fraternitatis, aut communione precum & eucharistiae, aut dignitate omnino priuant. Ceterum in ecclesia praeter censuras non erant aliae poenae canonibus comprehensae, qua in re a republica ecclesia distabat.

verae poenae, iisque peccatores communibus precibus & eucharistiae participatione excludebantur. Poenalia vero opera libenter suscepta & tolerata verae poenae dici vix poterant, iisque potius ipsius criminis malitia eluebatur, quam delinquentis frangebatur contumacia: poena enim id natura sua postulat, vt imponatur inuitis.

§. IV. Suis finibus adstricta diu stetit potestas ecclesiastica, atque ideo spiritualibus poenis contenta a ciuilibus abstinuit. Hinc si quando intelligebant episcopi, opus esse ciuilibus poenis, vel ad cohibendos haereticos, vel ad clericos & laicos in officio continendos, eiusmodi poenas ab imperatoribus exorare consueuerunt, *can. 62. & 93. C. Afr.* Verum labentibus annis scena mutata est, & in ecclesiasticis regulis passim additae poenae ciuiles, quibus delinquentes infamia notantur, aut priuatione ciuilis dignitatis puniuntur: cuius generis poenae in falsis decretalibus saepe occurrunt (*d*). Quin nonnullae poenae ecclesiasticae speciem ciuilium poenarum induerunt, idque sensim contigit, postquam ecclesiasticae poenae in foro externo per iuris ambages irrogatae sunt.

§. V. Apud veteres patres admodum simplex & plana de poenis & censuris ecclesiasticis loquendi ratio: nec illi poenas a censuris & irregularitatibus scrupulose distinguunt, quin potius censuras & poenas promiscue solent vsurpare. At postquam scholastica philosophia rebus sacris intexta est, de poenis & censuris ecclesiasticis per logicas subtilitates disputari coeptum est, inualuitque tandem

(d) Videtur huic mutationi multum contulisse canon synodi Carthaginiensis anno CCCCI. celebratae, qui in alienum sensum detortus est. Genuinus canon exstat in C. *Afric. can.* 62., & ab imperatoribus petendum decernit, vt *poena damni*, *pecuniae atque honoris* statuatur in eos, qui damnatos clericos defenderent. At canon iste a falsariis mediae aetatis corruptus est, & quod petendum erat a principibus, veluti a synodo decretum exhibuit. Hinc factum docet Petrus de Marca *de collect. canon. cap. VIII. n.6.*, *vt plures mediae aetatis pontificum constitutiones damno honoris & priuatione dignitatum adficiendos iubeant, qui suis decretis reluctati fuerint.*

dem doctrina, poenas ecclesiasticas stricte sic dictas distingui a censuris; censuras esse tantum tres, excommunicationem, suspensionem & interdictum; irregularitates esse impedimentum canonicum, non censuras. V. Morin. *de administr. poenit. lib. VI. cap.* 25. *n.*12. Huic nouae doctrinae caussam videtur Innocentius III. dedisse, qui interrogatus quidnam nomine *censurae* in rescriptis apostolicis intelligeretur, respondit, per eam non solum interdicti, sed & suspensionis & excommunicationis sententiam intelligi, *cap.* 20. *ex. de verbor. signif.*

§. VI. Hac recepta distinctione solliciti fuerunt theologi scholastici & decretalium interpretes, propriis notis & characteribus poenas ecclesiasticas & censuras describere, qua in re inter omnes non conuenit. Communior tamen & receptior sententia ita habet, poenam ecclesiasticam esse priuationem bonorum spiritualium, quae in criminis punitionem sontibus infligitur; censuram vero esse priuationem aliquorum spiritualium bonorum, quae ad rei emendationem irrogatur. Ita inter se conueniunt poena ecclesiastica & censura, quod vtraque priuat vsu spiritualium bonorum; distant vero, quod illa in punitionem & vindictam criminum; ista vero imponitur in emendationem & medicinam: item illa natura sua perpetua est; haec vero, vtpote in emendationem imposita, ab ecclesiastica potestate iure ordinario tolli potest. Ex quibus notis constat, censuras degenerare in poenas, si non in emendationem, sed in punitionem criminum irrogentur.

§. VII. Poenae ecclesiasticae ex veteribus regulis in eodem foro, quo christiani a criminibus soluebantur, irrogari solebant. Vt enim recte vidit Morinus, forum ecclesiasticum, quod ad criminum punitionem eiusque medelas spectat, in veteri disciplina vnum fuit, in quo idem siue episcopus, siue presbyter poenas irrogabat, & a peccatis & irrogatis poenis soluebat, idque vi potestatis clauium, quae sacerdotio cohaerebat. Sed vbi forum externum ab interno & sacramentali separatum est, irrogatio censurarum earumque relaxatio ad forum externum coepit pertinere: & simul receptum, auctoritatem fori externi & iudicialis nec rationem sacramenti, neque remissionem culpae in foro interno attingere, sed tantum ad

ligamen

ligamen & relaxationem in foro externo ſpectare; & abſolutum in ſacramento poenitentiae adhuc remanere fori externi vinculis irretitum, donec in foro iudiciali cenſura relaxetur. Cumque tantum inter ſe diſtarent duo iſta eccleſiae fora, theologi etiam docuerunt, forum internum poteſtate ordinis ſtricte ſic dicta niti; forum externum ſola iuriſdictionis poteſtate armari; nec ad exercendam iuriſdictionem ſatis eſſe, vt quis in foro interno remittendi & retinendi peccata habeat poteſtatem.

§. VIII. Quando autem irrogatio cenſurarum in noua diſciplina poteſtati clauium, quae in foro exteriore exercetur, adhaeret; illi tantum cenſuras licet infligere, cui vel proprio iure, vel alterius delegatione iuriſdictio eccleſiaſtica in foro exteriore competit. Ita dubium non eſt, poſſe epiſcopos, licet non conſecratos, ſed tantum confirmatos cenſuras ferre, quod ſecundum nouam diſciplinam confirmatio epiſcopis iuriſdictionem tribuat. Quin poteſtas irrogandarum cenſurarum etiam ſimplici clerico, vtpote qni eccleſiaſticae iuriſdictionis capax eſt, competere poteſt, veluti ſi ab epiſcopo vicarius generalis conſtituatur. Quod vero ordinis clericalis omnino expertes exercitii ſpiritualis poteſtatis, quae ab iure clauium deſcendit, omnino incapaces ſunt; nec laici, nec feminae, etſi alias in eccleſiaſtica dignitate conſtitutae, poteſtate irrogandarum cenſurarum vmquam poſſunt augeri, quod doctores communiter docent poſt Innocentium III., qui ita reſcripſit, *licet beatiſſima virgo Maria dignior & excellentior fuerit apoſtolis vniuerſis; non tamen illi, ſed iſtis dominus claues regni caelorum commiſit*, *cap.* 10. *ex. de poenit. & remiſſionibus*.

§. IX. Cenſuris obſtringi tantum poſſunt homines baptizati, qui grauioris criminis rei ſunt, & poteſtati eius, qui cenſuras irrogat, ſubiecti. Itaque ethnici, Iudaei, ac etiam catechumeni cenſuris non innodantur. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare?* inquit apoſtolus I. *ad Cor. V. v.* 12. Sane per cenſuras communio eccleſiaſtica, ſiue in totum, ſiue pro parte prohibetur, & qui foris ſunt, qui extra communionem abiici poſſunt? Sed in haereticos, ſchiſmaticos & apoſtatas recte eccleſia cenſuris animaduertit, vt ita ad fidem & obedientiam,

a qua

a qua defecerunt, reuertantur. Quod si in eos, qui subditi non sunt, censura feratur, nulla & irrita est defectu iurisdictionis. Ne vero propter exemtiones de iurisdictione episcoporum censurae episcopales a regularibus contemnantur; statuit synodus Tridentina *ses. XXV. de regularibus cap.* 12., vt censurae & interdicta ab ordinariis lata ex mandato episcopi a regularibus in suis ecclesiis publicentur atque seruentur.

§. X. Quaeres, num christianis in ecclesiae communione defunctis possint anathema & censurae irrogari, si constiterit, eos, dum adhuc erant in viuis, crimina admisisse, quae censuris plecti deberent. Et quidem si agatur de censuris proprie sic dictis, eae in mortuos nequeunt irrogari; non enim ecclesiastica communione siue in totum, siue pro parte recte excluduntur, qui amplius inter viuos non versantur. At non vetatur ecclesia mortuos exsecrari & detestari ob ea, quae viuentes plane senserunt, vel fecerunt: quo sensu iam mortui anathemate feriuntur, & eorum memoria in ecclesia non celebratur. Cypr. *epist. LXVI. al. I. ad cler. Furnit.*, *can.* 81. C. *Afr.* V. Dupin. *de antiq. eccles. discipl. diss. III. cap.* 2. Dum vero mortui anathemate feriebantur, eorum nomina a diptychis seu libris mortuorum ecclesia eradebat, vt ita eorum nomina non amplius inter synaxes recitarentur, nec pro iis oblatio fieret.

CAPVT XXXV.

De excommunicatione.

§.I. POtissima censurarum species excommunicatio est, vnde veluti totidem riuuli suspensiones & interdicta manarunt. Excommunicatio vi nominis eadem est ac eiectio de ecclesiae communione, diciturque etiam in antiquis monumentis *segregatio*, *abstentio*, *abiectio* aliisque vocibus, quae separationem significant. Communio autem ecclesiastica consistit in exercitiis religionis, quibus

christiani, tamquam vnius ecclesiae membra, inter se communicant, & in vnam societatem coalescunt. Sunt religionis exercitia sacramenta & reliqua ecclesiastica officia, a quibus christiani vel in totum, vel pro parte possunt excludi. Ecclesiae item particulares inter se mutuo communicant, ex qua communione ecclesia catholica oritur. Explicabatur vero communio ista inter ecclesias duobus praecipue modis, litteris nempe formatis, quas episcopi sibi mutuo dabant, & admissis ad sacra officia alterius ecclesiae christianis, qui litteris communicatoriis instructi extra suas ecclesias peregrinabantur. V. Dupin. *de antiq. eccles. discipl. diss. III. cap.* 1.

§. II. Quoniam vero communio ecclesiastica suos habet gradus, variae quoque in veteri ecclesia excommunicationis species fuerunt, quae tamen ad duas referri possunt, excommunicationem nempe *maiorem*, & *minorem*. Maior excommunicatio, quae *mortalis* & *anathema* veteribus dicebatur, christianos ecclesiae communione prorsus exturbat, ferturque in reos criminum grauiorum, qui ecclesiam admonentem non exaudiunt. Minor excommunicatio veteribus *medicinalis* dicta ferebatur in eos, qui peccata sua adgnoscebant, & poenitentiam & pacem postulabant; hi enim, accepta poenitentia, communibus precibus & communione eucharistica ad tempus remouebantur tam in medicinam, quam ad exemplum aliorum; non vero ab ecclesia tamquam ethnici & publicani pellebantur. August. *lib. post collat. contra Donatist.* Et recte obseruat Morinus *de administr. poenit. lib.VI. cap.*25. *n.* 13. tot olim fuisse species medicinalis excommunicationis, quot erant publicae poenitentiae gradus.

§. III. Species quoque minoris seu medicinalis excommunicationis illa etiam veteribus erat, qua episcopi aut ecclesiae se a mutua communione separabant, atque inde non mittebant, aut missas reiiciebant litteras formatas; nec a se excommunicatae ecclesiae filios in suam communionem admittebant, etsi litteris commendatitiis sui episcopi instructi venirent. Locum habebat haec excommunicatio, si ecclesia aut episcopus in altera ecclesia aliquid peruersum vel in fide doceri, vel in disciplina fieri arbitraretur. Ita Epiphanius Ioannis episcopi Hieroso-

rosolymitani reiecit communionem, quod Origenis errores illum defendere sciret. Epiph. *epist.LX. inter Hieronym.* Interim haec ecclesiarum mutua excommunicatio, si ecclesiae sibi inuicem subiectae non essent, proprie censura ecclesiastica non erat, sed potius nuda communionis subtractio, quam vna ecclesia alteri non subiecta poterat denegare.

§. IV. Hae & aliae minoris excommunicationis species apud veteres occurrunt, quae labentibus annis mutata ecclesiastica disciplina nullius vsus euaserunt. At in noua disciplina minor excommunicatio ea dicitur, qua innodatus sacramenta suscipere vetatur, nec ad beneficia potest promoueri. Contrahitur haec excommunicatio, vbi quis cum excommunicato & prorsus ecclesia eiecto extra crimen communicat. Ignota veteribus fuit hoc sensu minor excommunicatio, & forte de ea primus Gregorius IX. loquitur in *cap.vlt. ex. de cleric. excomm. ministrante* & *cap.* 59. *ex. de sententia excommunicationis;* stante enim veteri disciplina, qui cum excommunicato communicabat, eamdem omnino excommunicationem incurrebat. Sed excommunicationis istius in plerisque locis vix aliquis reliquus vsus est.

§. V. Iam vero in veteribus monumentis generali excommunicationis nomine saepe medicinalis, aut alia partialis intelligitur; veteres enim canones & patres, dum aliquem excommunicatum dicunt, aperte indicant, eum tamquam ethnicum & publicanum ecclesia eiectum non esse, sed tantum communibus precibus & eucharistiae communione prohiberi, *can.* 12. C. 3. *q.* 4., *can.* 41. C. 11. *q.*3. Maior seu mortalis excommunicatio a veteribus proprio nomine *anathema* dicta est, eaque percussi *anathematizati*. Anathema vsu scripturarum rem exsecrabilem & exitio dignam denotat, & qui ecclesia tamquam ethnici & publicani eiecti erant, exsecrabiles & flammis aeternis digni censebantur. V. Dupin. *de veteri eccles. discipl. diss. II. cap.* 2. Verum in noua disciplina desuetis excommunicationis medicinalis speciebus excommunicatio simpliciter dicta mortalem designat, *cap.* 59. *ex. de sent. excommunicationis:* & inde quae excommunicatio a Christi corpore non separat, minor dicta est.

§. VI. Hac inducta vocum noua significatione excommunicatio simpliciter dicta seu maior sensim a theologis & canonistis veluti diuersa ab anathemate haberi incepit, creditumque fuit, per anathema ipsam excommunicationem intendi & veluti augeri. Ita ex eorum sententia excommunicatio est, quae fertur sine vlla sollemnitate: anathema vero, si sollemnitas addatur, atque ita anathematismus est veluti auxesis & aggregatio detestationis, quae excommunicationem auget, non vi separationis, sed potius maiorum exsecrationum horrore. Exstant huius nouae disciplinae vestigia in quadam Caelestini III. seu Clementis III. decretali, *cap.* 10. *ex. de iudiciis*. Et in pontificali Romano triplex excommunicationis species proponitur, *minor*, *maior* & *anathema*.

§. VII. Praeterea in noua disciplina excommunicatio alia est *ferendae*, alia *latae sententiae*, seu alia *hominis* vel *iudicis*, alia *canonis* vel *iuris*. Illa ministerio iudicis per sententiam irrogatur: haec vero ipso facto siue admissione delicti absque iudicis sententia ab ipso canone infertur, incurriturque ipsa canonis transgressione. Ex formulis, quibus canones vtuntur, quae sit ferendae, quae latae sententiae excommunicatio facile dignoscitur: illa enim his similibusue formulis exprimi solet, *excommunicetur*, *segregetur*, vel *praecipimus sub poena excommunicationis*; haec vero, *sit ipso facto excommunicatus*, vel, *ipso iure excommunicationem incurrat*. Excommunicatio latae sententiae ignota veteribus fuit, & demum circa saeculum decimum secundum coepit innotescere, at temporis decursu mire percrebuit (*a*).

§.VIII.

(a) In tota Gratiani Concordia, quae saeculo decimo secundo medio in lucem prodiit, vix vnum excommunicationis latae sententiae exemplum occurrit, modo verba illa *anathematis vinculo subiaceat*, quibus synodus Lateranensis sub Innocentio II. plectit clericorum & monachorum dolosos percussores *can.* 29. C. 17. *q.* 4., latae sententiae excommunicationem contineant. Deinceps vsque ad annum CIↃCCXCVIII., quo Sextus Decretalium editus est, ex Nauarri supputatione ferme triginta sex eius excommunicationis exstabant exempla, quae tamen

§. VIII. Iam vero mortalis seu maioris excommunicationis iure diuino effectus est omnimoda ab ecclesia separatio, ita vt eiectus eius membrum amplius non reputetur. Fratrem contumacem *tamquam ethnicum & publicanum* Christus ipse habendum edixit. Matth. *XVIII.* 15. *seqq.* Ethnici autem & publicani, vtpote a sacris Iudaicis alieni, a synagogis seu sacris Iudaeorum conuentibus excludebantur (*b*). Itaque excommunicati in ecclesia tamquam ethnici & publicani habendi sunt, & inde omni iure, quod per baptismum adquisierant, cadunt, sacramentis, sacris officiis, ecclesiastica potestate, suffragiis communibus totoque fraternitatis commercio priuantur (*c*).

 In-

men ad viginti sex redigi possunt. Porro eodem supputante Nauarro, solus Sextus Decretalium habet exempla triginta duo, Clementinae quinquaginta; & ita porro innumera alia exempla recentiores canones & decretales inuexerunt.

(b) Ethnici Iudaeis erant gentes omnes, quae Iudaica sacra non profitebantur: publicani vt plurimum erant equites Romani, qui publicas res conducebant, in primis tributorum & vectigalium exactiones. Hinc Cicero *pro lege Manilia cap. II. & VII.* publicanos *honestissimos viros* & *fundamentum ceterorum ordinum* appellat. Ethnici Iudaeis de more gentis antiquo erant odio: publicani vero, etsi Romae summo honore haberentur; tamen gentibus omnibus, quae erant in imperii prouinciis, odio habebantur, & praesertim Iudaeis, qui eos tamquam pestem reipublicae & generis humani propudium abominabantur: nec fortasse iniuria propter vexationes, quas in exigendis tributis inferebant.

(c) Apostoli fideles excommunicatos, aut ad humilem poenitentiae locum redactos *Satanae in interitum carnis* tradere solebant, 1. *ad Cor. V.* 5., 2. *ad Cor. XII.* 21. & 1. *ad Timoth. I.* 20. Qua traditione excommunicati ex saniorum interpretum sententia potestati Satanae obiiciebantur, a quo veluti obsidebantur, & variis cruciatibus vexabantur. Et sane ipse apostolus indicat, etiam carnis interitum & macerationem passos esse, qui ab eo Satanae traditi erant; & hoc sensu Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus aliique veteres Satanae traditionem intellexerunt. V. Grot. *in* 1. *ad Cor. V.* 5. & Bingh. *orig. eccles. lib. XVI. cap.* 2. §. 15. Sed hoc donum fuit extraordinarium, quod cum ipsis apostolis cessauit.

Interim bene ecclesia aut christiani pro excommunicatis orare possunt ad eorum conuersionem, quod id non est in sacris communicare, sed potius misericordiae officium, quod S. Thomas *in IV. sentent. dist.* 11. *q.* 1. *art.* 4. obseruat.

§. IX. Apud Iudaeos ethnici & publicani synagoga seu sacris conuentibus, non item ciuili societate excludebantur. Hinc vi verborum Christi excommunicatio mortalis sacris conuentibus, non ciuili commercio officiisque priuat. Verum ab ipsa apostolorum aetate ad aliorum exemplum & ad maiorem excommunicati confusionem receptum est, vt quaedam ciuilia officia excommunicatis denegarentur, qualia profecto fuerunt officia libera, veluti amicitia, salutationes, mutuus conuictus, Ioan. *epist. II. v.* 10. *seq.*, 1. *ad Cor. VII.* 11., *ad Rom. XVI.* 17. (*d*). Nam vt scite Dupinus *de antiq. eccles. discipl. diss. III. cap.* 3. obseruat, officia ciuilia, quae necessitate iuris debentur, veluti coniugum habitatio, parentum in liberos, liberorum in parentes officia, magistratibus debita obedientia, & huius generis alia non videntur excommunicatis per apostolos denegata. Sane praecipit apostolus, vt christiani principibus, etsi infidelibus, obediant; item edixit, ne mulier fidelis virum infidelem relinquat; & vult, vt serui fideles dominis seruiant suis: quia scilicet haec omnia officia erant necessaria.

§. X. Verum enimuero lapsu temporis haec excommunicatorum in ciuilibus officiis deuitatio latissime extensa est, vt etiam in ciuilibus officiis necessariis locum haberet. Itaque inculcatum, neminem posse in ciuili conversatione quauis ratione communicare cum excommunicato, ne vxorem quidem, liberos, domesticos: neque excommunicato licere iura sua in iudicio experiri: excommunicatum quoque omni honore & muneribus publicis cadere, & subditos a subiectione & fide regibus extra ecclesiam proiectis debita solutos esse, *can.* 4. & 5. *C.* 15. *q.* 6. Inualuit tantus excommunicationis rigor post sae-

(d) Descendit quidem ab apostolorum doctrina deuitatio excommunicatorum in officiis ciuilibus liberis; at docent theologi id humano potius, quam diuino iuri deberi. V. Dupin. *loc. cit.*

saeculum decimum, vbi frequentiores factae sunt excommunicationes, iisque episcopi & pontifices vsi sunt, ad tuenda sua iura etiam temporalia contra principes eorumque magistratus. Nimirum vt ex voto negotia cederent, visum est, interdictionem in ciuilibus latissime extendere, vt excommunicati omnibus iuribus & officiis priuati, episcopis necessario obedirent. Espen. *tract. de censur. cap. VII.* §. 3.

§. XI. Conuersatio cum excommunicato siue in sacris, siue ciuilibus seuera poena puniebatur; etenim qui commercia cum excommunicatis fouebant, eadem censura ligabantur: quae disciplina primum obtinuit, vbi quis in sacris cum excommunicato communicabat, tum extensa est ad eos, qui colloquia & conuiuia agitarent (*e*). Sane qui conuersabantur cum excommunicatis, ecclesiae auctoritatem parum curare videbantur, contumaciae proiectorum vim addebant, & praeterea peccandi periculo se exponebant; malorum enim consuetudo corrumpit bonos mores. *Recedendum est a delinquentibus*, inquit Cyprianus *de vnit. ecclesiae*, *vel immo fugiendum, ne dum quis male ambulantibus iungitur, & per itinera erroris & criminis graditur, a via veri itineris exerrans, pari crimine & ipse teneatur*. Scabiosum istud contagium ex veteri disciplina tantum eos videtur infecisse, qui cum ipso excommunicato communicabant: inde vlterius serpere coepit, & in infinitum productum est, quo factum, vt vna excommunicatio saepe plures inueheret.

§. XII. Disciplina, quae commercium cum excommunicatis etiam in ciuilibus officiis necessariis prohibebat, & contagiosum contagium in infinitum extendebat, vbi excommunicationes euaserunt frequentiores, rempublicam

 non

(e) Et sane canon apostolicus XIII., synodus Antiochena *can. II.* & Carthaginiensis IV. *can.* 73. tantum abstineri iubent quotquot cum excommunicatis orauerint, aut eos in ecclesiam receperint: at recentiores synodi, veluti Toletana I. *can.* 15. Epaonensis *can. XV.* & Antissiodorensis *can. XXXIX.* etiam iis abstentionem minantur, qui colloqui & conuiuari cum excommunicatis deprehenduntur.

non minus, quam ecclesiam turbauit. Itaque ad euitanda maiora mala, saeculo vndecimo & sequenti rigor interdicti ciuilis commercii moderatus est in pluribus casibus, qui ad tres restringi possunt: nempe permissum est cum excommunicato conuersari, si officium aliquod iure debitum sit; aut si necessitas & vtilitas, siue ipsius excommunicari, siue aliorum commercium exigat; itemque si aliquem esse excommunicatum ignoretur, *can.*103. C. 11. *q* 3. Espen. *tract. de censur. cap.VII.* §.4. (*f*). Mitigatum quoque est scabiosum commercium, quo cum excommunicatis commercia exercentes, eadem lepra adficiebantur; statutumque, vt tantum minorem excommunicationem incurrat, qui extra crimen cum excommunicato communicaret, *cap. vlt. ex. de cleric. excomm. ministrante*, *cap.* 59. *ex. de sent. excommunicationis*, nec vlterius scabiosum contagium procederet.

§.XIII. Porro in noua disciplina mitigatus est magna ex parte rigor excommunicationis etiam eo nomine, quod non omnes excommunicatos & in diuinis & in humanis euitare oportet; sed tantum eos, in quos excommunicationis sententia est *a iudice publicata vel denuntiata specialiter & expresse*, itemque eos, qui sacrilegas manus in clericos palam iniecerint, qui etsi ab iudice denuntiati non sint, euitari debent. Cautum id est in quadam decretali, quam veluti a Martino v. in concilio Constantiensi editam primus S.Antoninus in *sum. par.III. tit.*25. *cap.*3. exhibuit, & ex eius fide vniuersa ecclesia recepit. Hinc inductum discrimen inter excommunicatum *vitandum*

(f) Gregorius VII. primus rigorem excommunicationis hac ratione imminuit, & quidem in specie particulari, hoc est quousque mala ob anathema Henrico imperatori dictum ecclesiam & rempublicam concutiebant: inde in constantem regulam abiit: quod factum videtur opera Gratiani, qui temporarium illud decretum concordiae suae inseruit.

Exceptos ab excommunicatione ob commercium cum excommunicatis scholastici his versiculis expresserunt:

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse:
Haec quinque soluunt, anathema ne possit obesse.

dum & *toleratum*, & inde illius in diuinis & humanis, non vero istius communicatio vetita est. Vt vero quis tamquam vitandus habeatur, necesse est, vt sententia ab iudice *publicata vel denuntiata sit specialiter & expresse*, id est nominatim lata sit, & praeterea ipsi excommunicato denuntiata. Vtrumque enim requiri docent theologi & canonistae, qui ideo vocem *vel* pro coniunctione accipiunt (g). Valet eadem regula etiam in interdicto & suspensione, quod ipsius decretalis verbis comprehensum est. Quo tempore frequentiores euaserant censurae, praesertim latae sententiae, necessaria erat ista moderatio, alias in tanto excommunicatorum numero viros bonos angi necesse erat, si nulla praecedente saltem declarante sententia, euitare in sacris & ciuilibus deberent, quos ipso iure canones extra communionem proiecissent.

§. XIV. Quando autem excommunicatio mortalis a Christi corpore omnino abscindit, certe maxima est inter poenas ecclesiasticas. Et quid quaeso peius christiano homini potest euenire, quam ecclesiae communione tamquam ethnicum & publicanum omnino excludi, atque ideo sacramentorum vsu & totius fraternitatis commercio priuari, & in eum statum coniici, in quo constituti homines spe aeternae salutis destituuntur. *Summum*, inquit Tertullianus *apol. cap.XXXIX.*, *futuri iudicii praeiudicium erat, si quis ita deliquerat, vt a communione orationis & conuentus, & omnis sancti commercii relegaretur.* Hinc ex patrum sententia nihil tam debet formidare homo christianus, quam ab ecclesia separari: & inde Augustinus *de corrept. & gratia cap. XV.* excommunicationem poenam *grauissimam* dixit.

§. XV. Quae quum ita sint, non debet profecto excommunicatio decerni, nisi ob grande crimen: & qui leuibus ex caussis anathema infligit, abutitur ecclesiastica po-

(g) Particula *vel* apud scriptores mediae aetatis saepe pro coniunctione vsurpatur: quod Iac. Gothofredus in *glossar. ad C. Theodosianum*, Io. Chiffletius in *Anastasi Childerici cap.VII.* & Petr. de Marca *de conc. sacerd. & imperii lib.IV. cap. 5.* obseruarunt.

poteſtate, non ſecus ac ſi magiſtratus ob leues culpas noxios morte puniret. *Anathema*, inquit ſynodus Meldenſis apud Gratianum *can.* 41. C. 11. *q.* 3., *eſt aeternae mortis damnatio, & non niſi pro mortali debet imponi crimine*. Et ſynodus Aruernenſis apud eumdem Gratianum *can.* 42. *eodem*, *nullus ſacerdotum quemquam rectae fidei hominem pro paruis & leuibus cauſſis a communione ſuſpendat*. Quod ſi antiqua monumenta aliquos ob leues cauſſas excommunicatos memorant, id non de mortali excommunicatione accipiendum eſt, ſed de medicinali, quam veteres ſimpliciter excommunicationem dicebant.

§. XVI. Nec tantum graue ſit oportet delictum ad irrogandam excommunicationem; verum etiam manifeſtum, aut per iudicem legitime probatum; ſeparat enim illa chriſtianum ab eccleſiae conſortio. *Vbi peccatum non eſt euidens*, inquit Origenes *hom.XX. in Ioſue*, *eiicere ab eccleſia neminem poſſumus, ne forte eradicantes zizania, eradicemus & triticum*. Et Auguſtinus *lib. L. homiliar. hom. vlt.* docet, neminem plecti poſſe aut medicinali, aut mortali excommunicatione, *niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſiue ſaeculari, ſiue eccleſiaſtico iudicio nominatum atque conuictum*. Hinc multoties in canonibus praecipitur, excommunicationem non irrogari, niſi cauſſa probata, aut alias manifeſta fuerit, *can.* 11. C. 2. *q.* 1., *cap.* 48. *ex. de ſent. excommunicationis*.

§. XVII. Praeterea nec vbi crimen graue & probatum eſt, decerni facile poteſt excommunicatio, niſi adſit contumacia, qua criminoſus obſtinato animo in peccatis haereat: quod in euangelio aperte edicitur; fratrem enim criminoſum tum demum tamquam ethnicum & publicanum habendum Chriſtus docuit, ſi poſt duas priuatas admonitiones, nec eccleſiam admonentem audierit. Matth. *XVIII. v.* 15. *ſeqq.* Inde vſu receptum, ante excommunicationem criminoſum ſemel, iterum, atque tertio admoneri debere: quam trinam admonitionem *ſecundum ſacros canones* eſſe ſynodus Chalcedonenſis docet. Et quoniam trina iſta admonitio ſatis erat ad probandam contumaciam, hinc *competens* & *canonica* dicta eſt, *cap.* 48. *ex. de ſentent. excommunicationis*, *cap.*5. *eodem in 6.* Conceſſit quidem ſynodus Lugdunenſis ſub Gregorio x. iudicibus

cibus siue tres admonitiones, siue vnam pro omnibus adhibere; at haec vna admonitio instar omnium erat; nam aliquot dierum interualla synodus adhiberi voluit, nisi facti necessitas ea suaderet moderanda, *cap. 9. eodem in 6.* Quod vero lapsa ecclesiastica disciplina iudices ecclesiastici etiam non admonitos excommunicarent, synodus Tridentina *sess. XXV. de ref. cap. 2.* tam immane arbitrium coërcuit, & saltem duas monitiones statuit praemittendas.

§. XVIII. At hic nodus vindice dignus occurrit, etenim trina admonitio iure diuino ad irrogandam excommunicationem necessaria, non bene videtur conuenire cum excommunicatione latae sententiae, qua innodamur nulla praemissa admonitione statim ac crimen sub ea poena vetitum committimus. Vidit difficultatem Gersonius, eamque euasurus docet, excommunicationem latae sententiae id tantum operari, vt iudex probato crimine statim possit excommunicationis sententiam publicare, nulla alia adhibita sollemnitate. Alii vero respondent, satis esse contumacem, qui legi seu canoni praecipienti non obtemperat; lege enim ipsa continuo admonemur, & impellimur ad officium. Verum nescio, an responsiones istae nodum soluant: Christus enim praeter peccatum in legem, requirit animi obstinationem in peccato & expressam repetitamque admonitionem. Illud verum est, excommunicationes latae sententiae lapsa demum ecclesiastica disciplina fuisse inuectas, & potius vsu ecclesiae, quam Christi sententia niti.

§. XIX. Porro etsi caussa legitima & contumacia adsit, non tamen gladius spiritualis statim exserendus est, & criminosus fraternitatis consortio exturbandus; sed tum demum cum dolore & aegritudine putrescentis membri abscissio decernenda est, si omnia alia remedia ad sanationem necessaria adhibita fuerint, & ab excommunicatione maius malum in ecclesiam erumpere non videatur. Ita ex veterum sententia ad excommunicationem non facile licet excurrere, si excommunicandus sociam habet multitudinem, ne inde schisma in ecclesia generetur. August. *lib. III. contra epist. Parmen. cap 2.* Similiter ob maioris mali periculum non facile reges & magistratus ex-

excommunicari poſſunt; nam illi ſi parum pii ſint, aut alias faciles ad iram, ſacris eiecti plus mali, quam boni in eccleſiam inferre ſolent, praeſertim ſi ob temporales cauſſas excommunicentur, qua in re mediis ſaeculis epiſcopi peccarunt. Quis enim neſcit, turbas & bella quae rempublicam non minus, quam eccleſiam agitarunt, quod magiſtratus & principes ſubinde extra eccleſiae communionem proiecti ſunt?

§. XX. Si excommunicatio iuſta cauſſa deſtituatur, & idcirco qui cenſura tamquam nocens obſtringitur, reuera innocens eſt, haec excommunicatio *iniuſta* a doctoribus appellatur, nec per eam chriſtianus coram Deo ligatur; miniſtri enim eccleſiae poteſtatem non habent in caelis aliquem ligandi, qui non prius proprio crimine ſe obſtrinxerit: quod veteres patres in primis Origenes & Auguſtinus docent, *can.* 4. C. 24. *q.* 3. & *can.* 87. C. 11. *q.* 3. Hinc euenire poteſt, vt ille, qui foras pellitur, intus ſit; & ille foras, qui intus retineri videtur. Interim iniuſta cenſura chriſtiano etiam timenda eſt, pertinetque ad eius officium videre, an ſua culpa, quam ipſe non ſatis adprehendit, talem poenam commeruerit. Quo ſenſu intelligenda ſunt verba Gregorii M. apud Gratianum in *can.* 1. C. 11. *q.* 3., *ſententia paſtoris ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſemper timenda eſt*, vt ex integro homiliae Gregorianae contextu conſtat. At ſi cenſura reapſe iniuſta ſit, & iniuſtitia omnibus innoteſcat, tum regula Gelaſii papae locum habet, *ſed ſi iniuſta ſit, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum & eccleſiam eius neminem poteſt iniuſta grauare ſententia*, *can.* 46. *eodem*.

§. XXI. Ex veteris diſciplinae regulis excommunicatio nullo certo ſollemnique ritu, nec ſpecialibus conceptiſque formulis ferebatur; ſed epiſcopus in presbyterio peccatores contumaces non ſine dolore eccleſia eiiciebat, *conſt. apoſt. lib. II. cap.* 37. *ſeq.* Verum poſtquam lapſu temporis cenſurae ob frequentiam & parum iuſtas cauſſas contemni coeptae ſunt, ad earum auctoritatem ſuſtinendam certi ritus & formulae diris & exſecrationibus plenae inductae ſunt, quibus ſollemni apparatu excommunicatio infligeretur, vt videre eſt in pontificali Romano *tit. de ordine excommunicandi*. Non tamen in omni ex-

com-

communicatione praescripta sollemnitas adhibetur, sed tantum in ea, quae in noua disciplina *anathema* dicitur. Illud interim inest omni excommunicationi, vt non nisi scripto & caussa expressa ferri possit, *cap.* 1. *de sent. excomm. in 6.*

§. XXII. Lata excommunicationis sententia ab vna ecclesia in aliis quoque seruanda est, vt habet vetustissima regula saepe in synodis confirmata. Conc Nicaen. *can. V.*, Antioch. *can. VI.* Id cerre postulabat mutuum foedus & harmonia, quae inter ecclesias intercedebat, quaeque id operabatur, vt vnaquaeque ecclesia rata haberet omnia disciplinae acta, quae in sontes aliae ecclesiae fecissent. Excommunicationes quoque facile contemnebantur, si ab vna ecclesia eiecti ab aliis impune recipi possent. Hinc mos inoleuit, vt ecclesiae de iis, quos extra communionem proiecerant, alias scriptis litteris encyclicis seu circularibus facerent certiores. Socrat. *lib.I.cap.6.* Conc. Tolet. 1. *can.* 11. Nec alia est hodierna disciplina, vt videre est in pontificali Romano (*h*).

CA-

(h) Excommunicationes, seu a sacris eiectiones apud omnes ferme gentes religiosas in vsu fuerunt; naturale enim erat, vt sacris eiicerentur, qui ex regulis receptae religionis non viuebant, licet interdum eiectio a sacris etiam ciuili commercio priuaret. Et Iudaei quidem duplicem excommunicationem habuerunt, minorem scilicet, a Rabbinis *Niddui* dictam, qua delinquens a synagoga & ciuili aliorum commercio ad tempus prohibebatur, vt a via sua mala resipisceret: & maiorem *Cherem* dictam, quae horrendis instructa diris a synagogae & reipublicae communione omnino exturbabat: eaque irrogabatur, si intra tempus legitimum minori excommunicationi subiectus absolui non curasset, vel si delicti qualitas statim maiorem postularet. Apud Graecos homicidae, adulterae, militiam detrectantes aliique criminosi a cunctis templis & sacris arcebantur. Apud Romanos aqua & igni interdicti & a ciuili commercio & a sacris excludebantur. Et apud Gallos Druidae sceleftos & commercio religioso & ciuili eiiciebant: quae poena apud Gallos grauissima habebatur, teste Caesare *de bello Gallico lib.VI.* Quas omnes excommunicationes Seldenus *de synedriis lib.* 1. pluribus exsequitur.

CAPVT XXXVI.

De interdicto.

§. I. Interdictum stricte sumtum & ab excommunicatione & suspensione distinctum, est censura ecclesiastica, quae in emendationem priuat vsu quarumdam rerum sacrarum, qua res sacrae sunt & fidelibus communes. Nimirum tum rerum sacrarum interdictus vsus inter censuras numeratur, si in emendationem & resipiscentiam irrogetur: nam si in vindictam criminis decernatur, potius poenae, quam censurae ex regulis nouae disciplinae rationem habet. Interdictum quoque sic stricte dictum priuat vsu rerum sacrarum, qua vsus est; nam si res sacrae spectentur veluti quaedam communicatio cum fidelibus, interdictus vsus potius excommunicatio est. Nec interdictum priuat vsu omnium rerum sacrarum, sed tantum earum, quae in canonibus exprimuntur: quo etiam distat ab excommunicatione. Et demum interdictum priuat vsu quarumdam rerum sacrarum, quatenus fideles omnes iis vti possunt: quo distat a suspensione, quae priuat vsu rerum sacrarum, sed vti ipsis clericis proprio. Descriptio ista interdicti tot logicis subtilitatibus instructa nouae disciplinae debetur; nam ex veterum simplicitate interdictum veluti species excommunicationis habebatur.

§. II. Multae sunt interdicti species, aliud enim est *personale*, aliud *locale*, aliud *mistum*. Personale personas directe adficit, easque vsu quarumdam rerum sacrarum, quocumque eant, priuat: & hinc dici solet *ambulatorium*. Locale directe fertur ad locum, tantumque in eo res sacras celebrari vetat. Mistum vtrimque participat, & personis & locis vsu rerum sacrarum interdicit. Personale autem & locale interdictum vel generale, vel particulare est, prout collegium aliquod personarum, puta clerus, populus, aut quidam peculiares christiani vsu rerum sa-

ſacrarum prohibentur; itemque prout regnum, prouincia, dioecesis, ciuitas, aut ecclesia aliqua interdicto supponatur (*a*). Sed si interdicto populus subiiciatur, eo nomine clerus non venit; nec si sacris clero interdicatur, populus comprehensus censetur, *cap.* 16. *de sent. excommunicationis in* 6. At si interdicto supponatur ciuitas, aut ecclesia, etiam suburbia, & capellae & coemeterium ecclesiae adiacentia interdicto continentur, *cap.* 17. *eod.* Item, non secus ac excommunicatio, interdictum vel est ferendae, vel latae sententiae, prout scilicet vel sententia iudicis, vel ipso iure vsus rerum sacrarum prohibetur.

§.III. Interdicta non nisi ex graui caussa & cum magna prudentia decerni debent, praesertim si generalia sint; nec enim exiguum malum est, in ecclesiis sacra officia cessare, & sacramenta fidelibus non administrari. Quin interdictum etiam ob aliena crimina irrogari consueuit, veluti si ob peccatum patris, aut paucorum ciuium

(a) Quae fuerit origo generalis interdicti, quo ob vnius aut paucorum crimina pluribus ecclesiis, aut integris ciuitatibus, aut regnis sacra interdicuntur, non vna est omnium sententia. Habertus *in archierat.* scribit, generalia interdicta quarto saeculo apud Graecos cognita fuisse, idque auctoritate S. Basilii, qui *epist.CCXLIV.* respondit, pagum a precibus & orationum communione debere prohiberi, quod raptorem cum rapta susceperat, nec reddiderat. Alii exeunte saeculo sexto interdictorum generalium vsum incepisse docent; aliquot enim Gregorius Turonensis *refert* exempla, quibus ob paucorum crimina ciuitatibus aut ecclesiis sacrarum rerum celebratione interdictum est. Verum eiusmodi exempla rara sunt, & praeterea eius aetatis interdicta ferme in peculiares ecclesias ferebantur. Hinc rectius Dupinus *de antiq. eccles. discipl. diss. III. cap.* 2. docet, interdicta generalia, quibus integrae prouinciae & regna rebus sacris prohibentur, tempore Gregorii VII. in vsum frequentem abiisse. Certe Iuo Carnotensis *epist.XCIV.* interdictum *remedium insolitum* appellat, quod scilicet tum primum in vsu esse inceperat. Deinceps vero generalia interdicta in controuersiis inter imperium & sacerdotium semper adhibita sunt; at post Paulum V., qui Venetorum rempublicam interdicto supposuit, exemplum ferme nullum occurrit.

vium vniuersae familiae, aut pago, aut ciuitati sacris interdicatur. Porro interdictum iisdem sollemnibus, quibus excommunicatio ferri debet, scilicet praemittendae tres monitiones, & sententia scripto pronuntianda & caussa exprimenda; irrogatur nimirum in emendationem & contumaciam supponit.

§. IV. Iam interdicta illa, quibus ob paucorum crimina & praesertim ob peccata a regibus & magistratibus admissa integrae prouinciae & regna vsu rerum sacrarum priuantur, vix defendi posse videntur. Etenim non patitur recta ratio, ob vnius aut paucorum peccatum vniversas societates puniri. Qua ratione Augustinus *epist. LXXV.* carpit Auxilium iuniorem episcopum Africanum, qui ob crimen a patre admissum vniuersam familiam excommunicauerat. *Doceat, quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti vxor, aut pro domini seruus.* Deinde ex veterum patrum sententia censurarum vis cessare debet, nec gladius spiritualis exserendus, si ex censuris schisma, aut aliud graue malum in ecclesiam immineat. Et si S. Basilius in integro pago, qui raptorem cum rapta receperat, nec reddiderat, preces & orationes haberi vetuerit; id fortasse recte fieri potuit, quod plerique illius pagi ciues peccauerant: deinde aliud est vnum pagum, aliud integras prouincias & regna interdicto supponere.

§. V. Interdicta generalia origine sua id efficiebant, vt in ecclesiis interdicto subiectis diuina omnia officia, vno ferme excepto paruulorum baptismo & morientium poenitentia, cessarent. Hinc plus damni, quam vtilitatis ecclesiae & reipublicae adferre consueuerunt, praesertim si longo tempore stetissent: quae mala ipse Bonifacius VIII. recenset: *tunc excrescit indeuotio populi, pullulant haereses, & infinita pericula animarum insurgunt, ac ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur, cap. vlt. de sentent. excomm. in 6.* Nec a ratione videtur alienum, quod de quodam loco in Marchia, qui diu interdicto obstrictus fuerat, se audiuisse auctor glossae *in cit. cap. vlt.* testatur, quod facta relaxatione homines triginta & quadraginta annorum, qui numquam audierant missam, sacerdotes celebrantes deriderent.

§.VI.

§. VI. Quae quum ita sint, Romani pontifices de malis interdictorum experientia edocti, eorum seueritatem in diem emollierunt. Ergo praeter paruulorum baptismum & morientium poenitentiam Innocentius III. permisit, vt tempore interdicti praedicatio euangelii ad populum fieret, & confirmatio paruulis baptizatis daretur, *cap.43. ex. de sententia excommunicationis*. Item concessit sepulturam ecclesiasticam clericis, qui seruauerant interdictum, sed nullis adhibitis sollemnibus; & poenitentiam crucis signum suscipientibus & sanctorum limina visitantibus, etiamsi bene valerent, *cap. 11. ex. de poenitentiis & remissionibus* (b). Inde Gregorius IX. etiam permisit, vt in vnaquaque hebdomada celebraretur priuata missa, verum silentibus campanis, voce submissa, ianuis clausis, & excommunicatis & interdictis exclusis, vt corpus domini, quod decedentibus in poenitentia non negatur, conficeretur, *cap. 57. ex. de sent. excommunicationis*. Et demum Bonifacius VIII. poenitentiam sanis omnibus dari permisit, & diuina omnia officia portis clausis & silentibus campanis quotidie celebrari, exceptis festis Natalis Christi, Paschae, Pentecostes, & Adsumtionis B. Virginis, (quibus festum Corporis Christi eiusque octauam Martinus V. addidit) in quibus etiam concessit diuina officia sollemniter celebrari, sed exclusis excommunicatis, & admissis interdicto subiectis, modo qui caus-

(b) Crucem adsumere dicti sunt, qui ad sacra bella profecturi crucis symbolum palliis suis adsuebant & adfigebant, in signum votiuae illius expeditionis: cuius rei origo concilio Claromontano adscribitur, in quo expeditio Hierosolymitana decreta est. Sacrae expeditiones inde etiam contra haereticos, immo aliquando & contra principes indictae. Verum peregrini non eadem ratione in omnibus expeditionibus crucem vestimentis suis adfixere. Eam in expeditione Hierosolymitana in dextris scapulis posuere: in expeditione contra Albigenses & contra Mauros Hispanos in pectore: in aliis alia ratione cruce signati prodierunt. V. Dufresne *gloss. med. & infim. Latinit. v. crucem assumere*.

ſam interdicto dederint, altari non appropinquent, *cap. vlt. de ſent. excomm. in 6.*

§. VII. Violantes interdictum ex iuſta & canonica cauſſa & ordine legitimo latum grauis criminis rei ſunt, vtpote qui eccleſiae auctoritatem in re graui tranſgrediuntur. Clerici vero, qui in loco interdicto celebrant, a canone ſunt alieni, nec ad eligendum cum aliis admittuntur: cuius irregularitatis tantum ſummus pontifex veniam poteſt indulgere, *cap.* 18. §. 1. *de ſentent. excommunic. in 6.*, vbi etſi tantum ſermo ſit de ſola *celebratione;* tamen celebratio illa ex interpretum ſententia complectitur officia omnia, quae tempore interdicti celebrari vetantur. Item qui interdicto ſubiectos in loco ſacro ſepeliunt, ipſo facto in excommunicationem incurrunt, cuius relaxatio epiſcopo reſeruata eſt, *Clemen*. 1. *de ſepulturis.* Excommunicantur quoque regulares etiam exemti, qui interdictum generale aut locale a pontifice, vel ab epiſcopo latum non ſeruauerint, *Clement.* 1. *de ſent. excommunicationis.*

§. VIII. Interdictum ex regulis nouae diſciplinae diſtat *a ceſſatione a diuinis*, quae inter cenſuras non cenſetur. Per ceſſationem a diuinis ipſo iure vetantur diuina officia celebrari in eccleſia, quae homicidio, aut adulterio, ſeu alio admiſſo crimine polluitur, *cap. vlt. ex. de conſecr. eccleſiae*, vt populo ſalutaris terror & criminis horror incutiatur. Non ergo infligitur in emendationem: at diuina officia nequeunt celebrari, niſi eccleſia reconcilietur. Violatio ceſſationis a diuinis grauis culpa eſt, at non facit a canone alienos, *cap.* 18. *ex. de ſent. excommunic. in 6.*, excommunicantur vero regulares, qui in eccleſia, vbi a diuinis ceſſatur, celebrauerint, *Clement. vnic. de ſent. excommunic. in 6.*

CA-

CAPVT XXXVII.

De suspensione.

§. I. Suspensio, quatenus ab excommunicatione & interdicto distinguitur, est censura ecclesiastica, qua clericus in emendationem exercitio potestatis ecclesiasticae, quam ratione officii vel beneficii habet, salua dignitate, abstinetur. Ita distat ab excommunicatione, quae priuat ecclesiastica potestate, non quod competat ratione officii aut beneficii, sed potius quod communionem cum reliquis fidelibus contineat. Item suspensio distat ab excommunicatione, quod haec & in clericos & in laicos, illa tantum irrogatur in clericos, quibus solis exercitio ecclesiasticae potestatis officio aut beneficio ecclesiastico cohaerentis potest interdici. Porro suspensio distat ab interdicto, hoc enim clerici prohibentur vsu rerum sacrarum, sed qua illae fidelibus omnibus communes sunt; quando suspensis vsu earum interdicitur, quod ab officio aut beneficio dependent.

§. II. Tres suspensionis species distingui solent, vna ab officio, altera a beneficio, & tertia simul ab officio & beneficio. Suspensio ab officio clericum abstinet ab omnibus officiis ecclesiasticis, quae vel ab ordine, vel ab iurisdictione dependent, modo sint vera officia ecclesiastica; nam ea, quae clericis & laicis communia sunt, qualia ingressus in ecclesiam, sacramentorum susceptio, suspensis ab officio non prohibentur. Suspensio a beneficio clericum excludit a fructuum beneficii perceptione & aliis inde pendentibus, non item ab officio; odiosa enim stricte esse accipienda doctores tradunt. Suspensio demum ab officio & beneficio clericum & a sacris officiis & perceptione fructuum beneficii priuat. Num vero suspensi ab officio etiam beneficio, quod propter officium datur, abstenti intelligantur, disputant doctores: cuius quaestionis ratione factum est, vt iudices ab vtroque suspendere

volentes, verba *ab officio & beneficio* sententiae inserant.

§. III. Praeterea quaeuis suspensionis species vel irrogatur in totum, vel pro parte, vel in perpetuum, vel ad tempus, quin etiam ad certum locum potest limitari pro culpae admissae ratione. Clerici suspenduntur in totum, si omni functione clericali; pro parte, si tantum missae celebratione, aut habendis ordinationibus prohibeantur. Perpetua est suspensio, quae salua dignitate perpetuo sacris officiis celebrandis interdicit: temporaria quae ad certum tempus limitatur, veluti si episcopus per annum ab ordinum collatione suspendatur. Suspensio restricta ad certum locum facit, vt clerici in eo loco officia, a quibus sunt abstenti, nequeant exercere; at in aliis locis non prohibentur sacris operari, aut iurisdictione vti. Suspensio porro cuiuslibet speciei alia est ferendae, alia latae sententiae, quarum illa iudicis sententia, haec vero auctoritate iuris ipso facto irrogatur, non secus ac de excommunicatione dictum est.

§. IV. Censurae stricte sic dictae ex regulis nouae disciplinae in emendationem, non in poenam criminis irrogantur. Hinc non omnis suspensio censura est, sed ea tantum, quae nulla temporis limitatione coërcetur, vtpote quae in emendationem infligitur: quae vero perpetuo, vel ad certum tempus decernitur, potius poena, quam censura reputatur. V. Suarez *de censur. disput. VII. sect.* 1. Hinc suspensio tamquam censura irrogata non tollitur, nisi per canonicam relaxationem, quae tum concedi debet, si abstentus resipuerit: contra suspensio ad certum tempus coacta vltra tempus non profertur, sed eo elapso exspirat ipso iure sine relaxatione: quae inter doctores recepta sententia est. Quin obseruat auctor glossae *in Clement.* 1. *de decimis*, suspensionem hac formula latam, *donec satisfecerit*, ipso iure sine alia relaxatione euanescere, statim ac iudex satisfactum fuisse declarauerit (*a*).

§. V.

(a) Quidquid vero de suspensione siue tamquam censura, siue tamquam poena habet noua disciplina, id etiam apud veteres obtinuit. Clerici enim omni aetate siue in totum, siue

pro

§. V. Iam clerici sacris officiis, aut ecclesiasticis stipendiis suspensi dignitatem seu beneficium non amittunt, sed tantum ordinis seu dignitatis suae functionibus, seu perceptione fructuum beneficii & aliis inde pendentibus abstinentur. Cyprian. *ep.XVI. al.X.*, Conc. Ancyr. *can. I.*, Neocaesar. *can. IX.* Ita suspensio licet perpetua differt a depositione, quae non tantum ab executione officii & beneficii prohibet, verum etiam depositum omnino ab altaris ministerio exturbat, & officio & beneficio omnino priuat, titulumque aufert, adeo vt sine noua collatione & titulo ad officium vel beneficium redire nequeat. V. Espen. *par. III. tit.* 11. *cap.* 10.

§. VI. Quod vero suspensio siue ab officio, siue a beneficio poena ecclesiastica est, sine caussa non debet irrogari, quamuis non adeo grauis culpa requiratur ad suspensionem, ac ad excommunicationem & interdictum. Nimirum suspensio est partialis excommunicatio, qua clerici ecclesiastica communione, quae strictius accepta tantum clericalia officia complectitur, pro parte aut in totum priuantur. Et reapse in veteri disciplina saepe occurrunt excommunicationes seu suspensiones pro leuibus culpis clericis irrogatae, *can.LVI. & seq. apostol.* Sed si suspensio tamquam censura ferendae sententiae decernatur, debet praecedere contumacia & competens admonitio.

pro parte, siue ad tempus, siue in perpetuum sui ordinis exercitio prohibiti sunt, saluo gradu & dignitate, qua aucti erant. Item in veteri disciplina occurrunt clerici, qui, sui ordinis retentis officiis, tantum redituum portione sibi debita, seu stipendiis & sportulis clericalibus, abstinentur. Cyprian. *epist. XXVIII. al. XXXIV. ad cler.*, conc. Carthag.IV. *can.* 48. *& seq.* Tantum apud veteres suspensio, quae nunc tamquam propria censurae species reputatur, erat veluti medicinalis excommunicatio, qua clerici ecclesiastica communione, quae illis propria erat, plus minusue pro ratione culpae excludebantur, quod Albaspinaeus *obseruat. lib.I.* 2., Habertus *in archierat.* aliique obseruant. Hinc suspensio in antiquis monumentis του αφοριςμου *separationis* & *excommunicationis* nomine designatur. V. Suicer. *thes. eccles. v.* αφοριςμος.

Item suspensio, non secus ac excommunicatio & interdictum, in scriptis ferenda est, & quidem expressa caussa, ob quam irrogatur, *cap.* 1. *de sentent. excomm. in 6.*

§. VII. Si clerici in suspensione functiones ordinis, aut beneficii, vnde suspensi sunt, exercent, a canone sunt alieni, *cap.* 1. *de sent. & re iudicata in 6.* Immo si presbyter ab ordine suspensus minorum ordinum functiones exerceat, ex sententia Fagnani *ad cap.* 2. *de clerico excomm. ministrante* etiam a canone alienus censendus est; functiones enim minorum ordinum sacerdotio insunt, & inde veluti totidem riuuli a fonte manarunt, modo tamen functiones illas suspensus presbyter exerceat tamquam clericus, cui functio propria est. Hinc quod in plerisque ecclesiis functiones ordinum minorum a clericis necessario ordine non insignitis aut etiam a laicis solent exerceri; presbyter ab ordine suspensus non videtur a canone alienus, quod functiones minorum ordinum obeat, nam functiones exercet, tamquam si ab ordine non penderent.

CAPVT XXXVIII.

De absolutione a censuris.

§. I. Semel irrogata censura non tollitur, nisi per absolutionem seu relaxationem, *cap.* 28. *ex. de sent. excommunicationis:* quum enim per censuras iuridica & canonica ecclesiae potestate christiani a communione siue in totum, siue pro parte prohibeantur, non videntur nisi eadem potestate in externam ecclesiae communionem restitui posse. Absolutio a censuris, quae *pax, relaxatio, venia, communio* in antiquis monumentis dicitur, est relaxatio poenae, siue vinculi secundum ecclesiae formam concessa. Forma vero ecclesiae id ante omnia postulat, vt ademta communio non facile restituatur, sed vbi de emendatione constat, *can.* 33. C. 23. *q.* 4.

§. II. Ex veteris disciplinae regulis, quibus vnum

erat

erat ecclesiae poenitentiale forum, internum nempe, relaxatio censurarum etiam vna erat, & eiusdem interni fori pars habebatur, & ab eodem siue episcopo, siue presbytero, qui poenitentiis praeerat, concedi solebat. V. Morin. *de administr. poenit. lib. I. cap.* 10. (*a*). Sed vbi duplex in ecclesia forum inualuit, internum nempe, & externum, & irrogatio censurarum ad externum devoluta est; duae species absolutionis a censuris distinctae sunt, vna in foro interno, quae Deo reconciliat, altera in foro externo & contentioso, quae praecedente iudicis sententia externam pacem restituit. Vtraque proprii fori limitibus coërcetur, nec vlterius operatur: quin saepe contingit, vt qui potest censuras in foro externo relaxare, in foro interno absoluere nequeat, & e contrario. Hinc absolutio in foro interno etiam vi Iubilaei data ad tollendos actus fori iudicialis satis esse non censetur. Necessaria vero est relaxatio in foro externo in iis praecipue casibus, quibus censura ab iudice fertur & denuntiatur, alias interna relaxatio sufficit. Espen. *tract. de censur. cap. XI.* §. 2.

§. III. Iam a censuris ab episcopo seu alio iudice ecclesiastico per sententiam latis ille iure absoluit, qui eas irrogauit, conc. Nicaen. *can.V.*, vel eius in munere successor, aut eius delegatus, *cap.* 20. *ex. de off. ordinarii*, aut denique superior, veluti metropolitanus, si querela de iniquitate censurae ad ipsum deferatur. Sed metropolitanus nemini potest pacem impertiri, nisi legitime & plene ipsi constiterit de episcopalis censurae iniquitate: contra si certum appareat, excommunicationem esse iustam, superior iudex excommunicatum ad iudicem, qui ex-

(a) Quamuis autem relaxatio excommunicationis interni fori pars esset; tamen seorsum & diuersa formula a peccatorum absolutione dabatur; excommunicati enim in pacem recipiebantur in ipsa poenitentiae datione, peccata vero remittebantur per absolutionem sacramentalem, quam demum emensis poenitentiae spatiis peccatores accipiebant. Relaxabatur vero excommunicatio non sine sollemnitate, quam synodus Arausicana proponit, *can.* 108. C. 11. q. 3.

excommunicauit, remittere debet, non vero pacem dare, nisi periculum in mora sit, vel excommunicator requisitus absolutionem satisfacere parato per malitiam deneget. Quod si dubitetur, an censura iusta sit, superior eam relaxare bene potest, quamuis rectius sit, si ad proprium antistitem remittat, *cap.* 7. §. 3. *de sent. excommunic. in* 6.

§. IV. Quod vero spectat ad censuras latae sententiae, haec regula recepta est: si summus pontifex aut canonis conditor earum relaxationem sibi expresse non reseruauerit, absolui vnusquisque potest vel a proprio episcopo, vel a proprio sacerdote, *cap.* 29. *ex. de sententia excommunic.* Nomine proprii sacerdotis etsi parochus veniat; tamen in hac caussa etiam tamquam proprius sacerdos habetur quisquis confessionibus praeest. Quod si summus pontifex aut alius canonis conditor absolutionem sibi reseruarit, ipse aut etiam alius sacerdos ex eius delegatione relaxat censuram. Censentur vero aucti delegatione ad relaxandas in foro interno censuras papae, aut episcopis reseruatas etiam illi, qui ab iisdem absoluendi a peccatis reseruatis generalem potestatem habent.

§. V. Sunt interim casus, in quibus generalis censurarum reseruatio cessat, & relaxatio etiam sine speciali delegatione ab inferioribus ministris conceditur. Et sane episcopi in foro conscientiae rite absoluunt subditos suos a casibus occultis etiam papae reseruatis. Trid. *sess. XXIV. de ref. cap.* 6. Praeterea episcopi relaxant censuras papae reseruatas, vbi censura obstricti impares sunt ad Romanum iter, quales sunt mulieres, senes, valetudinarii, *cap.* 13. *ex. de sententia excommunic.* Et generatim cessat omnis reseruatio, & presbyteri quique absoluunt, si mortis periculum vrgeat, Trident. *sess. XIV. de sacr. poenit. cap.* 7., quamuis inde euanescente periculo sic absoluti Romano pontifici vel eius legato se sistere debeant, eius mandata accepturi, alias in eamdem censuram incidunt, *cap.* 22. *de sent. excommunic. in* 6.

§. VI. Relaxatio censurarum cognita veteribus patribus vna & absoluta erat, quae post emendationem, aut finitam caussam dabatur; at in noua disciplina datur etiam absolutio *ad cautelam*, vt vocatur, quod ad maio-

rem

rem cautionem dari consueuit. Ea locum habet, vbi de vi latae censurae dubitatur, daturque petenti de illius validitate adhuc pendente controuersia, *cap.40. ex. de sent. excommunicationis;* item praemittitur absolutioni sacramentali ab omnibus sacerdotibus, qui foro interno praesunt, idque ne absolutio sacramentalis ob censuram iure illatam & ignotam frustranea sit: & porro inseritur omnibus bullis & rescriptis apostolicis, vt eo salutari remedio concessa gratia impetrari possit (*b*).

§.VII Est & alia species absolutionis a censuris priori non absimilis, & antiquis quoque ignota, quae dicitur *ad reincidentiam*, quae, vbi de censura certo constat, datur ad definitum tempus, aut ad certum actum, vt illo tempore elapso, aut actu peracto sic absolutus rursus incidat in censuram. Solet haec absolutio concedi sub certo modo seu obligatione, videlicet satisfaciendi parti laesae, vel exercendi certum pium opus, aut itineris Romani suscipiendi: qui modus intra praefixum tempus impleri debet, alias tempore elapso, & modo non impleto censura vim suam resumit, nisi per absolutum non steterit, quominus modum impleret, nec eius noua culpa adsit.

§. VIII. Nec tantum relaxantur excommunicationes, dum adhuc excommunicati viuunt, verum etiam post mortem; fieri enim potest, vt excommunicatus, qui signa poenitentiae & emendationis dederat, ante acceptam pacem moriatur; aut etiam vt quis post mortem excommunicetur. Pax post mortem in veteri disciplina facto potius

---

(b) Absolutio ista ad cautelam demum post saeculum decimum inuenta est, vbi excommunicationes frequentiores esse, & illarum caussae per fori ambages tractari coeperunt; durum enim visum est, tamdiu extra ecclesiae communionem manere; & ita recepta disciplina, vt pendente quaestione de vi censurarum absolutio ad cautelam daretur. Inde censuris latae sententiae eatenus multiplicatis, vt saepe nesciant fideles, an censuris obstricti sint, necesse fuit, absolutionem ad cautelam sacramentali absolutioni praemitti, & omnibus gratiae rescriptis inseri. V. Espen. *tract. de censur. cap. XI.* §. 3.

tius (*c*), quam conceptis precibus dabatur; sed labentibus annis eo res deuenit, vt in vtraque ecclesia certa verborum formula tribueretur, *can.* 28. *ex. de sent. excommunic.* Quin a nonnullis falso creditum, per istam absolutionem mortuos ab aliquibus poenis liberari; excommunciationes enim & absolutiones mortuis datae eorum animabus nec prodesse, nec nocere possunt, sed eorum tantum memoriae. V. Dupin. *de vet. eccles. discipl. diss. III. cap.* 2. (*d*).

CA-

(c) Veluti si mortuorum exsecratorum nomina in sacris diptychis, ex quibus antea expuncta fuerant, iterum restituerentur; itemque si oblationes mortuorum nomine factae ab ecclesia acciperentur. Bingh. *orig. eccles. lib. XVI. cap.* 3. §. 12. Quo facto iterum mortuorum nomina in sacris precibus recitabantur, & ecclesia pro eorum dormitione deprecationem faciebat.

(d) Fuit in veteri disciplina absolutio, quae oeconomia quadam dabatur excommunicatis, qui in gratiam apud reges recepti aut regiae mensae participes facti erant: quod synodus Toletana XII. *can.* 3. de iis, qui *contra regem*, *gentem vel patriam* egerant, decernit. Idem vero veluti in capitularibus generatim de omnibus excommunicatis cautum Iuo Carnotensis *decr. par. XVII. cap.* 344. testatur, quamuis in eam sententiam nullum hodie exstet capitulare. Mos iste obtinuit in Germania, Francia, Hispania & Anglia: quod Seldenus *de synedr. lib. I. cap.* 10. probat. Nimirum id obsequii ecclesia tribuit principibus, vt censuras suas relaxaret, si illi in suam gratiam excommunicatos recepissent. Etiam apud gentes homicidii reus, qui & a sacris & a communi consortio arcebatur, expiatus seu absolutus tum demum maxime habebatur, si a rege quopiam exceptus hospitio purgaretur. V. Selden. *loc. cit.*

CAPVT XXXIX.

De depositione & reliquis poenis ecclesiasticis.

§. I. SAtis de censuris, nunc de poenis ecclesiasticis stri- cte sic dictis agendum, inter quas principem sibi locum *depositio* vindicat, Graecis καθαίρεσις dicta. Definitur poena ecclesiastica, qua clerici propter crimen in perpetuum ordinum exercitio, sacris functionibus & beneficiis in totum exuuntur. Vna erat in veteri disciplina depositio, quae etiam *degradatio* dicebatur; at ex regulis nouae disciplinae depositionis duae sunt species, vna simplex seu verbalis, quae *depositio* stricto sensu dicitur; altera sollemnis & actualis, quae *degradationis* nomine venit. Simplex depositio per nudam iudicis sententiam clericum gradu suo nulla adhibita sollemnitate exturbat: sollemnis vero & actualis verbis & re peragitur, est enim actus ipse seu sollemnis caerimonia, qua clericus sola sententia prius depositus reapse sacris indumentis & insignibus spoliatur, & ad laicos abiicitur.

§. II. Multa inter depositionem & degradationem intercedunt discrimina: praecipua vero sunt: depositus adhuc retinet priuilegia clericalia, degradatus vero ea omnino deperdit, & deinceps velut laicus reputatur: depositus item ablegatur ad poenitentiam, degradatus traditur iudici saeculari puniendus: depositus denuo deponi nequit, at potest degradari. Discrimina ista sunt ex noua disciplina, quae inter depositionem & degradationem distinguit: nam secundum veteres regulas per ipsam depositionem clerici priuilegia clericalia vna cum ordinum exercitio amittebant, & statim ad laicam communionem transibant: depositi clerici magistratibus puniendi ab episcopis non tradebantur; nec poterat euenire, vt depositus degradaretur.

§. III. Inter depositionem & degradationem distinctio inualuit, vbi clerici de magistratuum iurisdictione etiam

iam in ciuilibus delictis omnino exemti sunt, & respublica atrociores & sanguinis poenas, quae in nouis Europae regnis frequentes non erant, receperat. Nimirum in hoc rerum statu aliquando clerici canonicis poenis in officio retineri non poterant: atque ideo in delictis atrocibus magistratibus puniendi tradi debebant, ne in ecclesiae & reipublicae perniciem nequiores euaderent. Ita non sufficiebat, clericum deponi per nudam sententiam, quae eum nec clericalibus priuilegiis spoliabat, nec foro saeculari addicebat. Ergo necesse fuit inter simplicem, & sollemnem depositionem distingui, vt depositi clerici per degradationem ad laicos redacti magistratibus tradi possent (*a*). Eiusmodi discrimen aut induxit, aut iam inductum exeunte saeculo decimo secundo Clemens III. seu Caelestinus III. probauit, *cap.* 10. *ex. de iudiciis*.

§. IV. Ex regulis veteris disciplinae episcopi in synodo prouinciali, presbyteri & reliqui inferiores clerici a proprio episcopo in ecclesiae senatu deponebantur. Conc. Antioch. *can. IV. & XV.* Sed Africani patres in re tanti momenti solum episcopum in presbyterio sedentem vix sufficere putantes, in deponendis etiam diaconis & presbyteris plurium episcoporum praesentiam adhiberi voluerunt. Itaque statuerunt, vt diaconus a tribus vicinis episcopis cum proprio episcopo arguatur, presbyter a sex; episcopus vero a duodecim episcopis damnetur, *can.*3. *& seqq.* C. 15. *q.* 7. Tum vero haec disciplina obtinuisse videtur, si contingeret, extra sollemne habendae synodi tempus episcopum deferri, & negotium moram non pateretur; nam alias etiam secundum Africanos canones episcopi

---

(a) In veteri disciplina etiam deponebantur clerici, antequam pro delictis ciuilibus a magistratu punirentur. Iustin. *nouel.LXXXIII. in praef.* §.2. Verum depositio ista non eo spectabat, vt illi in iudicis laici potestatem transirent; sed potius ad eos altaris ministerio exturbandos; integra tum erat in clericos communium criminum reos magistratuum iurisdictio; atque ideo non poterat euenire, vt episcopi ipsi reos magistratibus puniendos traderent, vt mittam quod tum eiusmodi traditiones ecclesiasticae mansuetudini aduersae censebantur.

fcopi in ordinariis fynodis deponebantur, *can.* 4. *eodem*. Difciplina ab Africanis patribus ftatuta etiam in aliis Occidentis ecclefiis recepta eft.

§. V. Verum labentibus annis depofitiones fiue epifcoporum, fiue presbyterorum & diaconorum per alios iudices ab iis, qui in antiquis canonibus defignantur, factae funt. Et quidem depofitiones epifcoporum vna cum reliquis cauffis maioribus ad fummum pontificem deuolutae funt. Huius nouae difciplinae primordia debentur falfis decretalibus, quae initio noni faeculi opera Ifidori Mercatoris vulgatae fub nomine Eleutherii, Iulii aliorumque pontificum edicunt, non licere fynodis prouincialibus praeter fententiam Romani pontificis epifcopos damnare: quod veteribus canonibus & veteris difciplinae vfui aduerfatur; fynodi enim prouinciales per plura faecula epifcopos infcio pontifice damnarunt. Quae noua doctrina diu dubia haefit; tandem vero exeunte decimo faeculo & deinceps vna cum falfis decretalibus in Occidente recepta eft: & quia fynodi prouinciales rariores euaferant, eo deuentum, vt epifcoporum cauffae, tamquam maiores, primo iudicio fedi apoftolicae referuarentur: quod fupra *cap. VIII.* vberius expofitum eft.

§. VI. Quod vero fpectat ad meram depofitionem maiorum clericorum, eam etiam a tribus aut fex epifcopis vna cum proprio epifcopo Bonifacius VIII. fieri voluit, tantumque permifit, vt clerici in minoribus ordinibus conftituti poffent fola proprii epifcopi fententia exauctorari, *cap.* 2. *de poenis in 6.* Quod vero in aliquibus prouinciis legitimus epifcoporum numerus ad depofitionem vix haberi poterat, ftatuit Tridentina fynodus *fef. XIII. de ref. cap.* 4, vt liceret epifcopo, fiue per fe, fiue per vicarium generalem clericos etiam maiores deponere, modo loco epifcoporum adhibeantur totidem abbates, qui vfum mitrae & baculi habeant, fi in ciuitate, aut dioecefi inueniri & commode intereffe poffint; alioquin aliae perfonae in dignitate ecclefiaftica conftitutae, quae aetate graues fint, & iuris fcientia commendentur.

§. VII. Sollemnitas, qua degradatio in noua difciplina peragitur, exemplo rei militaris videtur inftituta; dum enim exauctorabantur milites, infignia militaria iis detra-

he-

hebantur, *L. 12. C. de dignitatib. lib.* 10. sicque castris & consortio militum eiecti militaribus priuilegiis cadebant. Itaque clericus degradandus sacris vestibus indutus ac manu habens librum, vel aliud sui ordinis instrumentum, perinde ac si in officio sollemniter ministrare deberet, adducitur ad episcopum, cui adhaerent alii episcopi seu abbates, aliiue, qui in sententia depositionis interfuerunt. Episcopus singula ornamenta ipsi sigillatim eripit, incipiens ab eo, quod in ordinatione postremum fuit, & desinens in eo, quod primo datum est: tum iubet, caput omne abradi, ad delendam coronam clericalem, ne vllum supersit clericatus vestigium. Dum vero singula ornamenta episcopus detrahit, ad terrorem verba iis contraria, quae in ordinatione adhibita sunt, vsurpat: & in detractione vestis clericalis addit veluti sententiam, qua degradatum omni ordine, beneficio & priuilegio clericali exuit, & ad laicos reducit, *cap. 2. de poenis in 6.* (b).

§. VIII. Depositio autem, vtpote poena grauis, tantum ob delictum debet irrogari, quo clericus indignus sacro ministerio fiat. Delicti autem nomine ex veteris ecclesiae regulis non solum grauia crimina tam ecclesiastica, quam ciuilia veniebant; verum etiam delicta ipsa minora, quae clericum nota quadam infamiae adficiebant, aut alias contra canones & clericale officium admittebantur. Et sane depositio manebat clericos, qui aleis & ebrie- [illegible] brie-

(b) Clerici degradati aut depositi ex regulis decretalium aliquando charactere impresso notantur, quo ab aliis possint internosci, *cap. 3. ex. de crimine falsi*. Fuit haec poena ciuilis, qua calumniatorum fronti apud Romanos K littera ex lege Remmia inurebatur, vt ita designaretur, inustum esse calumniatorem; veteres enim *Kalumniam* scribebant. Seruis quoque delinquentibus & praesertim fugitiuis ardenti ferro inscribi solebant litterae aut stigmata; vt deinceps suo se titulo proderent. Inde Constantinus M. non licere statuit, faciem hominis stigmate aut nota aliqua maculari; quod facies hominis ad similitudinem caelestis pulcritudinis efformata sit, *L. 17. C. de poenis*. Hinc mirari subit, pontifices eo seueritatis deuenisse, vt clericos grauiorum criminum reos stigmate notarent, praesertim quod notatio ista infamiam irrogaret.

brietatibus vacarent, si admoniti bonam vitam non induissent, *can. XLI. apostol.* Item praesto erat depositio, si clerici in sui officii exercitio negligentes essent, *can. LVIII. apostolorum*, *can.* 8. *D.* 81. Quod si quando occurrant clerici ob grauia crimina a gradu in perpetuum non deiecti, sed aliis minoribus poenis castigati; id arguit, ecclesiam censuras suas pro varia temporis & personarum ratione moderasse.

§. IX. Quod vero spectat ad degradationem, qua clerici degradati magistratibus puniendi traduntur, ea, quo primum tempore per summos pontifices probata est, propter magna crimina tum demum irrogabatur, si omnibus remediis & poenis canonicis praemissis clerici contumaces & rebelles persisterent, *cap.* 10. *ex. de iudiciis*, *cap.* 2. *ex. de clerico excomm. ministrante*. Interim conciliorum canonibus & pontificum decretalibus sensim quaedam crimina expressa sunt, quae etiam sine reorum contumacia degradatione vindicari placuit. Talia crimina sunt haeresis, & apostasia a fide, saltem si quis in illam relapsus, aut in ea pertinax sit, falsificatio litterarum apostolicarum, assassinium, crimen nefandum non semel admissum & cetera huiusmodi, quae Benedictus XIV. *de synodo dioeces. lib. IX. cap. 6.* recenset.

§. X. Depositio autem ex veteris disciplinae regulis perpetua est: semel enim depositus in perpetuum gradu suo excidebat, nec spes ferme supererat vlla, qua in pristinum honorem restitueretur. Conc. Antioch. *can. V.*, *can.* 2. *&* 4. *D.* 50. Praesertim vero nulla erat spes restitutionis, si clerici depositi ex veterum legum sententia curiae addicti fuissent; curiae enim addicti ad clericatus gradum adspirare vetabantur. Verum Augustinus depositionem tum perpetuam videtur habuisse, si depositi condignam poenitentiam non agerent, *can.*23.*D.*50. Quidquid vero huius rei sit, in noua disciplina depositis post poenitentiam tantum indulgentia sedis apostolicae, accedente proprii episcopi consensu, restitutionem sperare licet.

§. XI. Iam vero clerici perpetuo depositi ex regulis antiquis deinceps tantum *laicam communionem* recipiebant. Siric. papa *epist. ad Himerium Tarracon.*, conc. Agath. *can. L.*, conc. Arelat. III. *can.* 2. V. Albaspin. *obser-*

vat.

uat. lib.I. 4 Sed quae fuerit laica communio, non conuenit inter doctos. Bellarminus *de eucharist. lib.IV. cap.* 24. laicam communionem fuisse docet communionem sub vna tantum panis specie. Contra Lindanus *panopl. lib. IV. cap.* 58. & Vossius *thes. theol. disput. XXIII. th.* 5. ad laicam communionem clericos redactos sentiunt, quod depositi sacram eucharistiam non in sanctuario, sed extra cancellos inter laicos perciperent. Rectius Albaspinaeus, Petrus de Marca, cardinalis Bona aliique tenent, clericos depositos ad laicam communionem fuisse redactos, quod deinceps tamquam veri laici cum ecclesia communicarent, nullius iuris aut functionis clericalis participes: quo sensu laica communio opponebatur *communioni ecclesiasticae* stricte sic dictae, quae functiones ordinum & iura clericalia complectebatur. Sane depositi clerici vestem clericalem cum laica commutabant: tonsuram clericalem deponebant, & eorum nomina ab albo clericorum expungebantur: non tamen vi depositionis ab ecclesia tamquam ethnici & publicani eiiciebantur. Sed vbi depositio a degradatione distincta est, non sola depositio, sed potius degradatio ad statum laicorum redegit.

§. XII. Sed perpetuo depositi clerici in veteri disciplina addicebantur curiae, aut ordini suo, prout natales, aut facultates eorum erant, *L.* 39. *C. Th. de episc. & clericis*, *L.* 53. §. 1. *C. de episcopis*. Curia in vetustis monumentis est collegium ciuitatum inferiorum, eique addicti erant curiales seu decuriones, qui honoribus quidem curiae fruebantur, at vna cum substantia & posteritate sua eius muneribus & expensis erant obnoxii. Itaque depositi clerici dicebantur curiae tradi seu addici, quod ab altaris obsequiis eiecti, & ad laicos redacti ad ciuitatis curiam transibant. V. Iac. Gothofr. *ad cit. L.* 39. Addictio ista poenae loco videtur fuisse; & hinc depositi curiae adscripti necessitatibus publicis obligabantur, & saepe in humili conditione & officio curiae seruiebant, honoribus curialium fortasse expertes. Hoc sensu accipitur traditio curiae etiam aetate posteriore, vt videre est in falsis decretalibus, in quibus dicitur, vt depositus clericus *curiae tradatur, cui diebus vitae suae deseruiat*, *can.* 31. *C.* 11. *q.* 1., *can.* 18. *eodem*. Itaque traditio curiae

in

in veteri disciplina non eo spectabat, vt clerici a magistratibus punirentur, sed potius vt illi perpetuo curiae deseruirent.

§.XIII. Verum lapsu temporis, vbi clerici de iurisdictione magistratus per omnia exemti sunt, & respublica seueriores sanguinis poenas in vsum adsiduum recepit, inualuit, vt clerici depositi & sollemniter degradati magistratui puniendi traderentur: quo sensu formula *tradi curiae*, vbi ciuitatum collegia desierant, accepta est, quod ex Iuone Carnotensi *ep. LIII. & LXVI.* constat: Traduntur vero clerici magistratibus certo quodam ordine: nam primum deponuntur, deinde si in malitia perseuerent, excommunicantur; postea crescente contumacia, anathemate feriuntur, hoc est, nouis adhibitis exsecrationibus excommunicantur; & demum vbi in profundum malorum venerint, degradantur, & magistratibus puniendi traduntur, *cap.* 10 *ex. de iudiciis*. Haec tradendi forma initio generalis fuit, tum ad ea crimina restricta est, quibus ipso iure degradationis poena non irrogatur. Quod vero ecclesia abhorret a sanguine, episcopus degradatum magistratui traditurus, statim pro eo intercedit, vt citra sanguinis effusionem sententia moderetur: qua facta intercessione episcopum non fieri a canone alienum, receptum est, *cap.*27. *ex. de verbor. significatione*, etsi interim integrum sit magistratui ad mortem vsque saeuire. Ceterum moribus hodiernis depositiones vix vsurpantur & multo minus degradationes.

§. XIV. Inter poenas ecclesiasticas proximum a depositione locum tenet *regradatio*, quae est depositione minor. Militare vocabulum Latinis erat regradatio, quo denotabatur militis in inferiorem militiam reiectio, *L.*3. *D. de re militari*. Itaque regradari dicebantur clerici, qui de suo in inferiorem ordinem, aut ordine suo retento, ad vltimum sui ordinis locum deiiciebantur: cuius poenae exempla passim in veteribus monumentis occurrunt. V. Altefer. *de eccles. iurisd. lib. IX. cap. 9.* Sic vero regradati clerici tantum in inferiore ordine ministrabant, & alieni officii vsurpatio erat, si officia ordinis, vnde deiecti erant, attentarent.

§. XV. Item inter poenas in veteri disciplina ab episcopis infligi solitas erant verbera, quibus iuniores clerici

ab episcopis adfici solebant. Conc.Agath. *can.XXXVIII. & XLI.*, Epaon. *can. XV.*, Matiscon. 1. *can* 3. *al.* 5. Satis moderata eiusmodi coërcitio videtur fuisse, & potius ad emendationem, quam ad vindictam spectasse. *Qui modus coërcitionis*, per virgarum nempe verbera, inquit Augustinus *ep.CLIX. ad Marcellinum*, *a magistris artium liberalium & ab ipsis parentibus, & saepe etiam in iudiciis solet ab episcopis adhiberi*. Et sane flagellationis & verberum hic modus fuisse videtur, ne vltra triginta novem ictus excurreret, conc. Mariscon. 1. *can.* 5. *al.* 8.: qui erat verberum modus in lege Mosaica praescriptus, quamuis si crimen atrox esset, post aliquot dies verbera repeti possent. Etiam apud monachos obtinuit verberum coërcitio; constat enim in monasteriis fuisse flagella, quibus monachi iuuenes, & qui proteruius aliquid fecissent, castigabantur.

§. XVI. Alia poena canonica, quae clericis in veteri disciplina irrogabatur, erat *communio peregrina*, cuius synodi Regensis *can.III.*, Agathensis *can.V.* & Ilerdensis *can. XV.* mentionem faciunt. Quid vero fuerit communio ista peregrina clericis in poenam indicta, varie explicatur, omniumque sententias Binghamus *orig. eccles. lib.XVII. cap.* 3. refert & expendit. Illa videtur probabilior sententia, clericos in sua ecclesia ad communionem peregrinam redactos vixisse quidem de bonis ecclesiae, at interim omnibus officiis clericalibus & precum communione exclusos fuisse. Sane communio ista a peregrinis, seu christianis, qui extra suam ecclesiam versabantur, nomen accepit. Peregrini vero litteris formatis, quibus de eorum fide & moribus constaret, destituti, si pauperes essent, ab ecclesia alimenta accipiebant, non tamen in precibus & eucharistia communicabant, *can. XXXIV. apostol.* Synes. *epist.LXVI.* Hinc peregrina communio clericis irrogata genus poenae fuit, qua illi in sua ecclesia ad conditionem peregrinorum reducebantur; atque ideo sportulas tamquam clerici accipiebant, at interim suorum ordinum exercitio & ipsa precum & eucharistiae communione prohibebantur. Ceterum clerici in hanc conditionem redacti per poenitentiam facile pristi-

num

num gradum recuperabant, conc. Agath. *can.II*, in quo a laica communione peregrina distabat.

§. XVII. Praeterea detrusio clericorum in monasterium ad agendam poenitentiam frequens fuit apud veteres; ibi enim ceterorum hominum oculis subducti facilius poenitentiae exercitationes subibant, & peccatorum occasiones euitabant. Includebantur vero clerici delinquentes in monasteriis, tam si ad tempus officio suo abstenti essent, *nouel. CXXIII. cap.* 2., conc. Hispal. *can. III.*, quam si perpetuo depositi in laicam communionem rediissent, conc. Agath. *can.L.*, Epaon. *can.XXII.* Perpetua vero detrusio in monasterium praesertim obtinere debuit, postquam clerici de imperio magistratus etiam in criminibus ciuilibus exemti sunt: nec enim aequum erat, vt ob publica crimina ab officio depositi deinceps in civitate cum reliquis ciuibus versarentur, quo Innocentius III. spectare videtur, *cap. 6. ex. de poenis*. Verum hoc poenae genus in vsu esse desiit, tum ob monachorum repugnantiam, qui exemtionibus aucti episcopis monachos in monasteria relegantibus non parebant; tum etiam quod non satis tuta erat in monasteriis detentorum custodia; & periculum etiam erat, ne malis clericorum moribus monachi ipsi corrumperentur.

§. XVIII. Nec tantum vetus ecclesia clericos in monasteria ablegabat, verum etiam eos siue ad tempus, sive in perpetuum poenitentiae caussa custodia strictiore & veluti carcere coërcebat. Cui vsui inseruiebant diaconica & sacrorum vasorum aeraria, & quandoque etiam catechumenia, seu loca in altum nauis ecclesiae elaborata. Gregor. II. *epist. ad Leonem Isaurum*. Quin patres Toletani memorant *ergastulum*, in quo clèrici depositi perpetuo includebantur, *can.* 30. C. 23. *q.* 8. Et in ipsis canonicorum monasteriis erant loca secretiora, quo peruicaces & inemendabiles detrudebantur. Ex his moribus sensim inualuit, vt episcopi carceres haberent, in quibus siue in perpetuum, siue ad tempus clerici delinquentes in poenitentiam coërceri possent, *cap.*27. §.1. *ex. de verbor. significatione*, *cap.*3. *de poenis in 6.* Hinc distat inter ius ciuile & canonicum, illo enim carcer non ad poenam, sed in reorum custodiam institutus est, hoc vero

 etiam

etiam in poenam decernitur, quod ad agendam poenitentiam initio habitus est. Interim clerici delinquentes coërcendi non sunt publicis & ciuilibus carceribus, qui apta loca ad poenitentiam non sunt, sed carceribus ecclesiasticis, qui tacito saltem ciuilis potestatis adsensu permittuntur.

§.XIX. Inter poenas ecclesiasticas censetur etiam multae dictio, seu poena pecuniaria, quae ex eleemosynis, quae semper in poenitentiam consueuerunt irrogari, originem ducit. Nimirum vbi forum externum ab interno separatum est, iudices ecclesiastici consuetudine quadam fori, exemplo fortasse iudicum saecularium, multas decernere coeperunt, occasione ab eleemosynis, quae in foro interno imponebantur, arrepta. Probauit hunc vsum synodus Tridentina *sess. XXIV. de ref. cap.* 3., vbi permittitur iudici ecclesiastico, vt in caussis ciuilibus ad ecclesiae forum pertinentibus multas etiam laicis irrogare possit. Interim multae in foro externo pristinum eleemosynarum ingenium retinuerunt: & hinc sicuti sacerdotes confessionibus praepositi sollicite cauere debent, ne ex eleemosynis in poenitentiam iniunctis vtilitati suae consulant; ita cautum, ne iudices ecclesiastici multas in totum, vel pro parte in vsum suum conuertant, *cap.* 13. §. 2. *ex. de officio ordinarii*. Et synodus Tridentina *sess. XXV. de ref. cap.* 3. statuit, vt multae per iudices ecclesiasticos inflictae in eleemosynas, aut aliud pium opus impendantur. Verum non facile poenae pecuniariae irrogandae, vbi crimen aliam poenam canonicam requirit: & scite obseruat Fagnanus *in cap. 3. ex. de poenis*, antistites, qui facile poenas pecuniarias exigunt, vehementem exhibere auaritiae praesumtionem. Infligunt vero iudices ecclesiastici moribus hodiernis multas tantum in clericos, non item in laicos: & certe nec alibi, nec apud nos recepta sunt decreta Tridentina, quibus datur episcopis, multas in laicos irrogare.

§. XX. Videamus modo, num ecclesia pro iure suo possit exilio damnare. Exilium supponit territorium, extra quod rei pellendi sunt: quum vero ecclesia territorium non habeat, nec ius pellendi in exilium potest habere, quod multis iuris canonici locis comprehensum est, *can.* 43. *C.* 23. *q.* 7., *cap.* 10. *ex. de iudiciis*, *cap.* 2. *ex.* *de*

de clerico excommunicato ministrante (c). Interim recte potest episcopus clericos alienos, qui in sua dioecesi morantur, ob malos mores ad proprios episcopos dimittere: dimissio enim ista exilium non est, sed potius pertinet ad canonum exsecutionem, qui clericos suis episcopis addicunt, nisi per beneficium alteri ecclesiae adscripti sint.

C A P V T XL.

De exemtionibus de potestate episcoporum.

§. I. IN veteri disciplina, vbi limites ecclesiarum constituti sunt, & singulis pastoribus portio gregis cessit, quam vnusquisque regeret & gubernaret, christiani omnes vna ecclesia comprehensi suo parebant episcopo, & ei adhaerentes vnam particularem ecclesiam componebant. *Ecclesia*, inquit Cyprianus *ep. LXIX. al. LXVI. ad Papian.*, *est plebs sacerdoti vnita, & pastori suo grex adhaerens. Vnde scire debes, episcopum in ecclesia esse, & ecclesiam in episcopo: & si qui cum episcopo non sint, in eccle-*

(c) Huic doctrinae, quae habet, ecclesiam iure pellendi in exilium carere, obstat Gregorius M. *lib.XI. epist.* 71. vbi cuidam episcopo mandat, vt hypodiaconum calumniatorem officio deiiciat, & verberibus publice castigatum *faciat in exilium deportari*: obstant etiam falsae decretales, quae contra episcoporum persecutores & sacrilegos praediorum ecclesiasticorum inuasores exilium irrogant, *can. 9. C. 3. q.* 4. & *can.* 13. *C.*17. *q.*4. Verum Gregorius M. mandauit episcopo, vt calumniatorem hypodiaconum *in exilium faciat deportari*, vtique a magistratu, cuius potestatem episcopus debebat implorare. Et sane male in *cap.* 1. *ex. de calumniatoribus* ita Gregorii verba exhibentur, vt ipse pontifex veluti proprio iure exilium videatur irrogare. Nihil vero moror falsas decretales, vtpote quae ab homine consarcinatae sunt, qui tenebat, ecclesiam poenas ciuiles damni & honoris posse irrogare.

ecclesia non esse. Cui doctrinae concinunt veteres canones, qui ab episcopo non pendentes congregationes tamquam schismaticas traducunt, & clericos earum auctores deponunt, laicos vero extra ecclesiae communionem proiiciunt, *can. apost. XXXI.* Et inde episcopi dicti *principes populi*, vel *ecclesiae*, & προεστωτες *praefecti*, quasi qui vniuersae ecclesiae praesiderent. At in noua disciplina ab hac regula descitum est, & monachi, collegia canonicorum, immo & singulae personae priuilegiis aucti sunt, quibus de potestate episcopi exemti vni Romano pontifici subsunt.

§. II. Initio vitae monasticae episcopi in monachos, vtpote in solitudine & monasteriis sepultos, speciali potestate vsi non videntur, sed ea tantum, qua cura animarum continetur. Sed deinceps quum monachi continuis egressionibus coepissent ecclesiam & rempublicam turbare, synodus Chalcedonensis *can. IV.* eos suggerente Marciano imperatore curae speciali & potestati episcoporum subiecit. Quae disciplina deinceps & legibus ciuilibus & multis canonibus & regum Francorum capitularibus confirmata est, *L.*44. §.1. *C. de episcopis*, *can.*16. *& seqq. C.* 18. *q.* 2. Hinc regula iuris canonici: episcopus habet fundatam iurisdictionem in regulares suae dioecesis, nisi probetur exemtio, *cap.*7. *de priuileg. in 6.*

§. III. Potestas episcoporum in monachos disciplinam monasticam & bona monasteriorum episcopis subliciebat, eaque vti oportebat episcopos vt pastores animarum, vnice monachorum salutem spectantes. At episcopi tanta potestate saepe abusi sunt, & res monasteriorum temporales variis nominibus inuaserunt. V. Espen. *par. III. tit.*12. *cap.*2. Sane ex oblationibus monasterio factis partem vnam sibi adserebant, idque quod in diuisione redituum ecclesiasticorum in tres aut quatuor partes vna ad episcopum spectaret; in abbatum benedictionibus, in consecratione altarium & oratoriorum dedicatione, in monachorum pro seruitio monasterii ordinationibus, in visitandis monasteriis, in chrismatis & olei sancti largitione a monachis exigebant temporalia. Exigebant quoque *cathedraticum* seu *synodaticum*, pecuniae nempe summam, quae in cathedrae honorem pendi consueuerat. His a-

liisque

liisque nominibus multi episcopi monachis graues euaserunt, immo non defuerunt, qui monachos seruili operi manciparunt, & monasteria in proprias possessiones verterunt. Conc. Tolet. IV. *can.* 52.

§.IV. Iam vero saeculis sexto & sequentibus monachi exemtiones de episcopali potestate meruerunt, quae a certis oneribus, vel omnibus monachos liberabant, sed integra remanente in ipsos monachos canonica episcopi potestate. Sane exemtiones a Gregorio M. pluribus monasteriis concessae tantum ad onera & abbatis liberam electionem spectant; at episcopis in monachos aperte reseruant *diligentiam disciplinae*, hoc est, canonicam auctoritatem. Gregor. M. *lib. VII. ep.* 15. & *lib. VI. ep.* 12. Et sollemnis concedendi monasteriis priuilegii formula apud Marculphum *lib. I. form.* 1. exemtionem ab oneribus & liberam abbatis electionem continet, integram vero relinquit episcopi in monachos potestatem. Ipsi fundatores vt plurimum petebant huiusmodi priuilegia, eaque proprii episcopi concedebant, & quo firmiora essent, saepe in synodis vel a Romano pontifice probabantur, accedebatque etiam regia confirmatio, vt plenius monachis consuleretur.

§. V. Huiusmodi partiales exemtiones disciplinae monasticae non aduersabantur, nec monstrosam faciebant ecclesiam; at post saeculum decimum etiam plenae exemtiones, quae etiam de canonica episcoporum potestate liberant, & soli pontifici Romano subiiciunt, monachis concedi coeptae sunt (*a*). Non episcopi, sed Romani pon-

(a) Sane ante saeculum vndecimum, aut decimum secundum distinctio inter monasteria exemta & non exemta in synodis & genuinis monumentis illius aetatis non occurrit; sed generatim de veteri regula monasteria episcoporum potestati subiecta dicuntur. Item ante illa saecula nullae occurrunt aduersus abbatum & monachorum exemtiones querelae, quae saeculo vndecimo & sequentibus frequentes & graues fuere. Quae duo magno argumento sunt, post decimum saeculum incepisse exemtiones, quibus monachi de canonica episcopi potestate subtracti

pontifices haec plenaria concesserunt priuilegia (*b*), idque plerumque episcopis aut inscientibus, aut inuitis. Quae quidem exemtionum priuilegia semel vsurpata labentibus annis adeo fuerunt multiplicata, vt omnia ferme monachorum monasteria & singuli ordines eadem obtinuerint. Ipsi fratres minores, qui prae ceteris alieno ab exemtionibus animo esse debebant, earum fuerunt auidissimi. Certe S. Franciscus hoc vno gloriabatur priuilegio, se *nullum habere priuilegium:* & fratribus suis per obedientiam praecepit, ne vmquam a Romano pontifice priuilegia peterent. Sed hac in caussa fratres minores sanctissimo patri obedientiam denegarunt, & duce Elia eiusdem ordinis sodali, qui non diuino spiritu, sed prudentia carnis nitebatur, vt Baronius *ad ann. IↃCLXXVI.* obseruat, multa & plenissima impetrarunt exemtionum priuilegia, quae etiam in functionibus hierarchicis, in administrandis sacramentis & in habendis praedicationibus de episcopali potestate exemerunt (*c*).

§.VI.

---

cti sunt, aut saltem ante illud tempus non adeo fuisse multiplicatas, vt multorum querelas excitarent.

Circumferuntur quidem ante saeculum decimum multa priuilegia, quae monachos subtrahunt de episcoporum potestate, & vni pontifici addicunt: at eorum pleraque sunt supposititia, cuius generis est priuilegium, quod monasterio S. Medardi a Gregorio M. dicitur concessum: item illud, quod monasterio S. Martini Turonensis ab Adeodato papa datum fertur: alia vero genuina quidem sunt, sed admodum pauca, & praeterea non inuitis episcopis concessa sunt, quale est, quod Zacharias pontifex Fuldensi monasterio dedit apud Baronium *ad ann. IↃCCLV., n. 29.*

(b) Huiusmodi plenas exemtiones *emancipationis* nomine S. Bernardus *de consider. lib. III. cap.* 4. dixit, idque quia sicut emancipatio filios de patris potestate, ita exemtiones de canonica episcopi potestate monachos liberabat.

(c) Hoc eodem tempore, quo monachi episcopis subtrahebantur, episcopi ipsi priuilegia exemtionis de suorum metropolitanorum potestate obtinebant. *Subtrahuntur*, inquit S. Bernardus *de consid. lib. III. cap.* 4., *abbates episcopis, episcopi archie-*

§. VI Nec tantum monachi, sed etiam collegia canonicorum praesertim cathedralium potestatem episcoporum excusserunt, & vni Romano pontifici subiecta sunt. Quae quidem canonicorum exemtiones saeculo decimo tertio & sequentibus sensim inualuerunt: fortasse praetextu immunitatis in temporalibus & correctionis, quam capitulum vel decanus habebat, dissimulantibus subinde episcopis, aut etiam consentientibus, vt inde liberiores euaderent in ecclesia administranda. Quin malo religiosorum & canonicorum exemplo etiam singulares personae siue saeculares, siue regulares variis titulis sibi exemtionem & libertatem de episcopi potestate impetrarunt: quod multis in locis indicant Tridentini patres, & praesertim *sess. XXIV. de ref. cap.* 11. vbi deplorant, eiusmodi exemtiones episcoporum iurisdictionem perturbare, & exemtis occasionem laxioris vitae praebere.

§. VII. Sunt vero exemtiones vel personales, vel locales, vel mistae. Personalis dicitur, qua particulares tantum personae eximuntur, nulla habita loci ratione, ac proinde quocumque eant, exemtae censentur. Locales vero conceduntur locis, veluti monasteriis aut ecclesiis, ita vt personae tantum respectu loci exemtione fruantur. Et mistae demum & locis & personis, quae ad illa loca pertinent, concessae sunt: quales ferme sunt exemtiones monasteriis & monachis concessae. Cuius vero generis sit exemtio, ex verbis priuilegii iudicandum est.

§. VIII. Plures vero adferri solent caussae, quae ad monachos & regulares de potestate episcoporum eximendos pontifices impulerunt (d). Sed praecipuae & ab ipsis mo-

---

archiepiscopis, archiepiscopi patriarchis siue primatibus. Longe ante hoc tempus in ecclesiis Orientis fuerunt episcopi nulli metropolitano subiecti, sed proxime sub patriarcha constituti. V. Bingham. *orig. eccles. lib. II. cap.* 18. *n.* 3.

(d) Praecipuam caussam, qua monachi de potestate episcoporum exemti sunt, fuisse abusum potestatis episcopalis in monachos Tamburinus *de iure abbat. tom. I. disp.* 15. *q.* 3. arbitratur. Et constat quidem, reapse aliquando coactos fuisse monachos ad exemtiones confugere, vt ab impotenti episcoporum do-

monachis & a pontificibus videntur repetendae. Monachi bonis aucti, & abbates infulis episcopalibus condecorati, indignum reputarunt episcopis obedire: & hinc etiam ingenti auri persoluto pondere exemtiones sibi parare studuerunt: quod S.Bernardus *epist. XLII. ad Henricum Senonensem* testatur (e). E contrario mendicantes ipsa paupertas fecit priuilegiorum appetentes, & praeterea celebritas & fama, quibus eorum ordines inclarescebant, speciali fauore dignae videbantur. Ipsa quoque monachorum sub vno generali capite consociatio non parum exemtiones promouit, ne potestas episcoporum in monachos eorum hierarchiam turbaret (f). Porro saeculis vndecimo & sequentibus intererat Romanorum pontificum sibi per omnem ecclesiam speciales filios & subditos parare, vt ita ordinariam & veluti episcopalem in vniuersam ecclesiam potestatem facilius exercerent, & nouorum filiorum multitudine episcopos veluti in officio continerent (g). Capitula quoque ecclesiarum ad exemtionem proclamarunt, quod ab episcopis suis iniqua dominatione preme-

dominatu se munirent; verum haec ratio non videtur generalis: & praeterea abusus potestatis vnius episcopi non facit, vt successores ingenita summo sacerdotio priuentur potestate.

(e) *Spoliant ecclesias*, inquit de abbatibus S. Bernardus, *vt emancipentur, redimunt se, ne obediant.*

(f) Ex his aliisque caussis tanta exemtionum cupido monachos incessit, vt multi bullis adulterinis eas sibi pararent: quod Petrus Blesensis *epist.LXVIII.* testatur: & multa spuria, quae adhuc supersunt, priuilegia demonstrant. Argumenta quibus bullae pontificiae ad spuria ablegantur, Innocentius III. *in cap.5. ex. de crimine falsi* proponit. Et Lucius III. addit, fidem non esse adhibendam bullis, in quibus occurrunt errata grauiora aduersus syntaxim, *cap.11. ex de rescriptis.*

(g) S. Bernardus *de consider. lib. III. cap.4.* ex plenitudine pontificiae potestatis exemtiones repetere videtur: *Bona ne species haec? Mirum si excusari queat, vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis; sed iustitiae forte non ita. Facitis hoc quia potestis; sed vtrum debeatis, quaestio est.*

merentur, & vt liberius suis cupiditatibus inseruirent.

§. IX. Multiplicatae monachorum & capitulorum de episcopali potestate exemtiones sexcenta incommoda non minus in ecclesiam, quam in ipsos exemtos inuexerunt. Atque hinc eas optimi monachi, in primis sanctus Bernardus & sanctus Franciscus improbarunt: & episcopi semper eas aegre tulerunt. Sane dissoluto inter episcopos & monachos nexu potestatis & subiectionis monachi euaserunt dissolutiores, pauperiores & in episcopos contumaces: quod S.Bernardus *de consider. lib.III. cap.4.* & Petrus Blesensis *epist.LXVIII.* testantur (*h*). Et de fratribus minoribus Aluarus Pelagius *de planctu ecclesiae lib.II. cap.60.* obseruat, *eos in superbiam se erexisse & in contumaciam contra omnes praelatos*. Exemtiones quoque ecclesiasticam turbarunt hierarchiam, & monstro similes fecerunt gradus ecclesiasticos: nam inferiores gradus a suis proximis superioribus diuulsi capiti coniuncti sunt; non secus ac si digitus, non manui, sed capiti coniungeretur, vt ipse S.Bernardus obseruat. Quam confusionem auxerunt mendicantes impetratis priuilegiis, vt in ipsis sacris functionibus, & sacramentorum administratione ab episcopis non penderent. Canonici vero ecclesiae cathedralis exemtionibus senatum ecclesiasticum dissoluerunt, & episcopos in ecclesia administranda fecerunt liberiores.

§. X. Iam exemtiones de ordinariorum iurisdictione, vtpote quae ab iure communi recedunt, & tot incommodis aditum aperuerunt, ex communi & recepta sententia inter ea, quae dicuntur *odiosa*, censentur. V.Zypaeum *consultat.I. de priuilegiis*. Quod vero odia restringi & fauores conuenit ampliari, *cap. 15. de regulis iuris in 6.*, certe exemtio concessa non intelligitur, nisi apertis verbis nitatur. Proinde litterae, quae pontificiam protectionem concedunt, non arguunt etiam concessam exemtionem, *cap. 8. & 18. ex. de priuilegiis*; protectio enim non facit, vt qui in tuitionem recepti sunt, de iurisdictione proprii iudicis eximantur; sed tantum ab iniuriis

---

(h) Haec epistola sub nomine Richardi Cantuariensis ad Alexandrum III. dirigitur, sed Petri Blesensis stilo exarata est.

iniuriis tuetur (*i*). Nec census apostolicae sedi quotannis pendi solitus arguit exemtionem, praesertim si dicatur, eum in signum protectionis exsolui, *cit.cap.* 8., *cap.* 10. *ex. de priuilegiis in 6.* Quin si priuilegium in aliquibus caussis concedat libertatem, & clausula de annuo censu persolvendo sequatur; tum exemtio tantum spectat ad concessas libertates, & in reliquis articulis salua manet ordinariorum iurisdictio, *cit. cap.* 10. Tum census persolutio exemtionem probat, si dicatur, illum Romanae ecclesiae pendi, ad receptae libertatis argumentum.

§.XI. Sed si constet de exemtionis priuilegio, verba illius benigna interpretatione non sunt a casu ad casum extendenda, sed prout sonant, intelligenda, *cap.* 7 *&* 8. *ex. de priuilegiis.* Quo fit, vt si exemtio localis sit, puta monasterio concessa, monachi censeantur exemti tamquam ipsius monasterii membra, non item si delinquant, aut contrahant, aut res in loco non exemto sita sit, *cap* 1. *eodem in 6.* Et si exemti plures personas sustineant, exemti sub vna qualitate, exemti sub alia non censentur: quod ex *cap.* 16. *ex. eodem* recte aduertunt canonistae. Ita si exemtio canonicis & eorum ecclesiis data sit, ad parochi & sacramentales functiones non pertinet, vtpote quae potius ecclesiasticae, quam canonicales sunt. Et regulares exemti priuilegia sua includere debent ad ea, quae ipsis vt regularibus competunt, quaeque ad disciplinam & regimen regulare spectant: quod recte Espenius *par. III. tit.* 12. *cap.* 5. obseruat. Quod si verba priuilegii dubia sint, aut de titulo exemtionis plena probatio facta non est, recte ordinarius sua iurisdictione vtetur, quousque exemtio plene probetur, *cap.* 7. *de priuilegiis in 6.*, nisi monasterium aut capitulum esset in exemtionis quasi possessione: nam in hac specie exemti a quasi possessione exturbandi non sunt, donec iure & ordine

dine

(i) Fundatores monasteriorum & ecclesiarum litteras protectionis solebant expetere, quibus quieti monachorum tam in temporalibus, quam in spiritualibus prospicere, non eos vero de iurisdictione episcoporum eximere intendebant.

dine demonstretur, quasi possessionem esse vitiosam & idoneo titulo destitui.

§. XII. Exemtio etiam plena subtrahit quidem ipsos exemtos de episcopi siue ordinarii iurisdictione; at locum exemtum ab episcopi dioecesi non separat. Quapropter loca exemta, & ipsi exemti manent in dioecesi tamquam eiusdem membra, licet priuilegiis aucta: quae est communis sententia. Et recte post alios Fagnanus ad *cap. 19. ex. de offic. ordinarii n.* 10. obseruat, ecclesias exemtas hoc ab ecclesia nullius dioecesis differre, quod ecclesiae exemtae in dioecesi esse dicantur; ecclesiae vero nullius dioecesis neque sint de dioecesi, neque in dioecesi. Hinc exemti ita se gerere debent, & suis priuilegiis ea moderatione vti, vt nec ipsa membrorum vnitas dissoluatur, nec episcopale regimen impediatur. Et exemplo filiorum emancipatorum etiam reuerentiam & honorem episcopis exhibere: quae est etiam communis & recepta sententia.

§. XIII. Abusus & excessus exemtorum in immensum excreuerant, quo tempore synodus Tridentina indicta est. Hinc plures ex patribus exemtiones omnino abolendas, alii vero saltem moderandas exclamarunt (*k*). Sed sancta synodus multis additis limitationibus exemtiones stare

(k) Episcopi non minus Germani, quam Hispani summa libertate censuerunt & exoptarunt, vt a synodo Tridentina exemtiones omnes de potestate episcoporum reuocarentur, & monachi & canonici suis episcopis restituerentur. Sed Galli aliquas tantum abolendas, omnes vero exemtiones moderandas petierunt. Celebris in primis eo nomine est Brachius Martellus episcopus Fesulanus, qui contra priuilegia regularium & praesertim ordinum mendicantium, maxime pro ea parte, quae spectat ad hierarchicas functiones, summo zelo & grandi oratione declamauit, vbi inter alia dixit: *Nimirum habent suum illud*, *quod dicitur* ingens mare & immensum: *cuius fragore nihil est*, *quod perhorrescatis pontifices*: *non enim eius fluctibus ecclesiae sanctae nauicula obrui potest*, *quamuis hoc tempore tot tempestates*, *tot procellas concitauerit perditorum nequitia aliorum*. Prostat haec oratio *tom. XIV. concilior. general. col.* 1638. *edit. Labb.*

ſtare paſſa eſt. Principio ſtatuit, vt loci ordinarii tamquam apoſtolicae ſedis delegati ſecundum canones viſitarent, punirent & corrigerent clericos exemtos & regulares extra monaſterium degentes, ſeu non *conuentualiter* ſub ſuperiore viuentes, ſi delictum aliquod admittant. Trident. *ſeſ. 6. de ref. cap. 3.* Et de iiſdem regularibus exemtis, qui viuunt in monaſterio, & extra illud adeo palam delinquunt, vt populo ſint offenſioni, ſtatuit, vt inſtante epiſcopo & intra tempus ab eo limitandum a ſuo ſuperiore ſeuere puniantur, & ſuperior de iam facta punitione epiſcopum faciat certiorem: ſin minus, a ſuo ſuperiore officio priuetur, & delinquens ab epiſcopo puniri poſſit. Trident. *ſeſ. XXV. de regul cap.* 14. (l). Item cautum eſt a patribus Tridentinis, vt monaſteria monialium ſedi apoſtolicae *αμεσως* ſubiecta ab epiſcopis tamquam apoſtolicae ſedis delegatis gubernentur. Trident. *ſeſ. XXV. de regul. cap. 9.* Quibus eadem poteſtate delegata commiſſa eſt omnium monialium clauſura. Trident. *loc. cit. cap. V.* Epiſcopis quoque eadem poteſtate delegata ſubiecta ſunt monaſteria omnia exemta, quae in congregationem aliquam non fuerint aliis monaſteriis adunata. Trident. *loc. cit. cap.* 8.

§. XIV. Quod vero ſpectat ad capitula cathedralium & aliarum maiorum eccleſiarum exemta, ſtatuit ſancta ſynodus, praerogatiuam loci ſediſque ſemper epiſcopo deberi, eumque ad res eccleſiaſticas tractandas pro arbitrio indicere poſſe capitulum, modo ſuae vtilitatis res non ſit, quam tractandam proponit, praecipuamque in omnibus rebus eſſe epiſcopi auctoritatem. Trident. *ſeſ. XXV. de ref. cap. 6.* Item poteſtatem fecit epiſcopis & aliis maioribus praelatis, quoties opus fuerit, *etiam apoſtolica auctoritate* viſitandi & corrigendi capitula exemta canonicoſque omnes per ſe ipſos, vel illis, quibus ſibi videbi-

(l) Cui decreto ne fraus fieret, Clemens VIII. in bulla *ſuſcepti regiminis* ſtatuit, ne ſuperiores regulares in alia ſuorum ordinum monaſteria extra dioeceſim monachos delinquentes ablegarent.

debitur, adiunctis. Trident. *ses. VI. de ref. cap* 4. Synodus quoque concessit episcopis etiam extra visitationem poenas sumere de canonicis delinquentibus cum consilio & adsensu duorum canonicorum, quos capitulum ad id munus initio cuiusque anni designabit, nisi agatur de criminibus incontinentiae, & de aliis maioribus delictis, vbi de fuga timetur, in quibus ad summariam informationem & necessariam detentionem initio solus episcopus procedit, deinceps duorum canonicorum consilium adhibiturus. Trident. *ses. XXV. de ref. cap.6.* (*m*).

§. XV. Plura alia exstant Tridentina decreta, quibus regulares & canonici exemti in iis, quae nec ad disciplinam monasticam, nec canonicalem pertinent, episcopis subiiciuntur; veluti si habeant curam personarum saecularium episcopo subiectarum, aut si habeant curam & administrationem hospitalium, capellarum, aut piorum locorum, quae sub episcopi potestate sunt. Trident. *ses. XXI. de ref. cap.* 8. & *ses. XXII. de ref. cap.* 8. & 9. Quod vero magis promouit ecclesiasticam disciplinam, illud profecto fuit, quod in hierarchicis functionibus monachi omnes subiecti fuerunt episcopis; statutumque, vt regulares sine approbatione & venia episcopi confessiones non

---

(m) Ita quamplurima decreta condita sunt de exemtionibus in synodo Tridentina, in quibus datum fuit episcopis, vt *tamquam sedis apostolicae delegati*, vel *etiam auctoritate apostolica* visitarent exemtos, aut alias in eos procederent. Nimirum vbi priuilegia & exemtiones de episcoporum potestate omnino aboleri arduum & difficile visum fuit, inter contraria studia excogitatum est eurema, quo saluis exemtionibus, episcopi saltem potestate delegata in monachos aliosque exemtos augerentur. Sebastianus Pighinus vnus ex rotae Romanae auditoribus salutarem formulam suggessit: & reapse condita fuerunt plura decreta, quibus vel *delegata potestate*, vel *etiam auctoritate apostolica* episcopi in exemtos armantur. Quarum formularum prima tantum delegatam potestatem episcopis concedere videtur, altera vero apostolicam auctoritatem episcopali adiungit. Sed e re ecclesiastica magis fuisset, ex sententia episcoporum Germaniae & Hispaniae priuilegia & exemtiones omnino abolere.

non audirent, nec in suis ecclesiis praedicarent. Trident. *sess. XXIII. de ref. cap.* 15. & *sess. XXIV. de ref. cap.* 4. Et generaliter statutum est, vt in anniuersariis sacris, in sollemni pompa sacrorum & ritibus ecclesiasticis regulares omnes dioecesis, vbi degunt, mores obseruent: idque ne in cultu Dei publico vna ecclesia a se ipsa sit difformis. Trident. *sess. XXV. de regularib. cap.* 12.

F I N I S.



INDEX

INDEX RERVM PRAECIPVARVM,

Numerus paginam significat, littera adnexa subiectam notam.

A

 spon-

Be-

te-

a tri-

F

le-

tio-

X

FINIS.

